




Codex diplomaticus Majoris Poloniae documenta.

TOM I.

KODEKS DYPLOMATYCZNY
WIELKOPOLSKI.

CODEX DIPLOMATICUS
MAJORIS POLONIÆ.

TOMUS I.

PT. 2

POZNAŃ.
NAKŁADEM BIBLIOTEKI KÓRNICKIEJ.
DRUKIEM J. I. KRASZEWSKIEGO (Dr. W. ŁEBIŃSKI).
1877.

Nr. 262.

Premiszl dux Polonie 1247 Jul. 1, in Poznania; donat villam Pakolisse monasterio Paradyż.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia pieczęci Przemysława księcia, osobno zachowanéj. (pieczęć XIII).

Poznań. Bibl. Raczyńsk. Diploma A, 15. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 26.

In nomine sanctė et individue Trinitatis. Cum cuncta bona temporalia transitoria sint et caduca, dignum est et salubre ut de transitoriis lucremur permansura ea Christi pauperibus erogando, qui pro nobis intercessores et advocati existant, pro nostris reatibus summum iudicem exorando. Notum sit igitur universis tam futuris quam presentibus Christi fidelibus, quod nos Premiszl divina miseratione dux Polonie una cum dilecta matre nostra nomine Adwigis, divina inspirante clementia, conmuni consensu et pari voto contulimus beate et perpetue virgini Dei genitrici Marie et dilectis fratribus de Paradyso Ordinis Cysterciensis, diocesis Poznaniensis, villam quandam nomine Pakolisse cum lacu et omnibus terminis atque attinentiis eiusdem ville ob remunerationem vite eterne, et animarum nostrarum saluti et pie recordationis anime patris nostri ducis Wlodizlavi providere cupientes, predictis fratribus perpetua libertate donavimus possidendam. Ut igitur hec nostra donatio in posterum rata et inconvulsa in evum permaneat, sigilli nostri appensione comunimus, testibus nichilominus idoneis adhibitis quorum hec sunt nomina: domnus Artungus abbas de Lukna, domnus Petrus abbas de Obra, magister Boguphalus de Chirnelin, Predpolcus castellanus de Gnezna, Trebezlavus castellanus de Zhibansim, Iohannes castellanus de Srem, Henricus procurator domini ducis et alii quam plures. Acta sunt hec anno Domini M.CC.XLVII in Poznania Kalendas Iulii, Indictione quinta.

Paradysus, *Paradyż.* Pakolisse, *niegdyś osada nad jeziorem Paklica, dziś znikła.* Lukna, *Łekno.* Obra, *Obra.* Chirnelin, *Czerlejno.* Zhibansim, *Zbąszyń.* Srem, *Śrem.*

Nr. 263.

Boleszlavus dux Polonie 1247 Jul. 3, in cenobio b. Laurencii ante Kalis; ecclesiae Poznaniensi villas Jeligowo et Wiewierczyn cum libertatibus caeterarum ecclesiae praedictae villarum confert.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny wypłowiały, pieczęci nie masz.

Poznań. Archiv. Capituli. I, 2. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 27.

In nomine sancte Trinitatis amen. Ego Boleszlavus Dei gratia dux Polonie notum facio universis tam presentibus quam futuris, quod ob devocionem et affectum quem habeo ad ecclesiam Poznaniensem et ad dominum Bogufalum episcopum eiusdem ecclesie, petitione ipsius ductus eidem et ecclesie ipsius villas que Gelithovo et Vevorchino nominantur contuli iure perpetuo possidendas, dans earundem villarum inhabitatoribus eandem libertatem, quam habent homines antiquas villas ecclesie inhabitantes, in ipsius diocesi constitutas. Ut autem hec nostra donacio futuris temporibus perpetue firmitatis robur optineat, presentem paginam mei sigilli munimine

[illegible]

roboravi. Actum in cenobio beati Laurentii ante Kalis anno Domini M.CC.XL.VII, V Nonas Iulii, presentibus: comite Iarostio palatino Kalissiensi, magistro Bartholomeo scolastico Lubucensi, comite Bedigostio camerario domini episcopi supra dicti.

Gelithovo, *Jeligowo.* Vevorchino, *Wiewierczyn.* Lubucensis, *de Lubusz, z niemiecka Lebus.*

Nr. 264.

Premisl dux Polonie 1247 Jul. 3, in Trono ad sanctam Mariam; confirmat donationem hereditatis Rogalin, a Nicolao canonico certa sub conditione ecclesiae Poznaniensi factam, eiusque incolis libertates antiquarum praedictae ecclesiae villarum concedit.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 146. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 29.

In nomine Dei eterni amen. Quoniam acta et voluntates hominum per intervalla temporum solent variari, necesse est quod ea que debent perpetuari, litterarum apicibus annotentur, ut sic posterorum noticie presententur. Inde est quod nos Premisl Dei gratia dux Polonie notum esse volumus omnibus tam presentibus quam futuris, quod in nostra et venerabilis patris nostri domini Bogufali episcopi Poznaniensis nostrorumque baronum presentia constitutus dominus Nicolaus Poznaniensis canonicus, dedit libere, nullo impediente vel etiam reclamante, hereditatem suam Rogalino nuncupatam eeclesie Poznaniensi. Cui donationi nos pium assensum prebentes et ab ipso accipientes, dedimus ut consuetum est fieri in manus episcopi supradicti, qui nomine sue et nostre ecclesie Poznaniensis suscepit ipsam villam, obligans se nichilominus pro ecclesia et fratribus suis de ecclesia ad dictum dominum Nicolaum publice coram nobis, quod filium suum Iohannem clericum post mortem Nicolai in eadem locabunt villa vel alia ubi dominis videbitur expedire, quam etiam nomine ecclesie idem Iohannes cum decima quamdiu vixerit possidebit, nisi eidem Iohanni ecclesia aliter voluerit providere. Iohanne autem mortuo, redibit villa ad ecclesiam cum omnibus que tunc in ea fuerint operata, scilicet aratris, vaccis et aliis pecudibus, cum utensilibus que domum contingunt. Nos vero cum nostris nobilibus gratam et ratam habentes ordinationem sic cum ecclesia factam, damus omnem libertatem dicte ville Rogalino quam alie ville antique ecclesie habent in dominio terre nostre, et ut hec firmiter observentur, hanc litteram sub nostro sigillo dedimus nostre ecclesie consignatam. Actum in Trono ad sanctam Mariam die quarto post festum beati Petri, anno Domini M.CC.XL.VII., presentibus comite Iaroslao palatino Kalisiensi, Bogusa subcamerario Gneznensi, Bodzata subcamerario Poznaniensi, Bartholomeo scolastico Lubucensi et aliis.

Rogalino, *Rogalin.* Tronus ad s. Mariam, *sc. in Poznan.* Lubucensis, *de Lubusz, z niemiecka Lebus.*

[illegible]

[redacted]

Nr. 265.

Innocentius Pp. IV 1247 Oct. 23, Lugduni; monasterium Paradyż sub b. Petri suamque protectionem suscipit.

Pergam. orygin. Dwie dziurki od przywieszenia bulli: Innocentius Pp. IIII, *która osobno zachowana mieści w sobie wtłoczone nici czerw. i żółt. jedwabiu. Na końcu tekstu obok podpisu:* Ego Innocentius *etc. po prawéj Krzyż w pierścieniu, w którego otoku legenda:* notas michi fac domine meas vite; *w środku u góry:* Scs. Petrus | Scs. Paulus; *na dole:* Innocentius Pp. IIII; *po lewéj podpisu w monogramie:* Filii bene valete. *Przed podpisem każdego świadka narysowany znak, w jednym z rozmaitych kształtów Krzyża.*

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma A, 16. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 28.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati monasterii de Paradiso eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis. In perpetuam memoriam. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur quod absit, sacre religionis infringat. Eapropter dilecti in Domino filii vestris iustis postulationibus clementer annuentes, et monasterium sancte Dei genitricis et virginis Marie de Paradiso Poznaniensis diocesis, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum, a vobis post Concilium generale susceptam, in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea, quascunque posssessiones, quecumque bona idem monasterium impresentiarum iuste ac canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, possessiones quas habetis in locis qui dicuntur Pacoliz, Lubizi, Lubinizco, Rusinov, Sacrev, Syronov, Saborov, Conerzch, Albreccov et Cranztov, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis in bosco et in plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane, novalium vestrorum que propriis manibus atque sumptibus colitis, de quibus fructus aliquis hactenus non percepit, sive de ortis, virgultis et piscacionibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos, seculo fugientes, ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem possent sine abbatis sui licencia de eodem loco discedere; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum caucione, nullus audeat retinere. Quod si quis retinere forte presumpserit, licitum sit vobis, in ipsos monachos vel conversos regularem sententiam promulgare. Illud districtius inhibentes, ut terras seu quodlibet beneficium monasterio vestro collatum, liceat alicui personaliter dari sive alio modo alienari absque consensu totius Capituli vel maioris aut sanioris partis ipsius.

[illegible]

[redacted]

Si que vero donationes aut alienationes aliter quam dictum est facte fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hec inhibemus, ut aliquis monachus sive conversus, sub professione vestre domus astrictus, sine consensu et licentia abbatis et maioris partis vestri Capituli pro aliquo fideiubere, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat ultra summam Capituli vestri providentia constitutam, nisi propter manifestam vestre domus utilitatem; quod si facere forte presumpserit, non teneatur Conventus pro his aliquatenus respondere. Licitum preterea sit vobis in causis propriis, sive civilem sive criminalem contineant questionem, fratrum vestrorum testimoniis uti, ne pro defectu testium ius vestrum in aliquo valeat deperire. Insuper auctoritate apostolica inhibemus, ut nullus episcopus vel alia quelibet persona ad Sinodos vel conventus forenses vos ire, vel iudicio seculari de vestra propria substancia vel possessionibus vestris subiacere compellat, nec ad domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel conventus aliquos publicos convocandi venire presumat, nec regularem abbatis vestri electionem impediat, aut de instituendo vel removendo eo qui pro tempore fuerit, contra statuta Cisterciensis Ordinis se aliquatenus intromittat. Si vero episcopus in cuius parrochia domus vestra fundata est cum humilitate ac devotione qua convenit requisitus, substitutum abbatem benedicere et alia que ad officium episcopale pertinent vobis conferre renuerit, licitum sit eidem abbati, si tamen sacerdos fuerit, proprios novicios benedicere et alia que ad officium suum pertinent exercere, et vobis omnia ab alio episcopo percipere que antea fuerunt indebite denegata. Illud adicientes, ut in recipiendis professionibus que a benedictis vel benedicendis abbatibus exhibentur, ea sint episcopi forma et expressione contenti, que ab origine Ordinis noscitur instituta; ut scilicet abbates ipsi episcopo salvo Ordine suo profiteri debeant, et contra statuta Ordinis sui nullam professionem facere compellantur. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesiarum, sive pro Oleo sacro vel quolibet ecclesiastico Sacramento, nullus a vobis sub obiectu consuetudinis vel alio modo quidquam audeat extorquere, set hec omnia gratis vobis episcopus diocesanus impendat. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire antistitem, graciam et communionem apostolice Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatur impendat. Quod si sedes diocesani episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica Sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradictione possitis; sic tamen, ut ex hoc in posterum proprio episcopo nullum preiudicium generetur. Quia vero interdum proprii episcopi copiam non habetis, si quem episcopum, Romane Sedis ut diximus graciam et communionem habentem et de quo plenam noticiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum et vestium ac consecrationes altarium, ordinationes monachorum, auctoritate apostolice Sedis recipere valeatis. Porro, si episcopi vel alii ecclesiarum rectores in monasterium vestrum vel personas inibi constitutas suspensionis, excomunicationis vel interdicti sententias promulgaverint, seu etiam in mercennarios vestros pro eo quod decimas sicut dictum est non persolvitis, sive aliqua ocasione eorum que ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros pro eo quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex caritate prestiterunt vel ad laborandum adiuvarunt in illis diebus in quibus vos laboratis et alii feriantur, eandem sententiam protulerunt: ipsam tanquam contra Sedis apostolice indulta prolatam decernimus irritandam; nec littere ille firmitatem habeant, quas tacito nomine Cisterciensis Ordinis, et contra indulta apostolicorum privilegiorum constiterint impetrari. Preterea, cum commune interdictum terre fuerit, liceat vobis nichilominus in vestro monasterio, exclusis exorcitatis et interdictis, di-

[illegible]

[redacted]

vina officia celebrare. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna in posterum sollicitudine providere volentes auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus Ordini vestro concessas, necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti privilegio comunimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque in divino iudicio existere se de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus, sit pax Domini nostri Ihesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum Iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Innocentius catholice ecclesie Episcopus.

† Ego Petrus ecclesie sancti Marcelli presbyter cardinalis. † Ego frater Iohannes tituli sancti Laurentii in Lucin presb. card. † Ego frater Hugo tituli sancte Sabine presb. cardin. † Ego Oto Portuensis ecclesie sancti Rufini episcopus. † Ego Petrus Albanensis episcopus. † Ego Iohannes sancti Nicolai in carcere Tullian. diacon. card.

Datum Lugduni per manum magistri Marini sancte Romane ecclesie vicecancellarii X Kalendas Novembris, Indictione VI, anno dominice Incarnacionis M.CC.XLVII, pontificatus vero domini Innocentii Pape IIII anno quinto.

Paradisus, *Paradyż.* Pacoliz, *niegdyś osada nad jeziorem Paklica, dziś znikła.* Lubizi, *zam. Lubrze, dziś Liebenau.* Lubinizco, *później villa Martini, dziś Merzdorf.* Rusinov, *dziś z niemiecka Rinnersdorf.* Sacrev, *Zakrzewo.* Syronov, *mylnie zam. Sroczewo.* Saborov, *Zaborowo.* Conerzch, *Konarskie.* Albreccov, *niegdyś osada w okolicy miasta Dolsk, dziś znikła.* Cranztov, *Chrząstów.*

Nr. 266.

Innocentius Pp. IV 1247 Nov. 7, Lugduni; indulget ecclesiae Gneznensi, ut ad providendum alicui in pensionibus aut beneficiis, per litteras apostolicas absque speciali s. Sedis mandato compelli non possit.

Pergam. orygin., pismo zatarte. Na niciach jedwabnych żółtych przywieszona bulla: Innocentius Pp. IIII.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. I, 3.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo et dilectis filiis Capituli Gnezdnensis salutem et apostolicam benedictionem. Devotionis



Nr. 344.

Boleslaus dux Polonie 1256 s. d., in Gnezna; ratam habet permutationem quarundam hereditatum et ecclesiarum, quam frater suus Premisl dux Poloniae et fratres Hospitalis s. Iohannis in Poznań secum fecerant, et villis eorundem fratrum in suo ducatu sitis plurimas libertates confert.

Kopia w zeszycie papierowym bez podania źródła; pismo XVIII wieku.

Praga. Archiv. prioratus Ordinis equitum Melitensium.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Quoniam omnes morimur simul in unum, dives et pauper, nec est aliquid quod in mortis articulo tantum valeat hominum cuilibet suffragari sicut misericordia, que sola est comes defunctorum: iustum est, maxime nobis qui pre ceteris a Domino bonis presentibus honoramur, hec largius et misericorditer Deo in personis que sibi serviunt impertiri, ut sic in futuro districtum iudicem eo facilius nobis placabilem inveniremus. Notum sit igitur omnibus tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie confirmamus ac ratam et inviolatam esse volumus in perpetuum permutacionem, quam illustris princeps dominus Premislius uterinus frater noster dux eiusdem Polonie de nostro consensu fecit cum fratribus Hospitalis sancti Iohannis in Poznan, videlicet super ecclesia de Obrzyck et hereditatem Sedlecz vocatam cum suis utilitatibus, et super ecclesia de Rogozen cum villis et eius adscripticiis et decimis, quarum nomina in privilegio continentur dato a fratre nostro domino P. eisdem fratribus super dicta permutacione, ubi et ipse modus permutacionis continetur. Confirmamus et libertatem que in eodem privilegio est conscripta et data a fratre nostro sepedicto, volentes ut in villis que site sunt in nostro ducatu que ad eandem religionem pertinent, ut Radlowo, Sedlcze, Pohorelicia, ipsa libertas que data est et conscripta, tam a fratribus iam dictis quam ab hominibus eorum in ipsis villis degentibus perpetualiter teneatur. Constituimus siquidem ob reverenciam predicti Hospitalis, predictas villas a servitute esse liberas, que prevod, povoz, stroza et podworove nuncupatur. Et si quid iuris habent in aliis villis et libertatis, hoc in istis possideant in nomine Ihesu Christi, et in illa que dicitur Belavi, quam fratribus et iam dictis villis annumeramus. Addimus insuper, quod homines memorati Hospitalis non citentur nisi sigillo nostro coram nobis; et si iudicati fuerint ad sex (sic) marcas, vaccam vel urnam mellis; et pro suppit (sic) triginta denarios solvant. Concedimus eciam eidem Hospitali, ut quociens fratres eiusdem per terram nostram transeant ementes et vendentes ea que ad necessaria domestice cure pertinent, per thelonearias eciam vias, ab omni exactione cuiuslibet solucionis sint liberi et immunes. Que omnia ut robur firmitatis tam a presentibus quam futuris obtineant, sigilli nostri impressione et appensione presentem litteram curavimus communiri. Datum in Gnezna anno gracie M.CC.L.VI. presentibus hiis testibus: Iarostio filio Falonis, Iohanne filio Richardi, Mutina preposito sancti Georgii, Chrostla.

Obrzyck, *Obrzycko.* Sedlecz, *Siedlec.* Rogozen, *Rogożno.* Radlowo, *Radłowo.* Pohorelicia, *Pogorzelica.* Belavi, *Bielawy.*

[illegible]

[redacted]

Nr. 345.

Alexander Pp. IV 1257 Jan. 18, Laterani; bullam quam ediderat: **Gregorius Pp. IX 1235 Jun. 26, Perusii,** in qua documentum quod conceperat: **Wladislaus dux Polonie 1234 Sept. 22 s. l.,** est inscrtum, transsumi facit.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabn. żółt. i czerwon. przywieszona bulla: Alexander Pp. IIII.

Bibl. X. X. Czartoryskich. Diplomata.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Wlodizlavvo preposito ecclesie Wissegradensis capellano nostro, et nobili viro Henrico duci Slesie salutem et apostolicam benedictionem. Cum dudum inter inclite recordationis Henricum avum et H. patrem vestrum quorum estis heredes ex parte una, et bone memorie Wlodizlavum ducem Polonie ex altera super terra Polonie questio fuisset exorta, tandem mediantibus venerabili fratre nostro F. Gneznensi archiepiscopo et bone memorie P. episcopo Poznaniensi amicabilis inter partes compositio intervenit, prout in litteris inde confectis plenius continetur. Felicis quoque recordacionis G. Papa predecessor noster compositionem ipsam, sicut rite sine pravitate proinde facta extitit et ab utraque parte sponte recepta et aliquamdiu etiam pacifice observata, per suas litteras confirmavit, litterarum predictarum super arbitrio huiusmodi confectarum tenorem eiusdem confirmationis sue litteris inseri faciendo, prout ex regestro ipsius predecessoris, continente earundem litterarum suarum tenorem, nobis constitit manifeste. Verum, quia huiusmodi eiusdem predecessoris littere cansu (sic) fortuito ut asseritis sunt amisse, nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis in hac parte de circumspectione Sedis apostolice curaremus. Quoniam igitur propter sinceritatem devocionis vestre favoris nostri provenire debet auxilio, ut quod pro iuris vestri conservatione deposcitur, affectu benivolo provide concedatur: nos vestris supplicationibus inclinati tenorem predictarum litterarum predecessoris eiusdem de prefato regestro sumi fecimus et sub bulla nostra de verbo ad verbum diligencius annotari, illum vobis in testimonium transmittentes, qui talis est: *(Sequitur diploma Nr. 182).*

Statuimus ergo tenorem huiusmodi taliter annotatum illum per omnia obtinere vigorem, quem sepedicte ipsius predecessoris littere, si apparuerent bullate, noscerentur habere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani XV Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno tertio.

Wissegradensis, *de Wyszehrad w Czechach.* Terra Polonie, *późniéj* Polonia Maior, *t. j. Wielkopolska.*

[illegible]

Nr. 346.

Premisl dux Polonie Maioris 1258 (sic) Febr. 2, in Pobedisca; vendit advocatiam in oppido Pobiedziska Johanni, eamque multiplicibus privilegiis munit.

Wilanow, Biblioteka. Rejestr rewizorów do Wielkopolski, fol. 88 v.

In nomine Domini amen. Momenti temporum longa cum distancia dilabant ea que in hiis aguntur et sepius veniunt in oblivionem, nisi annotata fuerint apicibus literarum et testium subscripcione. Noverint igitur tam presentes quam futuri presens scriptum intuentes, quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie Maioris notum esse facimus presentem paginam inspecturis, quod de consensu baronum nostrorum in civitate nostra que vulgariter Pobedisca nuncupatur advocaciam in perpetuum vendidimus pro quatuor centis marcarum argenti usualis Iohanni, quam Petrus sororinus ipsius quondam advocatus in iam dicta civitate possidebat, quam advocaciam videlicet uxor Petri dicti et omnes eius amici post mortem ipsius in manus nostras resignarunt. Nos vero dicto Iohanni et sue posteritati omnem libertatem et ius in ea ipsa advocatia, hoc est tam a bello quam ab omni servicio et ab omnibus dacionibus, vulgariter od szoszow, et generaliter ab omnibus solucionibus intercedentes (sic), vulgariter od porembow, et aliis omnibus impedimentis et impedire valentibus ei promisimus conservare. Adiungentes sibi quatuor mansos possessionatos, de quibus incole sibi debent censuare super quodlibet festum sancti Martini gloriosi confessoris fertonem argenti usualis bene ponderati, et quatuor mensuras siliginis, quatuor tritici et quatuor avene superflue mensurate; et alios tres in allodium ipsius, qui mansi tres iacent post aream ipsius, hoc est penes viam Kotlowska usque ad viam Kostrynska, tam late et longe usque ad graniciem Prandno: et hoc cum omnibus attinentiis, rubetis, quercetis, silvis, borris, gaiis, et cum laneo (sic) qui ibidem iacet penes granicies Prandno in fine eorundem mansuum, qui vocantur Prandzonek; et quartum mansum qui iacet inter mansos civium, qui mansi a diuturnis temporibus sunt liberi a decimis et aliis omnibus solucionibus: etiam nos eos in perpetuum vendidimus liberos. Adiungimus eciam sibi omnimode et dominio nostro confirmamus nostro advocato Iohanni et suis posteris, quod omne iudicium in civitate Pobedisca, cuiuscunque casus se obtulerit, tale audacter in domo suo cum suis scabinis ab ipso electis, quos semper eligere debet secundum placitum ipsius, videlicet secundum quod quelibet causa vel cause cuiuslibet maleficii exigit, talem penam inferat nostra functus auctoritate. Casus vero qui possint in supradicta civitate evenire, sicut est furtum, homicidium, sacrilegium, incendium, vulneracio gladii, cultelli et baculorum, supradictus advocatus cum suis posteris maleficos tales deprehendat et iudicet cum suis scabinis nulli iudicium deferendo, sed ipse audacter secundum quod sibi videbitur et suis scabinis, penam imponat de quolibet casu prout sibi videbitur expedire. De istis iudiciis et aliis quibuscunque, nobis cedant duo denarii et advocato supra nominato et suis posteris tercius denarius cedat, sic ut est ius Theutonicum statutum. Adiungimus sibi eciam omnem solucionem iuramentorum, alias przisanszne, et cuiuslibet iudicati tercium denarium, hoc est vadimoniorum et omnium aliarum penarum quecunque in hac civitate Pobedisca consequentur; similiter et tercium denarium quod vulgariter podvorove nuncupatur, et tercium denarium iuris civitatis,

[illegible]

[illegible]

[illegible]

nimine presentem paginam fecimus roborari. In huius rei testimonium sigillum Capituli Poznaniensis fecimus apponi. Acta sunt hec anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, in Cathedra beati Petri apostoli coram nobis in Poznan, presentibus Pretpelco palatino, Iohanne cancellario nostro, Bascho custode et aliis quam plurimis.

Obra, *Obra.* Smarsewo, *dziś z niemiecka Schmarse.* Siedlec, Rokitnica, Babimost, *dziś tak samo.* Potopisco, *nie odgadnione.*

Nr. 348.

Gneznensis ecclesie Capitulum 1257 Mart. 24, in Gnezna; commutat villam suam Wyszakow cum villa Absalonis clerici dicta Opatowko, et decimas in villa Wyszakow pro decimis monasterii de Lubin in praedicta villa Opatowko.

Pergam. orygin. Sznurki jedwabne od przywieszenia dwóch pieczęci.
Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 25.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Quoniam iuris auctores indempnitati ecclesiarum et quieti providere intendentes, predia earundem que sine dispendiis pluribus et incommodis regi sive instrui nequiunt nec defendi, pro melioribus ac magis utilibus permutari concesserunt: licuit et licet prelatis ecclesiarum cum eorum Capitulis hec predia, sic tamen ut meliora prospiciant, permutare. Inde est quod nos Gneznensis ecclesie Capitulum, considerantes ex vicinitate villarum Capitulo nostro pertinentium plurima nobis commoda provenire, communi ac diligenti deliberatione habita, villas remotas de quibus parvam vel nullam consequimur utilitatem, pro vicinioribus duximus permutandas. Sed quia hec permutationes sine consensu prelatorum fieri nulli Capitulo sunt concesse, nos domini nostri Fulconis archiepiscopi gratuito consensu petito et obtento, villam Capitulo nostro pertinentem Wisakow nomine in dyocesi Poznaniensi sitam, pro villa Opatow in dyocesi domini nostri existente cum Absalone clerico filio Bernardi de Polvica permutavimus, eandem permutationem tam pro nobis et nostris successoribus ex una parte, quam pro ipso et eius posteris ex altera in perpetuum ratam et firmam promittentes observare. Permutatio tamen hec solummodo pro villa teneatur memorata; sed si denuo aliquam de villis nostris permutare indiguerimus, eiusdem domini nostri Fulconis archiepiscopi consensus ad hoc specialis erit requirendus. Ceterum, quia decima de Wisakow nostro Capitulo pertinuit ab antiquo, decima vero de Opatow abbas et Conventui de Lubin: ut villam Opatow pleno iure pacifice possideremus et quiete, decimas easdem cum Conventu et abbate permutavimus memoratis, domini nostri Fulconis archiepiscopi mero, pleno et benigno consensu accedente. Super hec etiam dictis abbati et Conventui, domini nostri archiepiscopi et nostrum privilegium contulimus speciale. In cuius rei testimonium presentem paginam domini nostri archiepiscopi et Capituli nostri sigillis duximus roborandam. Datum in Gnezna anno gratie M.CC. quinquagesimo septimo, Indiccione quinta decima, nono Kalendas Aprilis.

Wisakow, *Wyszakow.* Opatow, *Opatowko.* Polvica, *Pulwica.* Lubin, *Lubin.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Nr. 349.

Capitulum ecclesie Gneznens. 1257 Mart. 24, in Gnezdna; protestatur, se decimas suas de villa Wyszakow dedisse monasterio de Lubin pro decimis eius de villa Opatowko.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia dwóch pieczęci.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B. 9. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. (Fac simile.)

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Quoniam sancti patres, plurimas in Ecclesia Dei pro eiusdem comodo et quiete statuentes sanctiones, inter ceteras permutationes eciam decimas ecclesie cum eciam locorum et temporum qualitate qualitate (sic) considerata permutari concesserunt, nos Gneznensis ecclesie Capitulum decimam de villa Visachov nostro Capitulo pertinentem pro decima de Opatov cum Iacobo abbate ac eius Conventu de Lubin permutavimus, pio ad hoc favore ac benigno assensu domini nostri Fulconis archiepiscopi accedente, et hoc tam nostro quam predictorum abbatis et Conventus de Lubin comodo pronotato (sic). In cuius rei testimonium presentem paginam domini nostri F. archiepiscopi et nostri Capituli sigillis duximus roborandam. Datum in Gnezdna anno M.CC. quinquagesimo septimo, Indictione XV, nono Kalendas Aprilis.

Visachov, *Wyszaków*. Opatov, *Opatówko*. Lubin, *Lubin*.

Nr. 350.

Premisl dux Polonie 1257 s. d., in Moder; declarat, se monasterium Paradyż, quod amplissimis munit privilegiis, ob commutationem haereditatis Pamiątkowo defensurum.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia pieczęci księcia Przemysława, która osobno zachowana; (pieczęć XV.)

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B. 10. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 42.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Variari solent rerum noticie processu temporis, nisi scripti autentici et probabilium virorum testimonio perhennentur. Innotescat igitur tam presentibus quam futuris, quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie dilectos in Christo fratres monasterii de Gostichow, quod Paradisus nuncupatur, Ordinis Cysterciensis, intuitu divine remunerationis et pro comutatione hereditatis que vulgariter Pamentkovo nuncupatur propensius defendere ac tueri satagimus, et presentis scripti privilegio comunimus. In primis conferentes et fideliter eis confirmantes omnimodam libertatem in omnibus hereditatibus ipsorum, quas nunc possident aut in futurum sunt posessuri et novis nominibus appellaturi; villas iure Teutonicali locandas plenam habeant facultatem in omni dominio nostro. Nec umquam aliquis temeraria presumptione in bonis eorum, scilicet agris, pratis, aquis, silvis seu nemoribus vel ceteris utilitatibus nocere aut invadere presumat frivole obviando, set

[illegible]

sint omnia bona et omnes utilitates ipsorum perhenni quiete feliciter firmate. Denique, ne homines eorum qui in hereditatibus iam dicti monasterii manserunt, urbes aut civitates edificare et reparare cogantur, nisi ob defensionem ducatus nostri ab irruentibus inimicis tota terra comuniter fuerit convocata. Quibus etiam largam concedimus licentiam, ut cum suis mercimoniis omnia fora frequentent, non obstante omnino alicuius contumacia nocendi. Set ne iudicum quisquam eis molestiam aliquam audeat inferre in nullo omnino iudicio et negotio, quin eciam nec eos audeat quis provocare ante quodlibet castrum aut castellanum seu quemlibet iudicem, nisi ante nos, et hoc non sine sigillo nostro. Sint eciam ab omni secularis iuris, videlicet advocacie, budelliorum nostrorum, comunis placiti, expedicionis, urbani operis et a iure quod Herschilt dicitur, vel qualibus serviciis aliorum ville subiacent qui similem libertatem non obtinent, hoc est a prevod, a strosa, a podvorove, a powos, a naraz, a slad, ab occisione capitis, a ponte edificando seu reparando, et ab omni prorsus solutione tam nostra quam successorum nostrorum perpetualiter exempti. Preterea soltetis villarum quas fratres supradicti cenobii iure Teutonicali locaverint, fures et malefactores puniendi et maiora iudicia cum minoribus exercendi potestatem perpetuo conferimus. Fratres igitur iam nominati monasterii, et res et currus et homines ipsorum qui intraverint ad possidendas hereditates eorum, in omni dominio nostro a solutione thelonei exemptos esse perpetuo concedimus. Nec ulli omnino liceat hanc paginam violare. Quicunque igitur temerarie hoc infringere vel his contraire presumpserit, Dei omnipotentis et nostro simul iudicio se cognoscat in novissimo die reum. Ut igitur hec omnia rata et inconvulsa perpetuo permaneant, sigilli nostri appensione presentem paginam roboramus. Acta sunt hec anno gracie M.CC.L.VII in Moder, presente domino Henrico eiusdem cenobii abbate, coram nobis et nobilibus nostris quorum hec sunt nomina: comes Iarostius filius Falonis cum fratre suo Sandivoyo, dominus Iohannes archidiaconus Poznaniensis et cancellarius noster, Mistignewus filius Mathie, Vincentius filius Nemere, Iacobus clericus filius Alberti.

Paradisus, *Paradyż.* Pamentkovo, *osada znikła w okolicy miasta Zaniemyśl.* Moder, *Modrze.*

Nr. 351.

Premisl dux Polonie 1257 s. d., in Moder; declarat, se monasterium Paradyż ob commutationem haereditatis Pamiątkowo defensurum, bona etiam omnia et haereditates ipsius iure Theutonico locari concedit, easque amplissimis privilegiis munit.

Rogalin. Biblioteka. Lib. privil. Paradisi A. Nr. 96.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Variari solent rerum noticie processu temporis, nisi scripti authentici et proborum virorum testimonio perennentur. Innotescat ergo tam presentibus quam futuris, quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie dilectos in Christo fratres monasterii de Goscichovo, quod Paradisus nuncupatur, Ordinis Cysterciensis, intuitu divine remuneracionis et pro commutacione hereditatis que vulgariter Pamentkovo nuncupatur propensius defendere ac tueri satagimus et presentis scripti privilegio communivimus. In primis conferentes et fide-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

liter eis confirmantes omnimodam libertatem in omnibus hereditatibus ipsorum quas nunc possident aut in futurum sunt possessuri et novis nominibus appellaturi, ut puta Sacrew, Boleliz. Villas iure Theutonicali locandi plenam habeant facultatem in omni dominio nostro; nec unquam aliquis temeraria presumpcione in bonis eorum, scilicet agris, pratis, aquis, silvis seu nemoribus et ceteris utilitatibus nocere aut invadere presumat frivole obviando. Hec sunt omnia bona ac ville monasterii Paradisus: Calava, Wisoke, Minor Pisk, Wissonow maior, Minor Wissonowo, Grodisze, Kelpino, Carnino, de Milostowo, Suchcino, Lini, Camonka, Mlodavsko, Grodiz, Cholmen, Ducsko, Lauski, Zaborovo, Zakrevo, Sirotsevo, Chranstovo, Albrechtovo, Kottovo, Polovicia, Cunarske, Gorka cum transductu trans Wartham, Sobewetz, utraque Sworice, et omnes ipsorum perenni utilitates quiete feliciter servare. Denique, ne homines eorum qui in hereditatibus iam dicti monasterii manserint urbes aut civitates edificare et reparare cogantur, nisi ob defensionem ducatus nostri ab irruentibus inimicis tota terra communiter fuerit evocata. Quibus eciam largam concedimus licenciam, ut cum suis mercimoniis omnia fora frequentent, non obstante omnino alicuius contumacia nocendi. Sed nec iudicum quisquam eis molestiam aliquam audeat inferre in nullo omnino iudicio et negocio, quin eciam nec eos audeat quis provocare ante quodlibet castrum aut castellanum seu quemlibet iudicem, nisi ante nos, et hoc non sine sigillo nostro. Sint eciam ab omni secularis iuris, videlicet advocacie, budelliorum nostrorum, communis placiti, expedicionis, urbani operis et a iure quod Herschilt dicitur, vel qualibus serviciis aliorum ville subiacent qui similem libertatem non obtinent, hoc est a prevod, a strosa, a podvorowe, a povos, a naraz, a slad, ab occisione capitis, a ponte edificando seu reparando, et ab omni prorsus solucione tam nostra quam successorum nostrorum perpetualiter exempti. Preterea scultetis villarum quos fratres supradicti cenobii iure Theutonicali locaverint, fures et malefactores puniendi et maiora iudicia cum minoribus exercendi potestatem perpetuo conferimus. Fratres igitur iam nominati monasterii, et res et currus et homines ipsorum qui intraverunt ad possidendas hereditates eorum, in omni dominio nostro a solucione telonei exemptos esse perpetuo concedimus. Nec ulli omnino liceat hanc paginam violare; quicunque autem temerarie hoc infringere vel contraire presumpserit, Dei omnipotentis et nostro simul iudicio se cognoscat in novissimo die reum. Ut igitur hec omnia rata et inconvulsa perpetuo permaneant, sigilli nostri appensione presentem paginam roboravimus. Acta sunt hec anno gracie millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo in Moder, presente domino Henrico eiusdem cenobii abbate, coram nobis et nobilibus nostris quorum sunt hec nomina: comes Iarostius filius Falonis cum fratre suo Sandzivogio, dominus Iohannes archidiaconus Poznaniensis et cancellarius noster, Msigneus filius Mathie, Vincencius filius Nemere, Iacobus clericus filius Alberti.

Paradisus, *Paradyż*. Pamentkowo, *niegdyś osada nad jeziorem Zaniemyślskiem, dziś znikła*. Sacrew, *Zakrzew*. Boleliz, *Bolewice*. Calava, *Kaława*. Wisoke, *Wysokie*. Minor Pisk, *Pieski*. Wissonow maior, et W. minor, *Wyszanowo*. Grodisze, *Grodzisk*. Kelpino, *Kiełpin*. Carnino, *dziś z niemiecka Kernein*. Milostowo, *Miłostowo*. Suchcino, *Słocin*. Lini, *Linie*. Camonka *czyli Zawłostowo, osada znikła pod wsią Kamionna*. Mlodavsko, *dziś tak samo*. Grodiz, *dziś z niem. Grätitz*. Cholmen i Ducsko, *miejsca nie osadzone, których nazwy dziś znikły*. Lauski, *nie odgadnione*. Zaborovo, Zakrevo, *dziś t. s.* Sirotsevo, *Sroczewo*. Chranstovo, *Chrząstowo*. Albrechtovo, *niegdyś osada w pobliżu*

[illegible]

ad peticionem eiusdem episcopi per omnes dyoceses Gneznensis provincie excommunicatus similiter nuncietur. Si autem per tres menses excommunicacionem huiusmodi contempserit corde duro, extunc dyocesanus episcopus, convocato clero et populo ad ecclesiam cathedralem ad aliquam certam diem et solempnem, illoque excommunicato ad diem illam citato, sive venerit sive non, sentencialiter et solempniter privet excommunicatum predictum omni beneficio ecclesiastico, obtinendo pariter et obtento; ita quod in tota Gneznensi provincia ad aliquam dignitatem non possit de cetero in perpetuum promoveri, nec predictum beneficium nec aliud obtinere, nisi de dispensacione Sedis apostolice speciali. Et si tandem rubore perfusus absolucionem pecierit, nisi prius dictum beneficium plenarie restituerit spoliato eique refuderit proventus quos de beneficio eodem percepit vel percipere potuit, et de dampnis et iniuria ei ad bonorum virorum arbitrium satisfecerit competenter, absolucionis munus ei penitus denegetur. Verumptamen in morte, si solvendo non fuerit et absolucionem pecierit, in forma ecclesie absolvatur, sed in penam presumpcionis sue sepultura careat Christiana.

Ut illi quibus debentur decime, recipiant eas infra octo dies post messes. Cum ex naturali lege quam omnes habent in cordibus suis scriptam, non liceat alicui facere alteri quod sibi debere fieri non vellet: quidam contra legem huiusmodi venientes, decimas que eis debentur et que debitores completis messibus eis statim solvere sunt parati, nolunt recipere, eciam a debitoribus instancius requisiti; volentes eos per hoc cogere ad ipsas decimas quantum voluerint, componendas. Nam cum de consuetudine patrie, debitores decimarum non possint suas novem partes removere de agro nisi prius decima persoluta, si pro ipsis decimis tantum dare noluerint debitores quantum requiritur ab eisdem, illi quibus debentur hac consuetudine abutentes, decimam suam in agro scienter corrumpi pocius paciuntur, ut et novem partes debitoris decime in agro pariter corrumpantur. Et quoniam istud est manifeste legi contrarium naturali, cum nullus fieri talia ab aliquo sibi vellet, abusum huiusmodi de cetero fieri prohibemus mandantes, ut circa recepcionem decimarum vestrarum vos de cetero taliter habeatis, quod pauperes non graventur et vos propter hoc non contingat offensam incurrere Creatoris.

Contra milites qui inpediunt vendicionem decimarum. Illud autem precipue intollerabile reputamus, quod quidam milites, vel alii clerici, vel laici, volentes villarum suarum vel aliarum decimas obtinere, diversis modis impediunt ne aliquis a viris ecclesiasticis eas emat: ut decimas ipsas, invitis illis ad quos pertinent, occupare valeant violenter: et quandoque promittunt, se reddituros pro illis minus in duplo vel triplo quam valeant, et tamen vix aut nunquam volunt eciam ea solvere que promittunt; et sic pereunt ecclesiarum decime ac iura ecclesiastica minuuntur. Et interdum contingit, quod cum aliquis miles sic decimam aliquam renuerit multis annis, heredes eius decimas illas dicunt ad se iure hereditario pertinere. Que auctoritate qua fungimur tollerari de cetero prohibemus, mandantes et precipientes, ut episcopi et alii prelati ad quos pertinet censuram ecclesiasticam exercere, cum eis constiterit de premissis, predictos milites et alios quoscunque conpescant viriliter per censuram predictam a violenciis et iniuriis antedictis, ita quod non videantur deferre homini contra Deum.

Ut milites colonis decimas non remittant. Est et aliud quod non debet sub dissimulacione aliqua pertransiri. Contingit enim interdum in partibus istis, quod aliquis dux vel princeps volens milites, Theutonicos vel alios, in suo servicio retinere,



concedit eis in feudum terras aliquas in suo dominio constitutas, de quibus coloni alicui ecclesie vel persone ecclesiastice consueverant rectam decimam solvere ab antiquo. Illi vero milites volentes de alieno facere largitatem, ut maiorem censum de terris recipiant antedictis, aliis agricolis locant eas, quibus remittunt de terris predictis sextum mansum omnino a decima liberum et sextam partem aliarum omnium decimarum, promittentes eisdem, quod ipsos de eadem remissione erga omnes clericos liberabunt. Unde contingit, quod si forte episcopus vel alia persona ecclesiastica qui de eisdem terris rectam consueverant decimam recipere, dictos agricolas super hoc inquietant, dicti milites per minas et occupacionem bonorum suorum illos compellunt, ut ab huiusmodi inquietacione desistant. Faciunt etiam milites antedicti aliud quod valde aggravat dictum factum: nam eciam illud quod deberent solvere ultra dictum sextum mansum et sextam partem omnium decimarum, in campo nolunt persolvere secundum quod fieri consuevit, sed in horreo suo; et non decimas vel nomine decime, sed quendam solvunt numerum mensurarum, longe minorem recto numero decimarum, ut sic aliquando omne ius quod Deus habet in decimis deleatur. Quia igitur ex predictis et Deus et homines offenduntur, ea tolerari de cetero prohibemus nisi forte urgens necessitas vel evidens utilitas hoc requirat, vobis qua fungimur authoritate mandantes, ut omni personarum accepcione exclusa, prefatos milites a predictis excessibus compescatis et ad satisfaciendum de commissis taliter compellatis, quod culpa eorum non incipiat esse vestra, nec sustineatis ut recedatur a solucione recta et loco consueto et nomine decimarum: ne quod per multos sudores, et si fas est dicere, sanguines est a vestris predecessoribus acquisitum, conservare per incuriam negligatis.

De Corpore Christi a fidelibus processionaliter subsequendo, et de indulgencia subsequencium. Inter alia mira et mirabilia admiranda que mirabilis in altis Dominus noster fecit, illud est pre ceteris mirabilibus excellencius honorandum, in quo ipse se dedit timentibus se in escam; et hoc est illud Corporis sui sacri venerabile Sacramentum, quod ipse ad Patrem transiens ex hoc mundo, nobis tanquam memoriale mirabile et delectabile dereliquit, ut illud memorabile nostre commendaretur memorie, mirabile intelligencie et delectabile voluntati. Que non cogitantes quidam presbyteri indevoti, deferentes prefatum Corpus dominicum ad infirmos, illud per vicos et plateas adeo deferunt indevote, quod populus eidem venerabili Sacramento minus impendunt reverencie et honoris. Quocirca mandamus, ut quam cito presbyter fuerit requisitus ut ad infirmum deferat sacratissimum Corpus Christi, statim accedens ad ecclesiam pulset maiorem campanam suam ita quod per parochiam audiatur, et tunc parochiani super hoc a presbyteris eruditi ad ecclesiam veniant festinanter, pro societate usque ad domum infirmi dicto venerabili Sacramento et sacerdoti humiliter facienda. Et interim presbyter abluat manus suas, et procedens cum lumine, aqua benedicta et campanula ad infirmum, populus eundem, bini ac bini, humiliter subsequatur; et dum presbyter infirmo sacram Eucharystiam ministrabit, populus ipsum et Sacramentum ad hostium expectabit, et cum eodem presbytero revertente usque ad ecclesiam pariter revertentur. Et cuilibet vere penitenti et confesso qui sic processerit et redierit cum dictis presbytero et ineffabili Sacramento, quinque dies pro eundo et quinque pro redeundo de iniunctis sibi penitenciis a suis episcopis relaxentur, ut per hoc et devocio populi augeatur, et dicto honorabili Sacramento maior honor et reverencia impendatur.

De benediccione ab episcopis in cena et prandio facienda, et de graciis post prandium exhibendis. Olim solebat sacra mensa episcopi reputari, et de sacris episcopalis mense reliquiis solebant infirmi recipere sanitatem; et hoc forte virtute benediccionis episcopalis, quam in principio mense sue episcopi suis propriis sacratis et consecratis manibus super convivantes et convivia effundebant, et in fine prandii ipsi episcopi graciarum acciones ore proprio et sobrio Domino referebant. Nunc autem quidam episcopi suum erubescentes honorem, super mensam suam benediccionem facere non dignantur sed eam fieri faciunt per aliquem capellanum, ac si milites essent vel laici quibus non conpetit sicut episcopo benedicere ex officio dignitatis: propter que eorum fragmenta nec egros restituunt sospitati, nec mense ipsorum sacre sicut antiquis temporibus reputantur. Cupientes igitur ut episcopalis mensa ad effectum et honorem pristinum revertatur mandamus, ut quilibet episcopus in principio mense dicto a capellano suo vel alio benedicente, idem incipiat vel alius capellanus in prandio versum: Oculi omnium etc., et in cena versum: Edent pauperes etc., vel si fuerit dies ieiunii, eundem versum: Edent pauperes etc.; et dicto ab episcopo: Et ne nos etc., dicat ipse episcopus benedicendo dextera manu sua: Benedic Domine nos et dona tua que de tua largitate sumus sumpturi per Christum Dominum nostrum; et dicto a lectore: Iube Domne vel Domine benedicere, dicat ipse episcopus in prandio benediccionem: Mense celestis participes faciat nos rex eterne glorie, vero cibo et potu spirituali reficiat nos misericordia Christi; et in cena benediccionem: Ad cenam vite eterne perducat nos rex (eterne) glorie. Lector vero vel de biblia vel de alio libro sacre Scripture si voluerit episcopus legat, alioquin diebus dominicis et festivis aliquam brevem leccionem de Epistola vel de Ewangelio dicat, et in diebus feriatis leccionem: Deus charitas est etc. Finito autem prandio dicat lector ad mandatum episcopi: Tu autem etc.; vel ille qui in principio mense dixit leccionem brevem predictam, eam in fine finiat dicendo: Deus pacis et dileccionis maneat semper cum omnibus nostris, tu autem Domine (miserere) nobis; et responso: Deo gracias, sequatur versus in fine prandii: Confiteantur tibi Domine omnia etc. Et in fine cene dicat versus: Memoriam fecit mi. s. etc., Gloria Patri etc. usque: Seculorum amen; tunc dicat ipse episcopus: Agimus tibi gracias omnipotens Deus etc., et responso: Amen, dicantur preces diebus dominicis et festivis et cottidie in cena: Laudate Dominum omnes gentes; in diebus vero feriatis et ieiunii, vel quando cum episcopo fuerint religiosi in mensa: Miserere mei Deus. Et qui cottidie dicere voluerit: Miserere mei Deus, approbamus; Gloria Patri etc., Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson, Pater noster etc.; episcopus: Et ne nos etc.; et postea dicat preces consuetas: Dispersit, dedit pauperibus, etc. In fine: Oremus: retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen sanctum tuum vitam eternam; et responso: Amen, dicat episcopus: Benedicamus Domino, alii: Deo gracias. Episcopus statim benediccionem dando circumstantibus, dicat: Benedicat nos qui creavit, redemit et pavit nos, amen. Et in fine dicat episcopus: Anime omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei quiescant in pace, amen. Mandamus eciam vobis, ut cum per civitates et villas vestrarum dyocesum transitum feceritis equitando, manifeste benedicatis populum hinc et inde, dicentes in silencio: Salvum fac populum tuum Domine, et benedic hereditati tue: ut per benediccionem vestram huiusmodi eidem populo peccata venialia remittantur.

De clericis extraneis non ordinandis. Novimus et experti sumus in alia regione, quod multi clerici in suis partibus coniugati, sive excommunicati, seu apostate, vel

[illegible]

[redacted]

alias reprobati, suam patriam in qua cognoscuntur plenius fugientes, ad partes istas accedunt ut se faciant ad sacros ordines promoveri: et quidam episcopi iniusta moti misericordia super tales, eos passim et indifferenter ordinare presumunt in animarum suarum periculum et scandalum plurimorum. Quod de cetero fieri prohibemus statuentes, ut nullus episcopus huius provincie de cetero clericum alterius dyocesis ordinare presumat, nisi ab episcopo in cuius fuerit dyocesi oriundus, vel in cuius dyocesi beneficiatus existit, fuerit requisitus, vel per suas patentes litteras causam racionabilem continentes, quare ipsum ordinare non velit vel valeat; nisi in dyocesi ordinantis tamdiu fuerit conversatus, quod et ydoneus sit inventus, et parochianus eius merito debeat reputari. Insuper vobis auctoritate qua fungimur districcius prohibemus, ne filiis sacerdotum clericalem tonsuram de cetero conferatis, nec eos presumatis ad sacros ordines promovere, nisi prius cum ipsis fuerit authoritate apostolica super defectu natalium dispensatum.

De residencia episcoporum facienda in ecclesiis suis. Nimis est indecens et indignum, quod aliqui episcopi in civitatibus suis aliquando commorantes, nunquam intrant ecclesiam cathedralem nec visitant Crucifixum, sed plus quam extranei sunt a suis ecclesiis alieni. Et quia ex ipsorum presencia debet ecclesia honorari et divinum officium ampliari, mandamus, quatinus maxime in Quadragesima et in Adventu in ecclesiis cathedralibus suis, si fieri potest commode, resideant, et in predicacionibus faciendis et in confessionibus audiendis se studeant exercere, et erudire in fide et moribus clerum ac populum civitatis. Et aliis temporibus dyoceses suas circumeant, visitacionis et correccionis officium circa subditos sollicite impendendo. Et quociens in civitatibus suis presentes fuerint, nisi infirmitate vel alia causa racionabili fuerint prepediti, in matutinis, missa et vesperis teneantur cottidie interesse, et in omnibus maioribus sollempnitatibus vesperas, matutinas et missas cantare. Nec timore expensarum ab huiusmodi officiis spiritualibus retrahantur, sed sic in hiis faciendis curent imponere sibi modum, quod et istas faciant moderate, et illa ad que tenentur precipue, digne et laudabiliter facere non obmittant.

De esu carnium Theutunicorum et Polonorum. Cum nuper per Wratislaviensem et Cracoviensem dyoceses transitum faceremus, accesserunt ad nos Theutonici qui ad incolendam terram eandem de Theutonia advenerant, nobis querimoniam deponentes super hoc, quod eorum episcopi, ut dicebant, eos per excommunicacionis sentenciam compellebant ad hoc, ut singulis annis a Septuagesima usque ad Pascha a carnibus abstinerent: pro eo, quod homines regionum illarum eisdem temporibus ab esu carnium consueverant abstinere. Sed cum ipsi Theutonici, ut dicebant, et progenitores ipsorum consuevissent usque ad feriam terciam ante diem Cinerum comedere semper carnes, et partes istas cum tali consuetudine intravissent eamque continue et sine interrupcione servassent, nec votum sive obligacionem contrariam emisissent, nolebant ut dicebant a Septuagesima usque ad diem Cinerum ab esu carnium abstinere nec renunciare super hoc iuri suo, cum nec contra fidem nec contra observanciam universalis Ecclesie istud esset, ex maxime, cum plures ex hominibus regionum ipsarum, iam prefatis diebus carnes cum ipsis Theutonicis comedere incepissent. Nos igitur attendentes quod apostolus Paulus dicit: Quod esca nos non commendat Deo: et quod hinc et inde multitudo populi est in causa, mandamus, ut tam comedentes carnes diebus predictis quam non comedentes, in hac parte suis racionabilibus conscienciis relinquatis, prohibentes, ut ad abstinendum vel non abstinendum ab esu carnium diebus predictis nullus predictorum de cetero compellatur; sed qui manducat

[illegible]

[illegible]

[illegible]

carnes temporibus antedictis, non manducantem non spernat, et qui non manducat, non iudicet manducantem. Excommunicacionis sentencias, si que late sunt propter hoc, relaxantes.

Quomodo archiepiscopus debet suffraganeos visitare. Vobis autem domine Gnesnensis archiepiscope in virtute sancte obediencie iniungimus, ut super vestram provinciam vigilantes, omnes vestros suffraganeos et eorum ecclesias annis singulis personaliter visitetis, correccionis et reformacionis officium in clero et populo exercendo et defectus episcoporum supplendo; secundum quod in constitucione a sanctissimo patre nostro Innocencio Papa quarto nuper edita super visitacione archiepiscopi, plenius continetur.

Contra illos, qui habent duas curas. Noveritis nos mandatum recepisse apostolicum sub hac forma:

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio I. archidiacono Leodiensi capellano nostro salutem et apostolicam benedictionem. Cum te in Poloniam, Prussiam, et Pomeraniam pro bono illarum terrarum et partium statu de fratrum nostrorum consilio duxerimus destinandum, discretioni tue presentium auctoritate concedimus, ut si aliquos clericos in eisdem inveneris partibus, qui plura beneficia, curam animarum annexam habentia vel personatus, contra constitutionem Concilii generalis absque dispensatione Sedis apostolice detinere presumant, huiusmodi presumptores beneficiis seu personatibus que ultimo receperunt faciens esse contentos, alia ydoneis conferre personis, et si forte illa retinere contempserint, eos omnibus spoliare, ipsaque aliis quibus videris merito conferenda concedere valeas, et contradictores monitione premissa per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, cohercere. Datum Lugduni XIII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno quinto.

Cum igitur nondum invenerimus in partibus istis aliquem clericum de predictis, nec invenire possumus, nisi per vos, qui vultum vestri pectoris debetis agnoscere, diligenter nobis fuerit revelatus: nos cupientes mandatum apostolicum adimplere, vobis authoritate predicta qua fungimur in virtute sancte obediencie precipiendo mandamus, quatinus infra quindecim dies postquam ad dyoceses vestras redieritis, quilibet ex vobis illos quos in sua dyocesi, facta diligenti inquisicione, invenerit dicta beneficia detinere, vel procuratores eorum moneat diligenter, vel ad eorum domicilia monicionem istam coram bonis viris faciat nunciari: ut videlicet quilibet ex ipsis beneficio recepto ultimo sit contentus et aliud vel alia de facto resignet, vel infra viginti dies post monicionem predictam, vobis dispensacionem, si quam habet ab apostolica Sede super eisdem beneficiis, representet; et si forte non habet dispensacionem ab eadem Sede, eam impetret vobisque representet infra octavas proxime Epiphanie. Alioquin primos presumptores elapsis viginti diebus predictis, et secundos elapsis quindecim diebus predictis, beneficiis seu personatibus que primo receperant, predicta authoritate privamus. Et si illa forte contenderint retinere, eos omnibus predictis suis beneficiis sentencialiter spoliamus et ex tunc vacancia nuncciamus, retinentes ea collacioni nostre, et denunciantes auctoritate predicta irritum et inane quidquid ab aliquo alio, quam a nobis, super collacione illorum fuerit attemptatum. Nomina autem illorum, quos ut predictum est quilibet ex vobis in dyocesi sua monuerit infra dictos viginti dies, nobis sub sigillo suo scripta remittat fideliter, si crimen inobediencie et suspensionis sentenciam incurrere non contempnit.

De residencia abbatum. Abbatibus autem precipimus ut occasiones frivolas equitandi non querant, sed in monasteriis suis resideant et intersint divinis officiis, diur-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

nis pariter et nocturnis; in refectorio comedant et in dormitorio dormiant nisi causa racionabili secundum Ordinem fuerint prepediti, et a carnibus se abstineant, secundum quod in eorum regula continetur. Nec claustralibus denarios concedant pro vestibus vel aliis comparandis, ne inde occasionem recipiant proprietatem aliquam retinendi; sed ipsi abbates omnia procurantes recipiant, et singulis monachis provideant in omnibus et de omnibus competenter.

De parochiano alterius matrimonialiter non copulando. Cum non liceat rem alienam invito vel ignorante domino pertractari, vobis mandamus, quatinus in Synodis vestris precipiatis vestris subditis, ut nullus presbyter parochianum alienum in matrimonio audeat alicui copulare; ne forte ignorans condicionem vel factum eorum, copulet prohibitos copulari. Sed si fuerint de diversis parochiis copulandi, ille sacerdos eos copulet in cuius parochia virgo vel mulier fuerit copulanda, quia a muliere vel a matre matrimonium nuncupatur; recepto prius testimonio competenti a presbytero viri, quia legittima persona existit ad matrimonium contrahendum, et similiter e converso. Qui autem contra hoc fecerit, eciam si nullum inpedimentum inter copulatos apparuerit, ad arbitrium episcopi vel officialis eius pena debita puniatur. Si autem non copulandos eum apparuerit copulasse, eciam ignoranter, si fuerit vicarius vel plebanus, a toto episcopatu illo perpetuo expellatur; si autem curatus parochie fuerit vel persona, per annum integrum ab officio et beneficio suspendatur; et si fuerit assuetus, ipso beneficio sentencialiter spolietur.

De tribus bannis ante matrimonium in ecclesia publice faciendis. Cum autem aliqui de eadem parochia matrimonio fuerint copulandi, presbyter invocetur qui inter ipsos celebret sponsalia de futuro presentibus bonis viris, et instruat mulierem, ut manum suam ponat in manu viri. Et dicat primo vir: Ego do tibi fidem meam, quod ego ducam te matrimonialiter in uxorem meam si sancta Ecclesia consentit; et mulier similiter ei dicat. Et postea eis inhibeat presbyter, ne simul carnaliter misceantur quousque inter eos in ecclesia matrimonium fuerit publice celebratum. Et extunc presbyter in ecclesia tribus diebus dominicis vel festivis, a se distantibus, banna faciat in ecclesia pronuncians publice post Ewangelium: quod talis fidem suam dedit tali de matrimonio si sancta Ecclesia consenciat contrahendo; et ipse sub pena excommunicacionis precipiat omnibus qui sciunt aliquod impedimentum quare fieri non debeat matrimonium, ut infra tres dies in publico istud dicant: alioquin, si non dixerint, de cetero non audientur, et peccatum illicite contrahencium, eorum erit. Et si nullus apparuerit, celebret matrimonium inter ipsos. Si autem aliquis comparuerit, qui dicat consanguinitatem vel affinitatem seu compaternitatem vel aliud quodcunque inpedimentum ibi esse, presbyter ulterius non procedat, sed episcopo loci vel eius officiali denunciet, qui de dictis inpedimentis cognoscat et iudicet de eisdem. Qui autem aliquod de dictis bannis obmiserit absque episcopi vel officialis eius licencia speciali, gravissime puniatur.

De raptu virginum. Cum ad ea que frequencius accidant, iura debeant adaptari, et raptus virginum in istis partibus frequencius debito sicut audivimus attemptetur, vobis predicta authoritate precipiendo mandamus, quatinus in vestris Synodis vestris subditis in virtute sancte obediencie districte precipiatis, ne qua ecclesiastica secularisve persona audeat a rapta virgine vel muliere requirere an consenciat in raptorem, vel in eum cuius nomine aliquam constiterit esse raptam; et si quis contra hoc fecerit et propter consensum huiusmodi aliquid difficultatis emerserit, gravissime



puniatur. Consensum autem rapte diximus non tenere, donec in pristinam parentum et amicorum redierit potestatem, secundum canonicas sancciones.

De sentencia lata contra incendiarios ecclesiarum. Si eciam reos sanguinis defendit Ecclesia, multo forcius illos debet defendere et tueri, qui ad eam confugiunt innocentes ut in ea salvare valeant se et sua. Sed quidam, inter sanctum et prophanum nullam differenciam facientes, ea facilitate succendunt ecclesias ut thabernas, ac homines et bona ipsorum qui ad eas confugiunt, spoliant et usurpant in contemptum et iniuriam Crucifixi. Ne igitur facilitas venie in talibus de cetero incentivum tribuat delinquendi, eos omnes predictos ecclesiarum incendiarios et spoliatores et eciam infractores cimiteriorum, et eos quorum consilio, auxilio vel mandato fient de cetero supradicta, in presenti Concilio excommunicamus et anathematizamus, authoritate qua fungimur vobis precipientes, ut eosdem, cum de hoc vobis constiterit, excommunicatos nominatim denunciari publice faciatis singulis diebus dominicis et festivis, candelis extinctis, campanis pulsatis, ne ignorancia se valeant excusare; et arcius evitetis, nec huiusmodi sentenciam relaxetis, absque summi pontificis vel legati eius mandato vel licencia speciali.

De sentencia lata contra illos, qui paganos conducunt contra Christianos. Excommunicamus et anathematizamus omnes illos, eciam si principes fuerint vel magnates, qui de cetero contra Christianos invocabunt auxilium paganorum, vel eis stipendia ministrabunt vel ab eis recipient; nec non et illos qui cum eis federa inierunt vel contrahent, vel arma eis donabunt vel vendent vel mittent pro Christiano populo inpugnando. Et qui super hoc convictus fuerit specialiter vel confessus, vel hoc fecerit adeo manifeste quod nulla possit tergiversacione celari: excommunicatus nominatim publice nuncietur singulis diebus dominicis et festivis et arcius evitetur; et non nisi per summum pontificem vel legatum eius possit huiusmodi sentencia relaxari.

De sacris fontibus, Corpore Christi, de Chrysmate et Oleo, custodiendis sub sera. Quia multa maleficia in sacris fontibus in quibus parvuli baptizantur, ac in sacratissimo Corpore domini nostri Ihezu Christi, ac in sacro Chrysmate perpetrantur quando passim et indifferenter ingressus ad ea maleficis aperitur, ideo vobis predicta authoritate mandamus, quatinus in vestris Synodis sub certa pena precipiatis, ut omnes predicti sacri fontes omnium ecclesiarum vestrarum dyocesum, nec non et Chrysma et Oleum, et sacratissimum Corpus Christi, sub clave serantur diligentissime et claudantur ita quod nullus possit accessum ad eos habere: nisi quando parvuli fuerint baptizandi vel infirmi communicandi vel inungendi; et tunc iterum festinanter propter sorciarias et maleficas recludantur, ne in eis valeant malignari.

Contra archidiaconos non visitantes. Cum visitacio et procuracio adeo sint connexa quod unum sine altero non valeat exerceri, authoritate qua fungimur vobis precipiendo mandamus, quatinus archidiaconos vestros diligenter moneatis ut, cum secundum apostolum: Qui non laborat, non debeat manducare: de cetero pro procuracionibus suis nullam commutacionem pecunie recipiant vel requirant; sed tunc solum procuracionem habeant et requirant, quando eis contigerit ecclesias personaliter visitare; et tunc in eveccionibus septenarium numerum non excedant. Quod si mandatum huiusmodi contempnentes, fecerint contra illud et aliquem subditum defraudaverint dicto modo, ipsos ad restitucionem quadrupli obligamus.

De denario sancti Petri colligendo. Cum dominus noster Papa, de fidelitate vestra confisus vobis sicut audivimus commiserit vices suas in requirendo denario

[illegible]

[illegible]

[illegible]

sancti Petri, paternitatem vestram rogandam duximus et monendam vobis authoritate predicta precipiendo mandantes, quatinus super colleccione dicti denarii vos studeatis adeo sollicitos exhibere, quod vestra diligencia ab ipso domino nostro Papa supra maiora constitui mereatur, et a vobis culpam et penam requiri aliquando non contingat.

De hiis, qui contrahunt cum suis consanguineis vel affinibus. Utinam in prelatis istarum parcium putaretur Iohannes Baptista a mortuis surrexisse, ut Herodis arguerent successores et eis dicerent: Non licere sibi alias Herodiadas in tercio vel quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu, vel alias illicite matrimonialiter copulare: et forte adhuc ab aliquibus audirentur, et multa facerent aliqui pro eisdem. Sed quidam ex ipsis prelati, facti sicut non audientes homines et redarguciones in suis oribus non habentes, callide dissimulant huiusmodi adulteria et incestus, et sic, ne offendant homines, audacter provocant iram Dei. Quia igitur negligere quos potestis perturbare perversos, nichil est aliud quam fovere: vobis qua fungimur authoritate mandamus, quatinus omnes, quasi viri virore virtutum virentes, ponentes super vestra femora gladium verbi Dei, vos ostendatis maxime in hac parte castitatis et pudicicie amatores; et incipientes ab illis qui in soliis sedent ducum, usque ad captivam que est ad molam, eatis et redeatis de porta usque ad portam vestrarum dyocesum; non parcentes fratri, proximo, vel amico, in cunctis vestris subditis predicta incestus et adulteria penitus occidere studeatis, eosdem super premissis arguere, increpare et obsecrare monitis salutaribus non cessantes. Quod si vos non audierint, unum de duobus irrefragabiliter eligatis; ut videlicet aut contra ipsos super hoc prout iustum fuerit procedatis, aut Romane ecclesie absque more dispendio nuncietis, ut si, quod absit, nec ipsam audierint, quasi publicani et eunuchi evitentur. Et si in execucione huiusmodi mandati fueritis negligentes, a Deo sanguis animarum quas per taciturnitatem huiusmodi occiditis de vestris manibus requiratur, et a summo Pontifice penam gravissimam poteritis non immerito expectare, qui ea que fiunt in vestra dyocesi penitus non ignorat.

De cimiteriis claudendis. Qui iuste et religiose de resureccione corporum cogitaret, cimiteria in quibus fidelium corruptibilia corpora seminantur ut gloriosa resurgant, claudi muris vel sepibus procuraret; maxime cum beatissimus Augustinus dicat, quod honoranda sunt corpora defunctorum et maxime fidelium, quibus est tamquam vasis et organis Spiritus sanctus usus. Propter hoc Thobias studebat mortuos sepelire, et Abraham speluncam que erat in agro Ephrem ad sepeliendum mortuos comparavit, ne lacerarentur a bestiis quos sperabat sicut sol in gloria refulsuros et tanquam scintille in arundineto agiliter discursuros. Quocirca vobis predicta authoritate mandamus, quatinus predicta cimiteria vestrarum dyocesum que clausa non sunt, claudi taliter faciatis, quod honor eis debitus inpendatur, et immunitas cimiterii et ecclesie a terris circumiacentibus plenius discernatur.

De Oracione dominica et Symbolo exponendo. Denique vobis iniungimus ut in vestris Synodis presbyteris iniungatis, quatinus singulis diebus dominicis et festivis post Ewangelium dicant publice in vulgari suo Oracionem dominicam et Symbolum, vel ad minus Oracionem dominicam in latino et Symbolum in vulgari. Vidimus enim in vestris dyocesibus aliquos centenarios homines, qui nesciebant omnino dicere quid credebant.

Datum apud Urbem veterem III Nonas Iunii, pontificatus nostri anno secundo.



Nr. 275.

Bolezlaus et Henricus duces Zlezie et Polonie 1248 s. d., in Veschov; monasterio in Obra thabernam suam in Głogow conferunt.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci.
Poznań. Bibl. Raczyńsk. Diploma A 17.

In nomine Domini amen. Noverint universi presentes ac posteri ad quos pagina presens pervenerit, quod nos Bolezlaus et Henricus Dei gracia duces Zlezie et Polonie, ob spem mercedis sempiterne et ob remedium animarum parentum nostrorum, avi nostri et patris felicis memorie, domui sancte Marie Ordinis Cisterciensis in Obera de thabernis in Glogov, quarum nobis due spectant et castello ibidem due, unam de nostris liberaliter contulimus cum solucione octo marcarum, iure hereditario perpetuo possidendam. In cuius rei testimonium, ne predicta donacio propter ignoranciam inexpertorum aut propter frivole obviancium proterviam, que nunc nostris maxime inholevit temporibus, in posterum valeat aliquatenus irritari vel retractari, presentem cedulam sigilli nostri robore dignum duximus muniendam. Datum in Veschov anno Incarnacionis dominice millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, presentibus dominis: Mirone castellano de Glogov, Ychone et Michaele filiis ipsius, Sulizlao camerario de Glogov, Frederico dapifero magno, Bertoldo castellano de Reschen, Henrico de Baruht, Nicholao plebano de Iawor, Conrado plebano de Lesnic et canonico de Lubus huius voluminis compilatore cum aliis.

Obera, *Obra.* Veschov, *Wschowa.* Reschen, *niegdyś zamek nad rz. Odra, między m. Wrocław i Brzeg.* Iawor, *Jawor.* Lubus, *Lubusz, z niem. Lebus.*

Nr. 276.

Nicolaus Sanzowoi filius de Gomance s. a. d. et l.; protestatur, Thomislaum filium quondam Falonis castellani Gneznens. contulisse hereditatem suam Pokrzywnica monasterio de Łekno.

Pergam. orygin. Na dwóch paskach pergam. przywieszono dwie pieczątki; pierwsza znikła, druga w okruchach, zaszytych w kawałku bardzo staréj tkanki lniannéj; na jednym ułamku napis: .. onis .. *w łacińskich majuskułach. Pismo z początku XIII wieku.*
Kurnik. Biblioteka. Diplomata.

Honestum omni mortali homini constat esse et legitimum, testimonium perhibere veritati. Quapropter universi Christi fideles presentem litteram visuri cognoscant veritatem, quod in mei presencia, Nicolai Sanzowoi filii de Gomance et plurimorum proborum virorum, Thomezlaus meus cognatus, filius quondam comitis Falonis castellani Gneznensis, sanus et compos mentis, bona habita deliberacione, consensu matris et fratris sui Dobrogosti uterini nec non meo consensu et fratrum meorum Falonis et Nimironis, iustum suum patrimonium, hereditatem que vulgariter Pocrivichz nuncupatur contulit Deo eiusque gloriose genitrici ad gloriam et laudem nec non beatorum apostolorum Petri et Pauli, fratribus cenobii Lucknensis Ordinis Cy-

[illegible]

[redacted]

sterciensis ibidem in Dei servicio piis operibus laborantibus, cum omnibus attinenciis, agris, pratis, aquis, nemoribus, silvis, mericis, et cunctis utilitatibus que sunt vel fieri possunt in pretacta hereditate nunc et in futuro, iure hereditario imperpetuum possidere. In cuius perpetue rei memoriam, presentem litteram sigilli mei et fratris mei Falonis supradictis fratribus munimine roboravi.

Gomance, *Chomiąża.* Pocrivichz, *Pokrzywnica.* Lucknensis, *de Łekno.*

Nr. 277.

Boleslaws dux Polonie 1249 Apr. 20, in Kalis; hereditates Kurowo et Gołuchowo coenobio de Ołobok restituit, possessionem caeterarum possessionum confirmat, earumque incolas plurimis libertatibus munit.

Pergamin na którym ręką XIII wieku 4 dokumenta odpisano. Bez śladu przywieszenia pieczęci.

Poznań, Königl. Staats Arch. Ołobok 1.

In nomine Domini amen. Quoniam generatio preterit et generatio advenit, et plerumque fit quia quod scripto non roboratur cito a memoria labitur, ideo notum facimus tam presentibus quam futuris omnibus ad nostrum ducatum pertinentibus, quod nos Dei gratia Boleslaws dux Polonie divinitus inspiratus, cenobio sanctimonialium Cisterciensis Ordinis in Oloboc, tum pro remedio anime patris nostri qui primitus eiusdem loci fundator extiterat, tum etiam pro remediis nostris excessibus et pro adipiscenda eterna premia, hereditates que eis per violentiam ablate fuerant, Curovo videlicet et Gluchovo et partem aque cum castoriis, forum quoque in Oloboc eo iure quo a patre nostro antiquitus condonatum fuit, benigne revocamus et confirmavimus iure hereditario et perpetuo possidenda. Insuper largam libertatem villis omnibus eiusdem claustri contulimus, sperantes per orationes iustorum et largitate elemosinarum salvari dicente apostolo: Qui parce seminat parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Nomina vero villarum sunt hec ad predictum claustrum pertinentium: Oloboc, Curovo, Gluchovo, Milessino, Ochacino, quarum homines perpetuo absolvimus ab apellatione castri, a ztrosa, a conductu vie, a podvorove, a narazne, ab expeditione belli et ab omnibus solutionibus et gravaminibus preter castri munitione. Et ne quisquam donationem nostram violare aut mutare valeat vel presumat, privilegio et sigilli nostri munimine confirmamus. Acta sunt autem hec in Kalis XII Kalendas May, ab Incarnatione Domini anno MCCXL nono, cum consensu et voluntate bona omnium baronum nostrorum, coram his testibus: Miroslao, Vencezlao, Elya capellanis; Troyano tribuno, Benyamin subcamerario, Chrestlao subpincerna, Laurentio filio Cesante, Gervoldo, Andrea, Velizlao, Martino procuratore, Dirsicraio, Dobegnevo et aliis quam pluribus.

Oloboc, *Ołobok*, Curovo, *Kurowo.* Gluchovo, *Gołuchowo.* Milessino, *Mieleszyn.* Ochacino, *Ochędzin.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 278.

Premisl dux Polonie 1249 Aug. 24, in colloquio in Sduncow; adiudicat hereditatem Rokitnica, quam comitissa Stronslawa monasterio de Obra contulerat, eidem monasterio contra petitionem comitis Baran et ipsius cognationis.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. pag. 9.

Cum ea que geruntur in tempore, ne simul per oblivionem labantur cum tempore, quodcunque inconvulsum observari decernitur necesse est scriptis aut probabilium virorum testimonio perennari, hinc est quod nos Premisl divina favente clemencia dux Polonie notum facimus tam presentibus quam futuris, quod comitissa Stronslava relicta quondam comitis Andree, mater Alberti, propria ac bona voluntate sua ecclesie beate Marie in Obra et fratribus Ordinis Cisterciensis ibidem in Dei servicio die noctuque existentibus, ob spem mercedis vite eterne et ob remedium parentum ac filiorum suorum sibi suisque in perpetuum providens, contulit villam nomine Rokitnicam cum omnibus attinenciis suis, quam a patre suo comite Vilcone pro ornatu in dotem hereditario iure absque ulla retractacione possidendam suscepit. Igitur in ipsa hora conversionis predicte comitisse ad Ordinem, surrexit comes Baran adversus eam et predicte Domus abbatem Petrum reclamans de supra dicta hereditate, constituensque ei terminum prefixum in festo beati Bartholomei coram nobis. Cum dies advenisset quo iudicium cum prefata comitissa et abbate in presencia nostri fieri debuisset, predictus comes iudicio astare penitus neglexit, sed nec responsalem suum ob hanc causam misit. Unde nobis et nobilibus nostris tunc temporis ibidem nobiscum consistentibus visum est, ut supradictus comes Baran tam nostro quam baronum nostrorum iudicio cum omni cognacione sua a villa superius annotata omnino sit abiudicatus, predictus vero abbas, eo quod termino per integrum diem usque post solis occubitum presens adfuit, hereditario iure in perpetuum absque ulla retraccione villam possideat. In huius itaque rei testimonium, ne nostrum iudicium et predicta donacio supradicte comitisse propter ignoranciam inexpertorum seu propter frivolem obviancium proterviam que nunc nostris maxime inolevit temporibus in posterum valeat aliquatenus irritari vel retractari, presentem schedulam sigilli nostri robore dignum duximus muniendam; hanc predicte hereditati conferentes libertatem, ut a stroza et a castro, a povos et a prevod omnino sit absoluta et quieta. Acta sunt hec anno gracie Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono in die sancti Bartholomei in colloquio ante Milicz in Sduncow, coram nobis et presente venerabili domino Petro eiusdem cenobii abbate ac ceteris nobilibus quorum hec sunt nomina: Bogumilo palatino, Domarado iudice, Bogussa subcamerario, Bozata filio Ianussii, Marsone filio Macharii, Michaele ducis notario, et aliis quam plurimis militibus Polonie.

Obra, Rokitnica, Milicz, *dziś tak samo.* Sduncow, *Zduny.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 279.

Michael abbas et Conventus Paradisi 1249 s. d. et l.; protestantur, comitem Bozata de Widzim contulisse modo compositionis monasterio Paradyż villam Lubrze.

Rogalin, Biblioteka. Paradis. Lib. privil. Nr. 24.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Universis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis, ego Michael abbas Paradisi totusque Conventus eiusdem loci salutem et oraciones in Christo. Notum sit tam presentibus quam futuris omnibus Christi fidelibus, quod ego Michael abbas Paradisi cum consensu venerabilis domini Wilhelmi abbatis de Lenin et tocius Conventus nostri fideiussimus pro comite Bozata de Vizim filio Ianussi in quadraginta marcis Teutonicalis ponderis et Teutonicalis argenti, unde villam nomine Lubrze cum omnibus terminis eius et attinentiis perpetua libertate possidendam pro triginta marcis contulit, residuas vero decem in argento persolvit. Ut igitur predicta composicio inconvulsa et inconturbata perseveret, presentem paginam sigilli nostri et venerabilis domini Petri abbatis de Obra appensione, qui huic composicioni interfuit, communimus, testibus nichilominus idoneis adhibitis quorum nomina sunt hec: Richardus prior, Henricus cellerarius, Martinus infirmarius de Paradiso; Iacobus prior, Iohannes cellerarius, Petrus subprior de Obra, et alii quam plures. Datum anno gracie millesimo ducentesimo quadragesimo nono.

Paradisus, *Paradyż.* Lenin, *Lenin.* Vizim, *Widzim.* Lubrze, *dziś z niemiecka Liebenau.* Obra, *Obra.*

Nr. 280.

Bozata comes de Vizim filius Ianusi comitis 1249 s. d. et l.; protestatur, se villam Lubrze monasterio Paradyż pro quodam debito vendidisse.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. Nr. 23.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Universis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis, ego Bozata comes de Vizim filius Ianusi comitis salutem in vero salutari. Notum sit tam presentibus quam futuris omnibus Christi fidelibus, quod ego Bozata de Vizim filius Ianussi comitis una cum matre mea Baladama et fratre meo Myrone villam nomine Lubrze cum omnibus terminis et attinentiis dilectis fratribus in Paradiso, qui sunt Ordinis Cisterciensis diocesis Posnaniensis, perpetua libertate possidendam pro quadraginta marcis Teutonicalis ponderis et Teutonicalis argenti vendidimus, scilicet pro argento pro quo venerabilis abbas Wilhelmus de Lenin et Michael abbas Paradisi pro me fideiusserunt. Ut igitur hec predicta vendicio nostra inconvulsa et inconturbata iure perpetuo predictis fratribus in evum perseveret, presentem paginam sigilli nostri et fratris mei Myronis, ac venerabilis domini Petri abbatis de Obra qui huic vendicioni interfuit appensione communimus, testibus nichilominus idoneis adhibitis quorum nomina sunt hec: Richardus prior,

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Henricus cellerarius, Martinus infirmarius de Paradiso; Iacobus prior, Iohannes cellerarius, Petrus subprior in Obra, et alii quam plures. Datum anno gracie millesimo ducentesimo quadragesimo nono.

Vizim, *Widzim*. Lubrze, *dziś z niemiecka Liebenau*. Paradisus, *Paradyż*. Lenin, Obra, *dziś tak samo*.

Nr. 281.

Premisl dux Polonie 1250 Febr. 16, in Kalis; concedit coenobio de Lubnice, ut villas Ołobok, Ochędzin, Mieleszyn et Skromlin iure Theutonico locare valeat.

Pergamin, na którym ręką XIII wieku 4 dokumenta odpisano. Bez śladu przywieszenia pieczęci.

Poznań. Königl. Staats Arch. Ołobok 1. — Kopia równobrzmiąca potwierdzona przez: Stanislaus Augustus rex Poloniae etc. 1776 Octob. 11, Varsaviae, *mylnie pod rokiem 1260 zawarta w Ołobok 9.*

In nomine Domini Dei eterni amen. Rebus dominari non potest oblivio que scripturarum testimonio roborantur, et quoniam immutabile testimonium est litterale, nos Premisl Dei gratia dux Polonie notum esse volumus universis Cristi fidelibus presens scriptum visuris, quia ob reverentiam Dei et beate virginis Marie, ad petitionem venerabilis domine Agathe abbatisse et totius Conventus de Lubniz, ob remissionem peccatorum nostrorum et ob salutem omnium parentum nostrorum animarum contulimus ipsis plenam potestatem, quatuor villas que Olobhoc et Ohandhino, Milesino et Scomelino nuncupantur iure Theutonico locandi sub tali forma, quod omnes inhabitatores dictarum villarum ab omnibus exactionibus et solutionibus quas Poloni facere vel prestare consueverunt facimus absolutos, exceptis iuribus et causis magnis que dominio nostro cedunt, addicientes etiam, quod incole iam nominatarum villarum coram nullo palatino, castellano aut aliquo alio iudice de se conquerentibus respondere teneantur: sed si quis de ipsis super quacunque re voluerit querulari, coram nobis si magne cause fuerint, vel scolteto ipsorum iudicio expediatur. Ut autem hec nostra donatio et promissio futuris temporibus et presentibus robur obtineat, presens scriptum sigilli nostri munimine duximus roborandum. Datum in Kalis anno gracie MCCL, XIIII Kalendas Martii.

Lubniz, *Lubnice*. Olobhoc, *Ołobok*. Ohandhino, *Ochędzin*. Milesino, *Mieleszyn*. Scomelino, *Skromlin*.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 282.

Boleslaus dux Polonie 1250 Mart. 30, in Poznania; protestatur, se tempore Boguphali episcopi simul cum villa Winnagóra etiam villae eiusdem vinitores ecclesiae Poznaniensi donasse, pro ipsis vero quosdam homines ecclesiae praedictae commutando recepisse.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 89.

In nomine Domini amen. Notum sit universis presens scriptum inspecturis, quod nos Boleslaus Dei gratia dux Polonie, cum Domino et beato Petro ecclesieque Poznaniensi tempore venerabilis domini Bogufali episcopi Poznaniensis villam que Vinnagora nuncupatur contulissemus, homines nostros eiusdem ville vinitores quorum nomina sunt hec: Dalvy, Novosodl, Goruch, Woyk, Sulis, Sdistriy, Swantek, eidem ecclesie contulimus, recipientes ab eodem domino episcopo et canonicis ipsius homines ecclesie Poznaniensis quorum nomina subsequuntur: Goscuy cum sex filiis et hec nomina ipsorum: Cechoslaus, Goslaus, Debroslaus, Troyanus, Tetrich, Dominicus, et Goszimir vero et Besdach filii Cechoslai fratris Goscuyonis, in commutationem hominum nostrorum predictorum. Villam vero quam predictus Goscuy cum filiis suis et filiis fratris sui inhabitarunt, predictus dominus episcopus cum canonicis suis pro ecclesia Poznaniensi retinuerunt. Ut autem hec commutatio in perpetuum firma perseveret, eam presenti pagine inserentes nostri sigilli roborari fecimus appensione. Actum in Poznania anno Domini M.CC.L, tertio Kalendas Aprilis, presentibus Swanthoslao filio Drogomiri, Martino filio Albrachti, domino Ottone canonico Poznaniensi, Miroscio, Paulo capellanis nostris, et aliis quam plurimis. Ego Conradus scriptor predicti ducis hiis interfui et mandato ipsius hec conscripsi.

Vinnagora, *Winnagóra.*

Nr. 283.

Premischil dux Polonie 1250 Apr. 23, in Gnizna; confirmat donationem deserti Cholmen, monasterio Paradyż per comitem Christinum filium com. Bosathae de Sczaniec factam.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. Nr. 25.

In nomine sancte Trinitatis amen. Quoniam facta mortalium temporalem sequuntur motum, utiliter provisum est ea litteris et confirmacione testium confirmare. Hinc est quod ego Premischil divina miseracione dux Polonie notum esse cupio presentibus et futuris Christi fidelibus presentem paginam inspecturis, quod comes Christinus filius Bosathe de Stans, cum consensu fratris sui Stanpote pro salute anime sue et pro remedio peccatorum suorum nec non et parentum suorum, desertum quoddam quod Cholmen nuncupatur cum omnibus attinentiis suis, ecclesie sancte Dei genitricis semperque virginis Marie Christique gloriosi confessoris Martini que Paradisus dicitur contulit in perpetuum possidendum. Ut autem hoc presens donum, ob reverenciam beate et gloriose virginis Marie collatum, firmum ac ratum in perpetuum permaneat, sigilli nostri impressione confirmamus. Quicunque ergo hoc do-

num Dei ausu temerario violare, aut ab eadem ecclesia beate Virginis et sancti Martini que vocatur Paradisus alienare presumpserit, excommunicacioni beatorum apostolorum Petri et Pauli et domini Pape et omnium Deo serviencium mercatur in perpetuum subiacere. Huius rei testes sunt: magister Bogufalus prepositus Gneznensis, Marcus prepositus de Sanctog, Michael notarius, clerici; Ianic palatinus, Bogumilus palatinus, Ierostius castellanus de Gnizna, Predepolcus castellanus Poznaniensis, milites, et alii quam plures. Acta sunt hec anno Incarnacionis Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo, in festo sancti Adalberti, in Gnizna.

Stans, *Sczaniec*. Desertum Cholmen, *nie odgadnione*. Paradisus, *Paradyż*. Sanctog, *Santok*.

Nr. 284.

Premisl dux Polonie 1250 Apr. 24, in Gnezna; confert coenobio de Owińska hereditates Dobiegniewo et Osieczno, quarum incolas amplis libertatibus munit, complexum vero certis limitibus designat.

Poznań. Towarzystwo przyj. nauk. Owińska, Lib. privil. Nr. 1.

In nomine Domini amen. Quoniam longi tractus hominum mortalium generant antiquitatem, antiquitas procreat oblivionem, oblivio vero procedencium factorum irritacionem, eapropter necesse est, ut memorie facta scripto commendentur quatenus oculis intuencium clarius innotescant. Igitur nos Premisl Dei gracia dux Polonie exaltacionem sancte matris Ecclesie nostris temporibus prout Dominus donaverit zelantes, saluti nostre nostrorumque providentes significamus presentibus et ad noticiam deduci volumus posterorum, quod ad honorem Dei et beate Marie virginis et pro remedio animarum parentum nostrorum nostrorumque remissionem peccatorum, contulimus, dedimus et donavimus Ordini Cisterciensi et sanctimonialibus eiusdem Ordinis, videlicet domine Hadvigi abbatisse in Ovensko universeque congregacioni Deo sub Ordinis prefati professione ibidem famulanti, bona sive hereditates que vulgariter Debegneve et Oszeczno nuncupatur, cum omnibus attinentiis et districtibus earum corporalibus seu incorporalibus que infra terminos et gades subscriptos continentur. Videlicet a Przeborowe ubi Drawa se infundit in Notes, et infra descendendo per eundem fluvium unum miliare usque ad lacus Lubewo parvum et magnum, et directe per Czlonowo rivulum usque ad lacus Chomatowo, Kuchini, Stbewo insulam et lacus Lipe, Dluge, Plawno, Potrongnath et Rokitno, et a predicto lacu usque ad Drawam fluvium: cum omnibus que in prefato circuitu et ambitu sunt vel esse possunt in futurum, videlicet silvis, nemoribus, rubetis, agris, pratis, pascuis, paludibus, lacubus, aquis, aquarum decursibus, molendinis molendinorumque locis, piscaturis, castoribus, venacionibus, mellificiis, ac aliis omnibus dominiis et utilitatibus prout ad nos a progenitoribus nostris pertinebant, iure hereditario perpetuo tradimus libere possidendum. Indulgemus eciam prefatis sacris virginibus, in predictis bonis ubicunque voluerint civitates et villas locare Theutonicas quocunque iure illis placuerit: ita ut omnes proventus earundem civitatum et villarum, scilicet theloneum, iudicium sive parvum sive magnum, ad cenobium Owensko semper attineant et utilitatibus deserviant dominarum predictarum. Nulli ergo hominum liceat quemque de homini-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

bus sanctimonialium de Owensko ad quodcunque iudicium trahere seu ad castrum provocare aut iudicare, nisi ad eum, qui per dominam abbatissam loci illius iudex fuerit constitutus. Si autem causa tam gravis esset quod eam iudex claustri non posset iudicare sive nollet, nusquam iudicetur nisi in presencia nostra, ita duntaxat, ut mediante nuncio claustri omnis utilitas inde proveniens ad ipsum claustrum revertatur. Absolvimus eciam omnes habitantes in bonis sive hereditatibus supradictis ab omnibus serviciis nostris et exactionibus, scilicet naraz, prewod, stroza, podwod, stan, powoz, powozowe, chlodnice, powolowe, constructione castrorum, et si que sunt alie exactiones et soluciones. Nulli quoque de nostris officialibus liceat aliquam exactionem, de iure aut consuetudine habitam vel babendam, infra omnes terminos predictorum bonorum a quocunque hominum exigere seu extorquere ad opus nostrum seu ad opus baronum vel officialium nostrorum; sed ab omnibus solucionibus, exactionibus eciam quocunque nomine censeantur, incole sepedictorum bonorum sint soluti et plena gaudeant in omnibus libertate. Ut autem hec nostra donacio nullius calumpnia possit in posterum infirmari, presentibus nostrum sigillum duximus appendendum. Actum et datum in Gnezna in crastino beati Adalberti episcopi et martyris, presentibus: domino Fulcone archiepiscopo Gneznensi, domino Boguphalo episcopo Poznaniensi, Bogumilo palatino Polonie, Predpelcone, Archenboldo, Andrea, Beniamin fidelibus nostris, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo.

Ovensko, *Owińska.* Dobegneve, *ma być podług: Märkische Forschungen B. X, p. 66, stare polskie nazwisko m. Arnswalde; podług powyższego dokumentu zdaje się oznaczać m. Woldenberg.* Oszeczno, *nie odgadnione;* Hoscno, *jest starą nazwą miasta Arnswalde, nie może tu jednak być przypuszczoném, bo nie jest objętém poniżéj podanemi granicami; mogłoby być dziś. Wutzig.* Przeborowe, *osada znikła.* Lacus Lubewo, parv. et magnum, *z niemiecka Gross-Klein Lubow See.* Czlonowo rivulus, *strum. wpadający do rz. Drawa, tu nawany od wsi Schlanow.* Lacus Chomatowo, *pewnie jezioro leżące pom. wsiami Członowo (Schlanau) a Lauchstaedt.* Lacus Kuchini, *Küchen See.* Insula Stbewo, *zapewne ostrów pomiędzy jeziorami Lieb See, Hermsdorfer See i Paddenphul.* Lacus Lipe, *Lieb See.* Lac. Dluge, *wnosząc z kształtu, zapewne Hermsdorfer See.* Lacus Plawno, *zdaje się być Schlage See.* Lacus Potrongnath, *zdaje się być Regenthin See.* Lac. Rokitno, *pewnie Ragnit See. Obszar powyżéj opisany, leży pomiędzy rzekami Drawa i Noteć a miastem Woldenberg.*

Klasztór Panien Cystersek w Owińskach spalił się wraz z kościołem r. 1773, a z nim zapewne i jego archiwum; bo oprócz w przedmowie wzmiankowanych sześciu zeszytów, zawierających kopje przywilejów, żaden dotąd oryginalny dokument lub inny piśmienny zabytek do niego się odnoszący, dotąd się nie pojawił.

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 285.

Premischil dux Polonie 1250 Jun. 29, in Poznan; confirmat donationem hereditatis Rusinow, per comitem Pribigneum, et partis hereditatis Witim, per comitem Jerotam monasterio Paradyż factam.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. Nr. 27.

In nomine sancte Trinitatis amen. Quoniam facta mortalium temporalem sequuntur motum, utiliter provisum est ea literis et confirmacione testium confirmare. Hinc est quod ego Premischil divina miseracione dux Polonie notum esse cupio presentibus et futuris Christi fidelibus presentem paginam inspecturis, quod comes Pribigneus de Bucove cum consensu consanguineorum suorum iusta et legitima donacione hereditatem suam nomine Rusennove, et Ierota comes de Witim cum consensu fratris sui Wesdechonis et aliorum fratrum suorum desertum quoddam, videlicet partem de Witim, cum omnibus attinentiis suis ecclesie sancte Dei genitricis semperque virginis Marie Christique gloriosi confessoris Martini, que Paradisus dicitur, contulerunt in perpetuum possidendum. Ut autem hoc presens donum, ob reverenciam beate et gloriose virginis Marie collatum, firmum et ratum permaneat, sigilli nostri impressione confirmamus. Quicunque ergo hoc donum Dei ausu temerario violare aut ab eadem ecclesia beate Virginis et sancti Martini, que vocatur Paradisus, alienare presumpserit, excommunicacioni apostolorum Petri et Pauli et domini Pape et omnium Deo serviencium mereatur in perpetuum subiacere. Huius rei testes sunt: Petrus decanus de Poznan, Vincencius canonicus de Poznan, magister Bogofalus prepositus Gniznensis; Bogumilus palatinus, Predepolcus castellanus Poznaniensis, Domaradus, milites, et alii quam plures. Acta sunt hec anno Incarnacionis Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo, in festo apostolorum Petri et Pauli in Poznan.

Bucove, *Bukowiec.* Rusennove, *z niem. Rinnersdorf.* Witim, *z niem. Witten.*

Nr. 286.

Premischil dux Polonie 1250 Jun. 29, in Poznan; confirmat donationem deserti Dutsko, per comitem Sulislaum filium Brodonis de Wyszanow monasterio Paradyż factam.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. Nr. 26.

In nomine sancte Trinitatis amen. Quoniam facta mortalium temporalem sequuntur motum, utiliter provisum est ea literis et confirmacione testium confirmare. Hinc est quod ego Premischil divina miseracione dux Polonie notum esse cupio presentibus et futuris Christi fidelibus presentem paginam inspecturis, quod comes Sulislaus filius Brodonis de Wiszonow cum consensu fratrum suorum, uxoris sue et filiorum suorum, pro salute anime sue et pro remedio peccatorum suorum nec non et parentum suorum, desertum quoddam quod Dutsco nuncupatur cum omnibus attinentiis suis ecclesie sancte Dei genitricis semperque virginis Marie Christique gloriosi confessoris Martini, que Paradisus dicitur, contulit in perpetuum possidendum. Ut autem hoc presens donum, ob reverenciam beate et gloriose Virginis collatum,

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

firmum ac ratum in perpetuum permaneat, sigilli nostri impressione confirmamus. Quicunque ergo hoc donum Dei ausu temerario violare aut ab eadem ecclesia beate Virginis et sancti Martini, que vocatur Paradisus, alienare presumpserit, excommunicacioni beatorum apostolorum Petri et Pauli et domini Pape et omnium Deo serviencium mereatur in perpetuum subiacere. Huius rei testes sunt: dominus abbas de Lucna, Hartongus quondam abbas Lucnensis, Stephanus plebanus de Vitomisl, Michael notarius ducis; Dirsicraius castellanus de Gnizna, Trebeslaus castellanus de Bantzim, Christinus castellanus de Sanctog, Michael castellanus de Brod, milites, et alii quam plures. Acta sunt hec anno Incarnacionis Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo, in festo apostolorum Petri et Pauli, in Poznan.

Wiszonow, *Wyszanow.* Dutsco desertum, *nie odgadnione.* Paradisus, *Paradyż.* Lucna, *Łekno.* Vitomisl, *Wytomyśl.* Bantzim, *Zbąszyń.* Sanctog, *Santok.* Brod, *nie odgadnione, może Brody.*

Nr. 287.

Premisl dux Polonie 1250 Jul. 1, in castro Poznaniensi; roborat donationem villae Wityn, quondam per comitem Jarota monasterio de Obra factam et postea per viduam ipsius approbatam.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. pag. 11.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Cum ea que geruntur in tempore, ne simul per oblivionem labantur cum tempore, quodcunque inconvulsum observari decernitur necesse est scriptis aut probabilium virorum testimonio perennari, hinc est quod nos Premisl divina favente gracia dux Polonie notum facimus tam presentibus quam futuris, quod comes Iarota in articulo mortis propria ac bona voluntate sua ecclesie beate Marie in Obra et fratribus Ordinis Cisterciensis ibidem in Dei servicio die noctuque existentibus, ob spem mercedis vite eterne et ob remedium animarum parentum ac filiorum suorum sibi suisque in perpetuum providens, contulit villam nomine Wityne cum lacu, molendino, pratis ac silvis et ceteris omnibus attinenciis hereditario iure in perpetuum absque ulla retractacione possidendam. Sed et hoc tam presentibus quam futuris constare volumus, quod predicto comite ex hac vita migrante, relicta ipsius nomine Siroslawa postmodum supradictam hereditatem predictis fratribus coram nobis et nobilibus nostris solenniter confirmavit. In huius ergo rei testimonium, ne supradicti comitis donacio ac predicte comitisse confirmacio propter ignoranciam inexpertorum seu propter frivole obviancium proterviam, que nunc nostris maxime inolevit temporibus, in posterum valeat aliquatenus irritari vel retractari, presentem schedulam sigilli nostri robore dignum duximus muniendam. Acta sunt hec anno gratie millesimo ducentesimo quinquagesimo in octava sancti Iohannis Baptiste in castro Poznaniensi coram nobis et nobilibus nostris, quorum hec sunt nomina: Bogimilo palatino, Henrico filio Hinconis, Bozata filio Ianussi, Petro filio Nicolai de Ialigow, Boguphalo de Sarin, Stephano filio Witconis, Michaele notario ducis et ceteris quam plurimis militibus Polonie.

Obra, *Obra.* Wityne, *z niemiecka Witten.* Ialigow, *Jeligowo*, Sarin, *Zersko, z niem. Seeren.*

Nr. 288.

Premizl dux Polonie 1250 s. d., in colloquio in Symanovich; ratam habet donationem villae Ostrowite, per Ianussium cancellarium Fulconis archiepiscopi Gneznensis ecclesiae Gneznensi factam.

Pergam. orygin. Na sznurze jedwabn. żółt. przywieszona dobrze zachowana pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XIII.)

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 20.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Licet gesta hominum evidenter cunctorum subiaceant noticie, solet tamen factis humanis processu temporis, cum testes defuerint, calumpnia novercari. Idcirco necesse est actiones legitimas que memoria indigent, ne veritas subprimatur, presertim in eis que ad divinum cultum facta esse dinoscuntur, per scripti continenciam et testium subscriptionem in notitiam transmitti posterorum. Nos igitur Premizl Dei gracia dux Polonie universis presentibus et futuris hanc paginam inspecturis notum esse volumus, Ianussium venerabilis patris domini Fulconis Gneznensis archiepiscopi cancellarium scolasticum Lanciciensem, villam Ostrovitte nomine in districtu Gneznensi sitam, quam a patre nostro duce W. et a nobis collatam iure hereditario sibi suisque successoribus de sua voluntate sibi succedentibus collatam possidebat, cum lacu et omnibus eius pertinenciis, ac omnibus aliis utilitatibus que in eadem villa sunt vel haberi possunt, cum libertatibus eciam quemadmodum in nostro et patris nostri privilegiis plenius continentur, coram nobis et cum nostro consensu ob reverentiam beati Adalberti et anime sue remedium venerabili patri domino Fulconi Gneznensi archiepiscopo suisque successoribus contulit, pacifice ac quiete iure hereditario in perpetuum possidendam. Nos autem patrem nostrum ac matrem et nos meritum ex hoc a Deo consequi cognoscentes, tam pio facto benignum adhibentes consensum, ne cuiquam posterorum vertatur in dubium, presentem paginam nostri munimine sigilli contulimus roboratam. Actum in colloquio in Symanovich inter nos et venerabiles patres, eundem dominum F. archiepiscopum et dominum Bogufalum Poznaniensem episcopum celebrato, presentibus eodem domino B. Poznaniensi episcopo et nostris baronibus: comite Bogumilo palatino Polonie, et comite Cesenta palatino Kalisiensi, et Ysaya nostro cancellario, Andrea pincerna, Bozata dapifero, Iaracchone, Blisborio, Kyliano, Vlostone thezaurario, Antonio, et nostris capellanis Mirostio, Thoma, et Michaele nostro notario, et aliis quam plurimis. Datum anno ab Incarnacione Domini M.CC quinquagesimo, Indiccione octava.

Ostrovitte, *Ostrowite Prymasowskie.* Symanovich, *Szymanowice.*

[illegible]

[redacted]

Nr. 289.

Bolizlavus dux Polonie 1250 Nov. 9, in Dlusze; concedit monasterio de Ląd facultatem villam Wola Lądzka locandi, cuius incolae ab iuribus Polonicis absolvuntur.

Pergam. orygin. Na niciach lnianych białych przywieszona pieczęć księcia Bolesława; (pieczęć XVI).

Biblioteka X. X. Czartoryskich. Diplomata.

In nomine Domini amen. Omnis actio legittima temporalis memoria indigens, ne pravorum hominum sugestionibus infirmetur, utile et cautum est ut scripture testimonio roboretur. Noscant igitur universi tam presentes tum futuri hanc paginam inspecturi, quod nos Bolizlavus Dei gracia dux Polonie cupientes ea que ad cultum Dei pertinent pocius augmentari quam minui, domui Lendensi Ordinis Cysterciensis, venerabili patre ipsorum abbate domino Mathia ad hoc interpellante, inter fluvium qui Virbez vocatur et claustrum ipsorum contulimus libertatem novam villam locandi, quam Liberam villam appellarunt, atque populandi eandem de Theutonicis sive liberis Polonis pleno iure Theutonicorum. Absolvimus eciam prefatos Polonos nec non Theutonicos in supradicta villa manentes in perpetuum ab omnibus solucionibus et exactionibus sive iuribus in Polonia constitutis, excepto hoc solo: si aliquis contra dominium nostrum insultum fecerit, quod coloni sepedicte ville dominium nostrum una nobiscum tenebuntur defensare. Ut autem hec donacio sollempnis per nos facta robur perpetue firmitatis obtineat, presentem paginam in huius rei testimonium sigilli nostri karactere fecimus roborari. Acta autem sunt hec in Dlusze anno gracie M.CC.L, V Idus Novembris.

Lendensis, *de Ląd.* Virbez fluv., *strum. Wierzbiec.* Libera villa, *Wola Lądzka.* Dlusze, *Dłusk.*

Nr. 290.

Kasimirus Lancicie et Cuyavie dux 1250 s. d., in Wlodizlavia iuniori; permittit monasterio de Ląd, in foro b. Nicolai civitatem condere.

Pergamin oryginalny. Sznurek jedwabiu czerwonego, pieczęci nie masz.

Biblioteka X. X. Czartoryskich. Diplomata, Vol. I, Nr. 3.

In nomine Domini amen. Quoniam factum omne modernorum haberi solet dubium quod non litterarum apicibus roboratur, ideo nos Kasimirus Dei gracia Lancicie et Cuyavie dux notum facimus universis presens scriptum inspecturis, quod ob amorem et reverenciam venerabilis patris Cristiani abbatis de Landa suorumque fratrum Ordinis Cisterciensis, in foro beati Nicolai libertatem ibidem civitatem secundum ius Theutonicum populandi contulimus, eandem civitatem ab omni iure quod nobis competit in eadem simpliciter absolventes: excepto hoc solo, quod si aliquis contra nostrum dominium faceret insultum, quod iam dicte civitatis homines una nobiscum nostrum dominium defensarent. Quinque eciam Polonis in eadem civitate commoran-

[illegible]

[redacted]

tibus quorum nomina sunt hec: Iohannes iudex, Nicolaus, Dobros, Gerlacus, Vsemir, sicuti et aliis Theutonicis ibi venientibus eandem conferimus libertatem. Ut autem hec nostra donacio eis in perpetuum incommutabilis permaneat, presentem paginam nostri sigilli munimine decrevimus roborari. Datum in Wlodizlavia iuniori, anno gracie M.CC. quinquagesimo.

Landa, *Ląd.* Forum beati Nicolai, *czyli Kościół, miejscowość na której stanęło miasto Lądek.* Wlodizlavia iunior, *Inowrocław.*

Nr. 291.

Premisl dux Polonie 1251 s. d., in Poznania; roborat donationem villae Smardzewo, quam Sbroslaus filius Ionathae in articulo mortis monasterio de Obra fecerat, et quam Agna mater ipsius confirmaverat.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. pag. 12.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Cum ea que geruntur in tempore, ne simul per oblivionem labantur cum tempore, quodcunque inconvulsum observari decernitur necesse est scriptis probabiliumque virorum testimonio perennari, hinc est quod nos Premisl divina favente clemencia dux Polonie notum facimus tam presentibus quam futuris, quod Sbroslaus filius Ionathe in articulo mortis propria hac bona voluntate sua ecclesie beate Marie in Obra et fratribus Ordinis Cisterciensis ibidem in servicio Dei die noctuque existentibus, ob spem mercedis vite eterne et ob remedium animarum parentum suorum sibi suisque in perpetuum providens, contulit villam nomine Smarsewo cum pratis et silvis ac ceteris omnibus attinenciis hereditario iure possidendam in perpetuum. Sed et hoc tam presentibus quam futuris constare volumus, quod predicto Sbroslawo ex hac vita migrante, mater ipsius nomine Agna postmodum supradictam hereditatem predictis fratribus coram nobis et nobilibus nostris solenniter confirmavit. In huius itaque rei testimonium, ne supradicti militis donacio ac predicte domine confirmacio propter ignoranciam inexpertorum, seu propter frivole obviancium proterviam que nunc nostris maxime inolevit temporibus, in posterum valeat aliquatenus irritari vel retractari, presentem schedulam sigilli nostri robore dignum duximus muniendam. Acta sunt hec anno gratie millesimo ducentesimo quinquagesimo primo in Poznania coram nobis et nobilibus nostris, quorum nomina hec sunt: Bogumilus palatinus, Miroslavus filius archiepiscopi, Bogusa filius Ceslavi, Pacoslavus filius Scadrici, Petrus filius Ianussi, Ianussius filius Dobesi, Nicolaus canonicus.

Obra, *Obra.* Smarsewo, *z niemiecka Schmarse.*

[redacted]

Nr. 292.

Premisl dux Polonie 1251 Apr. 25, in Poznan; libertatem per patrem suum f. m. ducem Wladislavum ecclesiae de Trzemeszno collatam confirmat, ac novis privilegiis augmentat.

Pergam. orygin. Brzegi obcięte; dwie okrągłe dziurki od przywieszenia pieczęci. Trzemeszno. Priv. Conv. Can. Reg. Lateran.

In nomine Domini Dei eterni amen. Quod a nostris senioribus institutum est, ad noticiam nostram non venisset si celassent testimonia litterarum. Quam ob rem noverint universi presens scriptum inspecturi, quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie, cognoscentes a patre nostro, felicis memorie duce Wladislavo viam universe carnis ingressi, omnibus villis ecclesie beati Adalberti de Cheremesna sub tali forma libertatem fuisse collatam: quod omnes inhabitatores villarum memorate ecclesie a podvorove, a strossa, a naraz, a podvoda sunt absoluti, et quod eciam coram nullo palatino, castellano aut aliquo iudice pro quacunque causa in iudicium evocabuntur nisi prius littera aut sigillo principis fuerint provocati, set si quis de ipsis super quacunque re voluerit querulari, iudicio principis vel prepositi prefate ecclesie prout iusticia dictaverit expediatur, ius vero quod adiutorium dicitur ad dictam ecclesiam perpetuo pertinebit: quam donacionem et libertatem nos ratam habentes et firmam, ad instanciam peticionis nostri discreti Basilii prepositi ecclesie memorate et fratrum ipsius, ipsam innovavimus et nostra confirmavimus auctoritate. Et quia homines prefate ecclesie a venatoribus nostris recipiendis et canibus pascendis sepius gravabantur, ob reverenciam Dei et beati Adalberti, in remissionemque peccatorum nostrorum eos ab hoc gravamine in perpetuum absolvimus, ita quod nostros venatores non recipiant et canes nostros non pascant. Preterea, in recompensationem cuiusdam viatici in quo multorum sanctorum reliquie sunt recondite, quem nos de prefata ecclesia ad curiam nostram accepimus, eidem preposito et suis successoribus contulimus plenam potestatem infra terminos predicte ecclesie in Ganzava castores venandi, et clausuras capreollorum in omnibus villis predicte ecclesie faciendi, et pedicas ponendi, venatore Gneznensi et quocunque nostro benefico in hiis omnibus memoratam ecclesiam non inpediente. Ut autem donatio et promissio patris nostri et confirmacio nostra et augmentacio presentibus temporibus et futuris maneat inconcussa, presenti documento eam inserentes sigilli nostri corroboravimus appensione. Datum in Poznan tercia die beati Adalberti, anno Incarnationis dominice millesimo ducentesimo quinquagesimo primo. Huius rei testes sunt: Bogumilus palatinus, Pretpelch castellanus Poznaniensis, Miroslaus et Boguphalus filii Vincencii archiepiscopi, Bogutta castellanus de Dersen, Gnevomirus castellanus de Rogosen; Sophonias, Iacobus, Gervigus, Detvinus, Iohannes, Mirostius, Petrus, Michael capellani curie, et alii quam plures.

Cheremesna, *Trzemeszno.* Ganzava, *Gąsawka rzeczka.* Dersen, *czyli Drzeń, później Drezdenko.* Rogosen, *Rogożno.*

[illegible]

[redacted]

Nr. 293.

Premisl dux Polonie 1260 (sic) Jul. 7, in Poznania; concedit Bogufalo episcopo Poznaniensi facultatem, in castellania Ciążyń forum iure quolibet locandi.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 150. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 46.

In nomine Domini amen. Notum sit omnibus presens scriptum inspecturis, quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie, ad peticionem venerabilis patris nostri domini Bogufali Dei gracia episcopi Poznaniensis concessimus eidem episcopo et successoribus suis in perpetuum, ut in castellatura de Czanszim habeant forum, in quo licitum sit omnibus advenientibus emere et vendere quaslibet res, quecunque vendi possunt. Item concedimus eidem domino episcopo, quod in dicta castellatura possit Theutonicos sive quoslibet homines extraneos iure quo voluerit locare, et ab eis exigere redditus et proventus pro sua voluntate. Concedimus eciam eidem, quod in eadem castellatura nundinas semel in anno possit habere, item forum, eximentes et ab omnium nostrorum officialium iurisdicione, et concedentes eidem episcopo, quod in eodem foro posset habere utilitates que in aliis foris nomine nostro percipiuntur. Tabernarum ius, quia prius ibidem fuit, in perpetuum valiturum confirmamus. Actum in Poznania anno Domini M.CC. sexagesimo (sic), intrante Iulio die septimo, presentibus: comite Pretpelkone castellano (sic) Poznaniensi, comite Bogusa camerario ducis, comite Petro Ogervicz, comite Bedigostio camerario episcopi Poznaniensis, magistro Gerardo scolastico, domino Andrea canonico Poznaniensi.

Czanszim, *Ciążyń.*

Nr. 294.

Boguphalus episcopus Poznaniensis 1251 Aug. 25, in Poznan; convenit cum fratribus militiae Templi super solutione decimarum de possessionibus eorundem, in dioecesi sua sitis.

Wohlbrück. Gesch. d. Bisth. Lebus, p. 38.

Nos Dei gracia Boguphalus episcopus Poznaniensis notum facimus — — quod super solucione decimarum possessionum omnium fratrum milicie Templi quas possident in nostra dyocesy, de consensu nostri Capituli convenimus in hac forma: quod de quolibet manso Flamenico, tam de araturis propriis quam aliorum hominum in eisdem possessionibus locatis et locandis, exceptis novalibus earundem possessionum tam cultis quam colendis quas propriis sumtibus et laboribus excolunt et redigent ad culturam: dabunt nobis duas mensuras tritici, duas siliginis et duas avene in mensura Wratislaviensi. Possessiones autem sunt iste: Velaves, Templov, Cemelno, Colcino, Cron, Cosmino, Vitankovo, Orla, Cenethnici. — — Actum in Poznan in ecclesia beate Marie anno Domini M.CC.LI, VIII Kalendas Septembris, presentibus dominis — — magistro Iohanne summo preceptore milicie Templi per Teutoniam, per Boemiam,

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

per Moraviam et per Poloniam constituto, et fratribus eius videlicet magistro Hermanno de Olesnicz, fratre Iohanne de Quarchan, fratre Tydero, fratre Brunone, fratre Alberto, fratre Henrico, fratre Lamberto; mediantibus magistro Milone et domino Hermanno canonico Lubucensi.

Velaves, *później z niemiecka* Grossendorf, *osada znikła okolicy miasta Bledzew, w której było praeceptorium Templariuszów.* Templov, *Templewo.* Cemelno, *nie odgadnione.* Colcino, *z niem. Költschen.* Cron, *nie odgadnione.* Cosmino, *Koźmin.* Vitankovo, Orla, Cenethnici, *nie odgadnione miejscowości, które zapewne należały do komanderyi Templariuszów w Lagow, a dziś lub znikły, lub pod niemieckiemi przezwiskami ukryte.* Olesnicz, *Oleśnica, z niem. Oels.* Quarchan, *z niem. Quartschen, komanderja Templariuszów.* Lubucensis, *de Lubusz, z niem. Lebus.*

Nr. 295.

Premisl dux Polonie 1251 s. d., in Santhoc; commutationem dimidiae villae comitis Sandivogii filii quondam Hwalonis, dictae Chrząstowo, pro villa monasterii de Gostichow dicta Konarskie, ratam habet.

Rogalin, Biblioteka. Paradis, Lib. privil. Nr. 28.

In nomine Domini Dei eterni amen. Universis Christi fidelibus presentibus et futuris innotescat, quod veniens in presenciam nostram Premislonis Dei gracia ducis Polonie comes Sudovoy filius quondam felicis memorie Hwalonis, confessus est talem commutacionem de consensu fratris sui comitis Iarostii cum venerabilibus fratribus Cisterciensis Ordinis de Gostichow fecisse. Dedit enim dictis fratribus dimidiam villam suam que Hrestowo nuncupatur, recipiens ab eis villam domus ipsorum que Konarske nuncupatur iure hereditario ac perpetuo possidendam: memorati vero fratres eidem comiti septem marcas argenti ad villam suam addiderunt. Quod factum nos ratum habentes, ad peticionem utriusque partis presens scriptum sigilli nostri corroboravimus appensione. Actum in Santhoc eo tempore quo castellum ibidem edificavimus, anno Incarnacionis dominice millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, presentibus militibus nostris: Bogumilo palatino, Dyrsicrayo castellano Gneznensi, Pretpelcone castellano Poznaniensi, Cristino castellano de Santhoc, Bozetha filio Ianusii, Martino preposito de Santhoc, et aliis quam plurimis.

Gostichow, *dziś Paradyż.* Hrestowo, *Chrząstowo.* Konarske, *Konarskie.* Santhoc, *Santok.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 296.

Premisl dux Polonie 1251 Nov. 11, in Pobedisk; confert Hermanno sculteto facultatem, in Kostrzyn civitatem liberam iure Theutonico locandi.

Poznań. Archiv. Consistorii Archiepiscopalis. A. C. anni 1494.

In nomine Domini amen. Quod a nostris maioribus institutum asseritur, ad etatis nostre noticiam non venisset si occultassent obsequia litterarum. Qua propter nos Premisl Dei gracia dux Polonie notum esse volumus Christi fidelibus universis ad quos presens scriptum devenerit, quia de nostra non ficta voluntate contulimus plenam potestatem Hermanno sculteto locandi civitatem liberam in Costrzin iure Theutunico, eo videlicet quo hospites nostri in Rogosna utuntur, sub tali condicione, quod omnes memoratam civitatem inhabitantes tribus annis ab omni solucione erunt liberi, quibus elapsis nos de quolibet manso fertonem argenti recipiemus, et pro decima tres modios, unum tritici alium siliginis et tercium avene; de locis vero, de qualibet curia medium scotum argenti recipiemus. De omnibus autem iudiciis infra locacionem dicti sculteti, nos duos denarios recipiemus et scultetus tercium, et octavum mansum. Preterea omnia iura que alie civitates libere Theutunicorum habent, ipsi eciam habebunt. A citacionibus vero omnibus Polonicis et exactionibus quas Theutonici facere non consueverunt, eosdem in totum prorsus et communiter absolvimus. Ut autem hec presentibus temporibus et futuris rata maneant et inconcussa, presens documentum nostri sigilli impressione dignum duximus roborandum. Datum in Pobedisk anno Incarnacionis Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, in die beati Martini.

Costrzin, *Kostrzyn.* Rogosna, *Rogoźno.* Pobedisk, *Pobiedziska.*

Nr. 297.

Boleslaus dux Polonie etc. 1251 Nov. 19, Poznanie; terras Novam Marchiam et de Sternberg, una cum marchionibus Brandenburgensibus et Conrado generali magistro Ordinis Theutonici, nec non fratribus Hospitalis s. Iohannis Ierosolimitani, certis limitibus circum scribere facit. (sic).

Riedel, Codex diplomat. Brandenburgie, A, 24, p. 71. (podług kopii.) Conrad Landgraf v. Hessen Wielki mistrz Krzyżaków, rządził Zakonem od r. 1239—1241, wsie też w okolicy m. Międzyrzecz leżące, a poniżéj jako własność Zakonu św. Jana Jerozolimskiego podane, należały wówczas do Zakonu Templaryuszów, a dopiero po zniesieniu tegoż, t. j. na początku XIV w. przeszły na własność Kawalerów św. Jana. Miasto Wałcz wreszcie, które w tym dokumencie pod nazwiskiem Krono występuje, zostało dopiero roku 1303 z wsi Wałcz na miasto Arnescron podniesione. J. Chr. Beckmann w swéj: Beschreibung der ritterlich. Johanniter Ordens, podając ostatni ustęp poniższego dokumentu, t. j. od granic wsi Nowawieś i Templewo, powiada, że dokument poniższy powstał r. 1251, a został potwierdzonym r. 1364, bez podania wszakże źródła, na któ-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

rém się opiera, gdy zaś Riedel całkiem go za podrobiony uważa. Na każdy raz jest on ciekawą ilustracją odwiecznych sporów granicznych w tych stronach się toczących.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Quoniam ea que aguntur in tempore, labuntur simul cum tempore nisi litterarum seu testium munimine fuerint perennata, insuper et operationis sancte propositum ad concordiam nulla debet occasio impedire: nos igitur Boleslaus dux Polonie et Cracovie notum facimus tam presentibus quam futuris, quia ex salubri habito nostrorum baronum consilio et per infra sequentes testes terras Novam Marchiam et Sternbergensem cum marchionibus Brandenburgensibus, Conrado landgravio Hassie Thuringieque iam generali magistro Ordinis Prussie, fratribusque Hospitalis sancti Iohannis Ordinis equestris Hierosolymitani, metiri et certis limitibus conscribere et partiri fecimus. Inchoantur autem dicti termini in quodam saxo crucibus aliisque notis signato, quod collimitum terminorum Polonie, Pomeranie et nove Marchie est, protendentes se hinc in quandam viam de Iersdorff ad antiquam villam Wuro directe et indirecte ducentem, que via cum omnibus sitis in parte dextra ad novam Marchiam, in sinistra vero ad Poloniam pertinet: quod idem intelligendum est de tota hac limitatione ab initio usque ad finem. Et ducit predicta via ulterius ad quandam congeriem lapideam in qua ferreus stipes crucibus Ordinis sancti Iohannis signatus et lapidibus rectus invenitur, de qua tendunt termini trans viam in fine paludis Bulgenhagensis, et hinc trans quendam campum ad Poloniam pertinentem usque ad alium campum ibi incipientem, qui Bulgorin nuncupatur et sub ditione Marchie comprehenditur, in quo loco iterum stipes ferreus prope paludem Tschebruch incussus habetur. De quo directe per medium iam dicte paludis ad lacum Ligpen qui ad Pomeraniam spectat, ascendendo littus illius dextrum usque ad quendam rivum ex illo lacu effluentem, et sequendo alveum istius rivi usque ad brachium ex lacu Draitzig se protendens, ascendendo littus lacus illius usque iterum ad quendam ferreum stipitem, de quo pergendum iuxta Montem calvum, relicto illum ad sinistram, ad semitam piscatorum, hinc ad montem Melum, de quo ad curvatas valles dictas Luchssreye. Hinc ad quandam paludem pro qua iterum ferreus stipes conspiciendus, sequendo extremitatem illius paludis in parte anteriori, occurrit quedam quercus iuxta semitam Rudensteig apud quam quercum iterum ferreus stipes est incussus, quo in loco campus supradictus Bulgorin finitur. Relicto ibi stipite ferreo, sequenda est semita Rudensteigk usque ad viam Wuroviensem, ducentem ad quandam quercum monstrantem ad aliam, de qua ad paludem Birckhalss nuncupatam, et ulterius ad aliam paludem, transeundo istam directe et indirecte ducentem: que via cum omnibus sitis ad illius dexteram ad Novam Marchiam, ad sinistram vero ad Poloniam pertinet; quod idem intelligendum de tota limitatione ab initio ad finem. In qua via procedendum ad quandam congeriem lapideam, in qua ferreus stipes crucibus signatus et lapidibus tectus invenitur. Hinc tendunt termini trans viam, scribendo arva villarum Klebo et Wuhro circa arbustum paludosum Bulgenhagense in illius dextro latere directe et indirecte ad arva ville antique Wuhro, de quibus ad arva Bulgarin. Ibi termini in semita nomine Rudensteigk, de ferreo stipite et signata quercu ibi invenienda directe trans viam Wurowiensem ad officium parandorum vitrorum, et de isto recte ad arbustum palustre nomine Eschenbruch et ferreum stipitem ibi conspiciendum, et per medium illius arbusti palustris ad lacum nomine Lippen quem sibi vendicat Pomerania. Et in littore dextro eiusdem lacus in rivum Lippensem, per paludem Sprukenbruch in

[illegible]

[redacted]

sinistro littore fluentem, procedunt et dictum rivum sequuntur usque in brachium longum quod lacus Dratzke extendit, et sic ulterius iuxta dictum lacum usque ad ingentem cumulum terminalem iuxta Montem calvum post arboretum tiliarum prope lacum Dratzke situm, recte spectantem ad alium (qui?) in fine minoris brachii dicti lacus Dratzke habetur. Hinc directe ad alium cumulum, ferreum stipitem infossum habentem, prope rivum nomine Leimckelen. Hinc trans dictum rivum ad semitam piscatorum, ducentem ad aliquos colles curvatas valles efficientes, qui locus Luchsreye dicitur; et sequendo dictas valles usque ad locum palustrem dictum Marcksbruch, directe et indirecte usque iterum ad magnam quercum et ferreum stipitem prope semitam Rudensteigk. Et sequuntur termini antique Wuhro a dicto loco palustri Bulgenhagenbruch viam usque ad rivum qui Memorusfortt appellatur, procedendo in sulco terminali arvorum nove et antique Wuhro ad novam ducentem ex transverso ad crispatam quercum ad aliam monstrantem, de qua ad arbustum paludosum nomine Birckholss, in sulco terminali procedendo ad aliud arbustum paludosum nomine Sebebrucken, hinc ad stirpem querceam signatam, de qua ad foveam terminalem in qua olim excelsa quercus stetit, de illa ad aliam foveam de nomine cuiusdam vici Krausse nuncupatam, de qua ad alium locum palustrem atque silvestrem qui vulgari nomine Altum collum appellatur, de quo ad montem Tartarorum et lacusculum dictum minor Kesselpfuel, ulterius ad rivum qui Vadum ducum appellatur fluvius, in Trabam. De campo autem Claushagensi, in Polonia et non intra dictos terminos comprehenso, retinere debet Domus Falkenburgensis quintam partem. De dicto Vado ducali alveus Trabensis usque in lacum Gossin terminos tenet, qui in littore sinistro est circumvadendus usque ad effluentiam cuiusdam rivuli, ducentis terminos in alium lacum in sinistro littore versus Wittenbruch ad ferreum stipitem aliasque arbores terminales, de una ad alteram procedendo usque ventum est ad viam Plumidalensem iuxta quam ferreus stipes inveniendus, de quo in dicta via ascendendo et occurrenti sylvula Polonensi, ad pontem Trabanensem et ambas illius ripas: De quo ponte fluvius Traba cum suis ambabus ripis usque ad lacum Poltzkaumensem terminos tenet, qui se porrectos (?) intrinsecus iuxta sylvulam Polonensem et in sinistro littore dicti lacus ascendendo, in rivum Bartenfliess preterlabentem Heinersdorff, ex memorato lacu flectunt, sequentes longitudinem illius rivi circa Breitenstein in parte sinistra versus Collum altum, indeque versus Mose in Insulam captam munimen regionale attingentem, et alterius directe ad arva Calentzigk ubi iterum stipes ferreus conspicitur, quo relicto ad maiorem Blanke Mosse cum ambabus ripis ad Marchiam pertinentem. Hinc gradatim occurrunt arbores terminales clavis ferreis signate, ducentes terminos ad finientem maiorem Mosse; hinc post arva Heinersdorf usque ad Steinbringk tendentes, hinc descendendo versus Draitziger Langke, et iuxta illum lacum versus alium dictum Breite Mosse, ex quo effluens rivus Berkenbrüke, sequendus est ille usque ad lacum Plavensem. Porro trans dictum rivum directe ad congeriem terminalem dictam Leinsterdt, sitam nunc ibi ad dextram ad campum Plavensem, et cum illo campo ad Marchiam pertinet (sic); de qua congerie, ad signatam quandam pinum monstrantem directe iuxta latus arvorum Tempelburgensium, pergendo ad aliam ingentem congeriem terminalem lapideam. Hinc et quedam arbores ad alveos apum porrecte, de una ad alteram procedendo, quarum alie clavis sunt signate, usque ad bivium viarum de Falckenburgk et Phierichow versus Brotzen ducentem, in quo similiter stipes ferreus conspiciendus; de quo ad binas pinos clavis ferreis signatas; hic campus quidam Thierbruch appellatus, seorsim in dictione Polonica

[illegible]

propriis limitibus signatus iacet, qui ad Domum Falkenburgensem et cum ea ad Marchiam pertinet. (Dicta vero via a duabus istis pinis ducit ulterius per Brotzen ad arva sic dicta Thurnbruch et sylvam nominis eiusdem. Incipiunt autem ista arva in quodam rivo dicto Debritz ubi via de Brotz versus Landeck ducit, et protendunt se in ista via regia Nove Marchie quicquid iuxta illius dextram et iuxta fluvium maiorem Pilo situm invenitur. Hinc directe in viam Machelin ad Krono versus Königsfortt ducentem, ac se iuxta silvam Brissiensem et silvam Taxorum ad ferreum stipitem protendentem. Hinc et sequendo istam viam que iterum in viam regiam Prussicam ducit, cui allabitur rivus Debritz, in quo similiter ferreus stipes inveniendus, usque iterum ad illum locum ubi predicta silva initium fecit.) De predictis ambabus pinis tendunt termini directe trans viam secus arbores alveos apum, ibi in campo Plaviensi stantes, quarum alie sunt signate directe post locum dictum Andree lacus exterosque lacus, Capita canina dictos, per paludem arundineam in viam que de Phirchaw versus Mecholin ducit, usque ad signatam quercum iuxta illius vie dextram stantem, de qua ad vadum arenarum, et ex illo Aquam mortuam seu rivum caprarum, sequendo illum usque in lacum Mechelin qui ad Novam Marchiam pertinet, et circa illum usque ad finem territorii eiusdem loci et in valles maiores, sequendo istas usque in rivum quendam dictum Phalbeeke ubi iterum ferreus stipes inveniendus, descendendo in isto rivo directe et indirecte usque ad quendam pontem. Hinc trans dictum rivum, ubi silva Simiensis que ad Marchiam spectat initium sumit, directe ad arbores alveos apum de una ad alteram procedendo, quarum alie sunt signate, usque ad fundum quendam aquosum, dictum madidus Pridangk; procedendo in isto directe et indirecte ad colles dicti Mückelberge, qui etiam limitum loco habentur. De istis ad arborem quadricormitam, sequendo ulterius alveum rivi Pridank, usque in lacum magnum Kobitz et ex illo in parvum Kobitz, de quo directe et indirecte trans viam ducentem de Schönfeldt versus Fridelandiam usque in viam Marchionis, ubi quoque ferreus stipes est infossus; et in ista via procedendo, usque ad montem Kabelssberg, de quo directe ad effluentiam rivuli ex lacu Christianensi maiore, directe et indirecte usque in parvum Christianensem. Hinc in lacum Winkerensem, iuxta indices montium Wurloviensium usque ad montes Bullenses, hinc ad fines Iacobsdorffianos et pontem Winckelensem, iuxta arva Iacobsdorfiana ascendendo versus Rodespringk, hinc in lacum dictum Iespe, ex illo in concavum fundum secundum illius longitudinem rectam et indirectam, usque ad quandam signatam fagum. De qua termini porrecti civitatem Kaliss pretereunt ubi definit locus dictus Alanorum et ubi confinium constituitur trium camporum, Gisiensis atque Pamminiensis et Kalisiensis, protendentes se iuxta dictam paludem Alanorum usque ad lacum Giessen, et in ipsius littore progrediendo usque ad efluentiam cuiusdam rivi e dicto lacu, sequendoque illum rivum usque ad aggerem Vaccarum. Dictum autem campum Gisiensem vendicat sibi Polonia. Relicto aggere Vaccarum, sunt pretergrediendi quidam alii cumuli terminales inter civitatem Kaliss et Giessen, in via Kalisiensi desinentes. A quorum postremo, dicte vie nempe viciniori, ulterius progrediendum usque ad confinium camporum Lebitzensis et Giesensis. Dimidium vero campi Lebizensis pertinet ad Poloniam. De campo Lebitzensi ulterius progrediendum ad rivum quendam e lacubus Friedlandie effluentem, dictum Letifluvius, qui suo directo in indirecto fluxu terminos tenet donec cum Karbiziensi rivo confluit. Sic rivus Karbiziensis, iterum ascendendo inter Fridlandiam et villam Kurtenitz usque ad locum ubi ambarum illarum fines cessant, et porro hinc ascendendo inter Zado, cuius ville dimidium ad Polonicam iurisdictionem

[illegible]

[redacted]

spectat, et Fridlandiam usque ad sylvulam quandam, terminos tenet pergendo iuxta dictam silvulam usque ad scatebram Moderemiken; iuxta illam ad stipitem ferreum et hinc ad fornacem in qua liquantur cineres, qua relicta procedendum iuxta finem lacus Latzke directe ad arborem monasticam, et de illa ad campum Bredenstennensem, de illo in Stagnum nigrum usque ad Klinkfortt. Hinc usque in viam Kronensem et porrecte (sic) in ista usque in Lacke, et ulterius usque ad sylvulam fabri, per actus pecudum Henrichsdorffiensium ad paludem longam ubi ferreus stipes inveniendus; suntque Prochnow et Petzenigk sub ditione marchionali. De finibus ville Zadoviensis iterum versus Specksdorff, et de illius finibus in quendam rivum in Moderinke currentem, et Moderineke in stagnum molandini Specksdorffianum, quod ambobus suis littoribus cum dicta villa ad Marchiam pertinet; et sic ulterius ad locum ubi olim aqua superflua ex dicto stagno effluit et ubi nunc duabus rotis molaribus decidit et rivum efficit, qui fluxu suo directo et indirecto, facta et confluentia cum alio in lacu Lubizensi existenti, adepto nomine Kramp terminos tenet usque in lacum Zyten. In cuius sinistro littore tendunt termini iterum ad fluentiam e dicto lacu ducentem, terminos directe et indirecte in et per lacum Wusterwitz, qui ambobus littoribus sub ditione marchionali continetur, servato nomine Plötzenfliess tenentem usque in fluvium Traba, apud cuius influentiam in ripa ferreus stipes conspiciendus, de quo in fluxu dicti rivi in Trabam. Traba iterum terminos inter Poloniam et Marchiam descendendo servat, ita tamen ut utrique parti usus fluminis ad medietatem illius in cuiuslibet littoris termino sit concessus, consistens in piscationibus, pascuis aliisque utilitatibus, usque illuc, ubi propemodum ad quartam partem miliarii ventum est ad villam Pelitz, ubi Neza et Traba collabuntur et Traba nomen amittit. Ibi Pelizenses soli habent usum totius fluminis cum ambabus ripis usque ad quendam locum Ripa alba dictum, a quo ex transverso ad lacusculum dictum Korffin cuius dimidium ad Dratzenses et alterum ad Pelitzenses pertinet, de quo descendendo ad alium lacusculum dictum rixosum, quem etiam Pelizenses ambobus littoribus possident. Hinc termini iuxta campum Dratzensem et quandam quercum, et ulterius ad quoddam munimentum in dicto fluvio a paganis Pelitzensibus ad usum piscationis structum, adiacens campo Dracensi. Et sic servat fluvius Netza, ambabus suis ripis ad Marchiam pertinet, iisque hinc ascendendo usque ad stipitem ferreum in illo rivo positum, terminos tenet; et de isto stipite procedendum ad quandam scatebram, cui adiacet in inferiore parte silve cumulus terminalis. Relicta scatebra occurrit alius cumulus terminalis, de quo ex circumvadendo paludem dicto Pruch, obiicit se alius cumulus in fine cuiusdam dumi, qui locus Fovea terminalis appellatur. Hinc ad quandam viam que olim de civitate Fronich versus Driesen duxit, ad quandam aream dictam Area cauponaria, de qua in quendam rivum Ursi rivus, in rivo isto ascendendo usque ad scaturiginem suam versus duos cumulos terminales, quibus relictis directe procedendum ad viam Zirckoviensem, et in et per lacum dictum Malini circa locum Lubetzschke, in quo quidam lacusculus, fruticeta et prata sunt que omnia in territorio marchionali sunt comprehensa, usque ad quandam viam dictum lacum Lubetzschke in fine ipsius preterlabentem, de qua via ad aliam dictam via Pyri ad duos cumulos terminales, haud procul a dicta via in supremo loco lacusculi dicti Radenick sitos. Hinc ad lacum quendam Chrammentschin dictum, et de illo ad foveam calcariam in supremo loco lacus Lunko sitam, de qua ad cumulum terminalem iuxta viam Schwerinensem situm, et terminos directe et indirecte usque ad lacusculum Esseritz, qui ad villam Pollicho et cum illo ad Marchiam pertinet, te-

[illegible]

nentem; de quo ascendendo versus dextram, ad quandam pinum inter Morno et Poleichen, clavo ferreo signatam, stantem; incipiuntque termini Mornenses in dicta pinu, intervadentes villas Mornen et Schwerin attingentesque munimen quoddam piscatorium in Wartha, cuius pretor Mornensis est possessor. Pertinet autem dimidium dicte ville Mornensis ad Poloniam et alterum dimidium ad Marchiam, nulla adhuc facta divisione illius sylvarum, piscationum, mellificiorum, mellipensionum, pratorum, redituum, iurisdictionis. De quo predicto munimine fluviali, fluvius Wartha terminos tenet ad villam Borck sitam trans fluvium, et in littore eius in regiuncula Sternbergensi, apud quam fines Mornenses cessant, sic predicta villa constituitur limis. A quo termini iuxta Wartham, ascendendo ad congeriem cui ferreus stipes cruce notatus infossus, astante quercu similiter crucibus signata, ubi confinium est ville Trebitz et Bork; et sic de meta ad metam procedendo, usque ad viam regiam de Landtsberg versus Schwibussen ducentem, in qua iterum ferreus stipes inveniendus; hinc sequendo istam viam, usque ad collimitium camporum seu mansorum villarum Neuwendorff et Tempel, in qua via iterum ferreus stipes inveniendus; de quo circumvadendo villam Tempel eiusque arva in parte sinistra, directe ad montem Kiliscensem in viam regiam de Reppen ducentem, ubi iterum ferreus stipes inveniendus, apud quem semper possessores de Sternberg mercatores salvo conductu recipere et de Messeritz usque ad Reppen comitari, revertentesque iterum versus Messeritz ad dictum stipitem consueverunt. Et servat dicta via de Messeritz versus Reppen terminos usque ad campum Seerensem proxime ille vie adiacentem, usque ad extremam metam Sterpe, regiunculam Sternbergensem a Polonia secantem et finientem, que ville, nempe Seeren, Tempel, Langepfuel et Bursen cum suis adiacentibus arvis et mansis, que incole hactenus titulo censuali de commendatoribus in Lagow possederunt, in territorio Sternebergensi comprehense iacent eosque pertinent. Habet autem domus Messeritz in predictis quatuor villis aliquos proventus et reditus pecuniarum, siliginis, avene, ovorum, gallinarum et decimarum quas aliqui pecunia solvere solent, exigendos: serviuntque mansarii illi singuli quotannis duos dies evehendo fimum, duos dies in messes secando fruges, duos dies secando gramina et duos dies colligendo ista, duos dies invehendo fruges, et tenetur quilibet illorum semper in quatuordecim diebus semel perferre vehem lignorum ad culinam Messertz. Hortularii autem, id est qui non habent mansos, tenentur, ut semper in quatuordecim diebus semel duo ex qualibet villa pedibus veniant Messeritz et ibi servitia unum diem servitia prestent; ultra quod predicti incole quatuor villarum non sunt amplius molestandi, nec restat domui Messeritz plus aliquid iuris, dominii aut iurisdictionis in dictis quatuor villis preter illa supra enumerata: sed cum omnibus proprietatibus suis, scilicet censibus, servitiis, pensionibus, beneficio ecclesiastico, mulcta viaria, iurisdictione superiori et inferiori, aliisque regaliis et utilitatibus que nunc sunt et in futurum in istis fieri possent, pertinent ad fratres Ordinis sancti Iohannis Hospitalis Hierosolymitani. Incole autem dictarum villarum, non prestituri et denegaturi debita sua domui Messeritz, coram possessore Lagov sunt accusandi et ad hec officio iudiciali compellendi. Etiamsi autem alique ville, arva aut alia loca in predictis terminis, nunc ordine equatis et certis limitibus distinctis, contineri et ab illis ex toto seu parte attingi possint, quarum tamen hic nulla facta est mentio seu specificatio, attamen hoc neque dominis possessoribus, neque subditis vel incolis qui illa a dominis possident, cum plerumque ville invicem inter se proprios et discretos terminos habeant, aliquid preiudicii aut damni ferre debet.

[illegible]

[redacted]

Ad cuius rei notitiam et ne hoc factum nostrum in futurum per nos vel nostros successores debeat aliquo modo violari, sed robur perpetue firmitatis obtinere, et sic per illud concordia ad laudem Dei conservari, successus subditorum et illorum fortunarum augeri queat, presentes litteras nostri sigilli munimine roborari fecimus, presentibus testibus a quibus ipsis limitatio supradicta facta et absoluta est. Et sunt Retpolthus (Pretpelcus) palatinus, Bogzuphalus castellanus Posnaniensis, Nicolaus prepositus in Zantoch, et alii quam plures clerici ac laici fide digni. Date Posnanie in die Elisabeth, anno millesimo ducentesimo quinquagesimo primo.

Terra Sternbergensis, *de Sternberg.* Saxum signatum, *stało pomiędzy jeziorami Zetzin See a Zemminer See, 2 mile na północ miasta Falkenburg.* Iersdorff, *Gersdorf.* Antiqua villa Wuro, *Alt Wuhrow.* Palus Bulgenhagensis, *nie odgadniony.* Bulgorin, *Bulgerin.* Palus Tschebruch, *nie odgadnione.* Lacus Ligpen, *Liepen See.* Rivus efluens ex lacu Ligpen, *Liepen Fliess.* Lacus Draitzig, *Drazig See.* Mons calvus, *Kahlenberg.* Mons Melum, *Schweden Berg.* Palus Birkhals et alia palus, *jeziora pomiędzy Alt- i Neu Wuhrow.* Klebo, *Klebow. Powyżéj opisana granica odcina od dawnego Starostwa Drahimskiego wsie: Alt- i Neu Wuhrow i Klebow.* Rivus Memorusfortt, *Schlanken Fliess.* Sehebrucken palus, *Seeken See.* Rivus Vadum ducum, *Grüner Fliess.* Traba, *Drawa rz. z niemiecka Drage.* Campus Claushagensis, *nie odgadnione.* Falkenburgensis domus, *preceptoriat Maltańczyków w m. Falkenburg.* Lacus Gossin, *Cossin See.* Wittenbruch, *Wuckel, obok któréj wsi jezioro Wuckel See.* Plumidalensis, *de Blumenwerder.* Lacus Poltzkaumensis, *Pölzig See.* Heinersdorff, *Heinrichsdorf.* Breitenstein, *nie odgadnione.* Mose, *dziś* Mösse, *nazwisko bagnistych miejsc w okolicy Drahimia i Czaplinka, często się powtarzające.* Calentigk, *Calenzig.* Steinbringk, *nie odgadnione.* Berkenbrüke rivus, *bagno Birkenbruch Mösse.* Lacus Plavensis, *Plage See.* Phierichow, *Virchow.* Brotzen, *z niemiecka zam. Bruczno.* Thurnbruch arva, *Thür Bruch.* Rivus Debritz, *Döberitz Fl.* Landeck, *Landeck.* Fluv. Maior Pilo, *Pilow Fl.* Machelin, *Machlin.* Krono, *czyli* Arnescron, *z niem. zam. Wałcz.* Königsfortt, *Königsfort.* Silva Brissiensis, *Büssener Heide. Poprzedzający ustęp, ujęty w klamry, jest tylko opisaniem rozległości lasu Thurbruch.* Lacus Andree *i* Capita canina, *jeziora obok wsi Hundskopf.* Aqua mortua, *das todte Wasser.* Lacus Mechelin, *Machlin See.* Rivus Phalbecke, *Fuhlbeck Fl.* Silva Simiensis, *las około wsi Sem.* Madidus Priedank, *Prielang Bach.* Lacus magnus et parv. Kobitz, *jeziora pomiędzy wsią Starydwor i miast. Frydland.* Schönfeldt, *Schönfeld.* Mons Kabelsberg, *Peck B.* Lacus Christianensis, *jeziora o pół mili na północ-wschód od m. Frydland.* Lacus Winkerensis, *Wurknick See.* Montes Wurlovienses, *Wordel B.* Montes Bullenses, *nie odgadnione.* Iacobsdorffianus, *de Jacobsdorf.* Rodespring, *nie odgadnione.* Lacus Iespe, *Kl. Giesen See.* Kaliss, *Kalies.* Gisiensis, *de Giesen.* Pamminiensis, *de Pammin.* Palus Alanorum, *może być Weissbruch.* Lacus Giesen, *Gr. Giesen See.* Lebicensis, *Alt Lobitz.* Rivus efluens e lacubus Fridlandie, *Mühlen Fliess.* Karbiziensis rivus, *Krebs Fliess.* Kurtenitz, *Alt Körtnitz.* Zado, *Zadow. Następnie robi granica głębokie wcięcie w powiat Wałecki, wyjmując z niego wsie Petznick i Alt-Prochnow.* Latzke, *Latzig.* Bredenstennensis, *nie odgadnione.* Klinkfortt, *nie odgadnione.* Henrichsdorffiensis, *pewnie mylnie zam. de Hohenstein.* Specksdorff, *Spechtsdorf.* Lacus Lubizensis, *Lüb See.* Kramp, *Krampe.* Lacus Zyten, *Zietenfier See.* Lacus Wusterwitz, *Wusterwitz See.* Plötzenfliess, *Plötzenfliess.* Fluv. Traba, *Drawa rz.* Pelitz, *Alt Beelitz.* Neza, *Noteć.* Dratzensis, *de Drasko.* Lacusculi, *o których mowa, leżą pod wsią Neuteich.* Palus Pruch, *Grünz Bruch.* Fronich, *Wronki.* Driesen, *Drzeń dziś*

[illegible]

[illegible]

Drezdenko. Rivus Ursi, *strum. pod wsią Kamionek.* Zirckoviensis, *de Sieraków.* Lubetzschke, *Lubiath.* Lacus Chrammentschin, *może Persken See.* Lacus Lunko, *Lunken See.* Schwerinensis, *de Skwierzyna.* Pollicho, *Pollychen.* Morno, *Murzynowo, z niem. Morrn.* Borck, *Borkow.* Trebitz, *Trzebiszewo.* Landtsberg, *Landsberg a/W.* Schwibussen, *Swiebodzin, z niem. Schwiebus.* Neuwendorff, *Nowa wieś.* Tempel, *Templewo.* Mons Kiliscensis, *pod wsią Klicz.* Reppen, *Reppen.* Messeritz, *Międzyrzecz.* Seerensis, *de Zyrsko, z niem. Seeren.* Sterpe, *Staropol, z niem. Starpel.* Langepfuel, *Długopole, z niem. Langphul.* Bursen, *Burschen.* Lagow, *Lagow.* Zantoch, *Santok. Powyżéj opisane granice są ściśle, z małymi wyjątkami, granicami Wielko Polski z Marchją w wieku XV ustanowionemi, które do ostatnich czasów się utrzymały.*

Nr. 298.

Kazimirus dux Cuiavie et Lancicie 1281 s. d., in Crampsco; renovat et confirmat privilegium, quod Kazimirus dux anno 1150 monasterio de Ląd super haereditates Kłobia et Chocen dederat.

Pergam. orygin. Na sznurku jedwabn. zielon. przywieszony ułamek pieczęci przedstawia Lwa wspiętego w prawo.

Warszawa. Zbiory Rusieckich. Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Codex diplom. Poloniae I, Nr. 36.

In nomine Domini amen. Omnis actio legitima temporalis, memoria indigens, ne pravorum hominum suggestionibus infirmetur, utile et cautum est ut scripture testimonio roboretur. Ideo nos Kazimirus Dei gracia dux Cuiavie et Lancicie notum esse volumus tam presentibus quam posteris, quot pro remedio anime nostre ac omnium parentum nostrorum renovavimus privilegium gloriosi ducis Kazimiri avi nostri, nimia vetustate simul et negligentia contritum, quot fratribus de Lynda Ordinis Cysterciensis super ipsorum hereditatibus, scilicet Cloba et Chocene noscitur contulisse anno Domini M.C. quinquagesimo. In quo continebatur, quot homines predictarum villarum ab omni iure Polonicali liberi essent et exempti, videlicet a povos, ab omni prewot, a strosa, a dan, naraz, potvorove, targone (sic), mostne, a castrorum edificio seu poncium quorumlibet, a recepcione vel custodia aut conductu castorariorum, a custodia et solucione erodiorum quot sokol dicitur, a vicinia quot opole volgariter nuncupatur, ab omni exactione sive collectione, a vecturis et expedicionibus, et ab omnibus iuribus in dominio nostro constitutis quibuscunque censeantur nominibus. Nulli ergo castellanorum aut iudicum scitandi (sic) aut iudicandi in prefatis hominibus seu villis prescriptis ius aliquot reservantes, sed cum gravis causa emerserit que coram abbate vel eius iudice convenienter diffiniri non poterit, ad presenciam nostram cum anulo nostro scitari debent, remittentes abbati quitquid iure iudicii cesserit, et nusquam incarcerari nisi in stabulo abbatis. Continebatur nichilominus in eodem privilegio, quot predictarum villarum homines in subsidium prenominatorum fratrum annuatim solvere tenentur LX^a^ manipulos nove siliginis, quinque capecia annone metere, tribus diebus segetes purgare, per unum diem triturare, rete trahere, in festo sancti Michaelis modium avene, pro tribus panibus mensuram tritici, tres urnas brasii, tres chitas lini, tres plaustratas feni totidemque lignorum, duos truncos de pino, et cum necessitas fratrum exegerit, tam pedestres quam eque-

[illegible]

[redacted]

strcs mandato eorum dirigere. Nos vero progenitorum nostrorum devocionem pio prosequentes affectu, iam dictas hereditates cum hominibus et eorum serviciis simul et libertatibus, fratribus domus Lyndensis confirmamus. Ut autem hoc nostrum factum in honore Dei sancteque Marie genitricis eiusdem ratum ac firmum permaneat imperpetuum, presentem cedulam sigilli nostri appensione duximus roborandam. Acta sunt hec in Crampsko anno gracie M.CC. quinquagesimo primo, presentibus domino Fulcone archiepiscopo, Bogusa palatino Cuiavie, Iohanne filio Sulizlavi, Budizlavo iudice Lanciciense, Thoma subdapifero, et aliis quam pluribus.

Lynda, *Ląd.* Cloba, *Kłobia.* Chocene, *Choceń.* Crampsco, *Kramsk.*

Nr. 299.

Premisl dux Polonie 1252 Jan. 20, in Gnezna; dat ecclesiae Gneznensi villam comitis Osimborii dictam Ostrowite, praefato vero comiti pro eadem villas Łagiewniki et Piotrowo confert.

Pergam. orygin. u którego dwie pieczęcie przywieszono; pierwsza na sznurze jedwabn. czerw., podługowata, przedstawia biskupa na tronie, błogosławiącego, z pastorałem w lewicy; z napisu: S. Fut... pi. — *druga znikła, pozostał sznur jedw. żółty. Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 21.*

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Quoniam mundus caducus est et diversis, cottidie casibus variatur, idcirco necesse est acciones legitimas que memoria indigent, per scripti continentiam in noticiam transmitti posterorum. Noverint igitur universi presentes et posteri, quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie villam comitis Osimborii, Ostrovite nomine, dedimus beato Adalberto et venerabili patri domino Ffulconi Gneznensis ecclesie archiepiscopo eiusque successoribus iure hereditario pacifice ac quiete perpetuo possidendam, quemadmodum in privilegio nostro super hoc eidem Ff. archiepiscopo dato plenius continetur. Comiti autem Osimborio eiusque posteris pro eadem prenominata villa Ostrovite dedimus villam Petrconis, et ministerialium nostrorum qui vulgariter Lagevnici vocantur, ville dicti Osimborii Mirucino nomine contiguas, cum omnibus utilitatibus que in eis sunt vel haberi possunt, iure hereditario perpetualiter possidendas. Dicte eciam ville ipsarumque incole sint inmunes a servitutibus, strosa videlicet et podvorowe, coram castro eciam non respondeant nec citentur, prout Mirucino et Ostrovite, eiusdem Osimborii ville, hactenus ex nostrorum donacione predecessorum habuerunt. Ut autem hec nostra commutacio et donacio perpetue firmitatis robur obtineant, presentem paginam nostro et domini Ff. archiepiscopi sigillis fecimus roborari. Datum in Gnezna XIII Kalendas Februarii, anno gracie MCC quinquagesimo secundo, Indictione decima, presentibus: eodem domino Ff. archiepiscopo, comite Pretpelkone castellano Poznaniensi, comite Preslao filio Dirskonis castellano de Bechow, Ianussio cancellario, Wlosciborio thezaurario domini archiepiscopi, Michaele nostro capellano et aliis quam pluribus.

Ostrovite, *Ostrowite Prymasowskie.* Villa Petrconis, *Piotrowo.* Villa lagenariorum, *Łagiewniki.* Mirucino, *Mirucin, od dwóch poprzednich 4 mile odległe.* Bechow, *Biechow.*

Nr. 300.

Premisl dux Polonie 1252 Mart. 12, in Poznan; recipit ad petitionem Theodorici magistri Hospitalis in Poznań, in villis Zielęcin et Koło commorantes in suam protectionem.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. E pars 2da, fol. 2.

Premisl Dei gracia dux Polonie, omnibus in Zalocino et Colo commorantibus gracie sue plenitudinem et omne bonum. Notificamus vobis, quod ob reverenciam Dei et sancte Crucis, ad peticionem et instanciam nobilis viri magistri Theodorici domus Hospitalis de Poznan, vos et omnes ad vos pertinentes in nostram specialem recipimus proteccionem, conferentes vobis a nobis et a nostris omnibus omnimodam libertatem et securitatem. In cuius rei testimonium presentem nostram litteram nostro sigillo roboratam vobis conferimus, mandantes nostris omnibus, ut vos in nullo audeant impedire. Si quis autem ausu temerario vos in aliquo contra mandatum nostrum molestare presumpserit, nostram indignacionem maximam et rerum suarum ammissionem procul omni dubio se noverit incursurum. Datum in Poznan ipso die beati Gregorii anno gracie millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, Indiccione decima.

Zalocino, *Zielęcin.* Colo, *Koło.*

Nr. 301.

Premisl dux Polonie 1252 s. d., in Medwediscia; confert monasterio de Łekno modo commutationis villam Werkowo, ab eodem vicissim villam Kiedrowo accipiens.

Pergam. orygin. Z dwóch przywieszonych pierwotnie pieczęci, pozostał z pierwszéj szczątek grubego sznura z jasnego, wypłowiałego jedwabiu, przewleczonego przez dwa wcięcia poprzeczne. Druga dość dobrze zachowana, księcia Bolesława, przywieszona w równy sposób na sznurze białego i czerwonego jedwabiu; (pieczęć XVI).

Kurnik. Biblioteka. Diploma Nr. 3.

In nomine Ihesu Christi amen. Quia fragilitas humane condicionis eorum que temporaliter geruntur memoriam vix aut raro sufficit habere continuam, congruum videtur et necessarium, ut ea que firma et perpetua desiderantur haberi, scripto memorabili sive testimonio probabili perhennentur. Ideoque nos Premisl Dei gracia dux Polonie presentibus et futuris presentem paginam inspecturis notum esse volumus, quod pro voluntate nostra cum venerabili domino Petro abbate cenobii beatorum apostolorum Petri et Pauli in Lokna de consensu omnium fratrum ibidem Deo serviencium commutacionem pro villa que Crudov dicitur fecimus, villam que Virkov vocatur cum omnibus utilitatibus que in ea nunc sunt vel in posterum evenire poterunt sibi conferentes, quam ob reverenciam prefati domini P. et beatorum apostolorum omniumque fratrum ibidem Deo serviencium, ab omnibus exactionibus quibus

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

No. 201.

[illegible]

[illegible]

impediri poterint volumus esse solutam. Habundantiori autem cautela ipsis providentes, volumus ut memorata villa a provincia Srasimensi alienata, provincia (sic) Luknensi sit deputata. Et ut hec commutacio nostra a nobis et a posteris nostris in perpetuum robur firmitatis obtineat, presentem litteram sigilli nostri impressione dignum duximus roborandam. Datum in Medvediscia anno gracie millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo.

Lokna, *Łekno.* Crudow, *Kiedrowo.* Virkov, *Werkowo.* Provincia Srasimensis *t. j. de Radzim, grodu leżącego na wyspie rz. Warta o 1 milę powyżéj m. Oborniki z którego dziś wysokie grodziszcze i głębokie przekopy pozostały.* Medvediscia, *Niedźwiady.*

Nr. 302.

Premisl dux Polonie 1252 Apr. 24, in Gnesna; hominibus villas ecclesiae Poznaniensis inhabitantibus amplissimas confert libertates, pro fundis vero ecclesiarum b. Martini et s. Adalberti in Poznań, sibi ab ecclesia praedicta pro locatione ibidem civitatis cessis, partem fluvii Warta eidem retribuit.

Pergam. orygin. Na sznurze z nici jedwabn. czerwon. i żółt. przywieszona pieczęć, któréj wycisk zupełnie zatarty.

Poznań. Archiv. Capituli. I, 3. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 31.

In nomine Domini amen. Quoniam acta et voluntates hominum sepe solent wariari, necesse est ut ea que in perpetua stabilitate volumus permanere, litterarum diligentia faciamus solempniter annotari. Inde est quod nos Premisl Dei gratia dux Polonie notum facimus universis Christi fidelibus, quod ob remedium anime nostre et ob specialem devotionem quam ad ecclesiam beati Petri in Posnan habemus, in qua exnunc dum nos mori contingat eligimus sepeliri, damus et concedimus de maturo baronum nostrorum consilio omnibus hominibus habitantibus in villis ecclesie supradicte, quas nunc habet vel iustis modis acquisierit in futurum, omnimodam libertatem, absolventes ipsos ab omni exaccione et vexatione quas homines terre nostre prestare vel facere consueverunt, videlicet a poradlne, a podworowe, a stroza, a prevod, a naraz, a podvoda, a vacca et a bove, et aliis exaccionibus quibuscunque nominibus nominentur. Nec a quoquam nisi coram episcopo vel suis dominis in ius evocentur, exceptis eis que (sic) aut in tradicione castri convicti fuerint, aut familias nostras eduxerint, vel hostes in terram duxerint: et eorum iudicium presentibus ipsorum dominis vel nunciis eorum coram nobis agatur, ita tamen, quod mulcta (sic) quam pro huiusmodi delictis infligenda rationabiliter viderimus, ipsorum domini percipiant integre pleno iure. Nec ad constructionem novorum castrorum eos cogi volumus, sed ad reedificationem antiquorum castrorum tenebuntur, ita ut episcopus cum suo Capitulo istbizam unam ponat, ut alii nobiles terre nostre consueverunt. Ad defensionem terre, cum hostes intraverint, homines suos mittere tenebuntur. Et quia reverendus pater noster episcopus Bogufalus una cum suo Capitulo cesserunt nobis de fundo beati Martini et sancti Adelberti, in quo civitatem ponere disposuimus et locare, eis bona fide promisimus compensationem facere competentem reservantes ecclesie fluvium Wartham dimidium, versus ipsorum planiciem defluentem, qui fluvius si

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

inundaverit, naulum dimidium habebit ecclesia; pro civitate vero aliam partem resei
vamus. Quod si parrochialem ecclesiam, sicut idem dominus episcopus iam permisi
erigere contingerit in fundo superius nominato, ius conferendi talem ecclesiam circ
episcopum et Capitulum perpetuo permanebit. Et ut nostra donatio nullis tempor
bus violetur, hanc paginam nostri fecimus sigilli apensione muniri. Acta sunt he
in Gnesna in crastino sancti Adalberti anno ab Incarnatione Domini M.CC.L. secund
presentibus hiis testibus: Pretpolcone palatino (sic) Posnaniensi, Dirzycragio palatin
Gneznensi, Bogufalo castellano Posnaniensi, Domarado iudice curie, Pacoslao filio S
derici, Eustachio filio Iohannis quondam, et aliis multis curie nostre militibus
etiam capellanis.

Fundum beati Adalberti et b. Martini, *przyległości tychże kościołów w mieśc Poznań.*

Nr. 303.

Premisl dux Polonie 1252 Apr. 26, Gnezne; confert una cum frat
suo duce Boleslao per Gertrudim abbatissam de Trzebnica, filiam b. m. ducis He
rici, filiabus Ordinis Cisterciensis haereditatem Owinska et alias complures, qu
omnes amplissimis libertatibus et privilegiis munit.

Poznań. Towarzystwo przyjac. nauk. Owinska, privil. Nr. 2.

In nomine Domini amen. Nos Premisl Dei gracia dux Polonie, exaltacione
sancte Ecclesie nostris zelantes temporibus et saluti nostre prout Dominus donave
providentes, notum esse volumus presentibus et futuris, quod una cum fratre nost
Boleslao illustri duce eiusdem Polonie ad honorem Dei et beate Virginis et pro r
medio animarum patris nostri et matris et in remissionem peccatorum nostroru
per venerabilem dominam Gertrudim abbatissam Trebnicensem, filiam quondam incl
ducis Henrici felicis recordacionis, contulimus Ordini Cisterciensi et filiabus eiusde
Ordinis hereditatem que vocatur Owensko, que est sita super Wartham fluvium, cu
quatuor villis sibi adiacentibus, scilicet Bolechow, Radinowa, Marszowiza, Weregni
ab iisdem virginibus sacris sub Ordinis prefati professione ibidem Deo famulantib
perpetuo possidendum: ita ut hee quinque hereditates infra unum ambitum uno ci
cuitu in unum territorium quod Owensko vocatur, in quo ipsum claustrum sanc
monialium consistit, cum sua plena integritate sint coniuncte, et Conventus domin
rum Deo serviens, in loco eodem semper consistat. Addimus eciam eidem cenol
plures possessiones, scilicet Tmienich, Kludowo cum decimis earum et cum decin
suprascriptarum quinque villarum, Samolese, Dobegneve, Olesno, Golina Ceslai, Gl
chow, Sienno, Milacowiza, Raskowicze, Rokitnica. Superaddimus eciam dominab
eisdem triginta marcas de moneta Poznaniensi pro vestitu, et duodecem lapides ce
trigintaque lapides de sepo ad divinum officium peragendum. Et quia dicta dom
Dei super Wartham est sita, volumus ut Christi famule in ea habitantes utraq
ripa ipsius fluvii et universis utilitatibus, videlicet silvis, pratis, pascuis, agris, aqu
molendinis, piscibus, castoribus, venacionibus et si que sunt alie utilitates, libere
absque ulla contradictione infra terminos domus sue semper dominentur. Contulim
eciam eisdem dominabus in suis hereditatibus ubicunque voluerint civitates et vil



locare Theutonicis, quocunque iure ipsis dominabus placuerit; ita ut omnes proventus earundem civitatum et villarum, scilicet theloneum, omne iudicium sive parvum sive magnum, ad claustrum earum semper attineat. Nulli ergo hominum liceat quemque de hominibus dominarum de Owensko ad quodcunque iudicium sive castrum provocare aut iudicare, nisi ad eum, qui a domina abbatissa loci illius iudex fuerit constitutus. Si autem tam gravis casus ibidem fuerit quandoque exortus, quem iudex claustri non poterit iudicare aut determinare, tunc nusquam iudicetur nisi in presencia nostra aut fratris nostri aut nostrorum heredum; ita tamen, ut mediante nuncio claustri, omnis utilitas inde proveniens ad ipsum claustrum revertatur. Sed quia eandem domum Dei una cum fratre nostro duce Boleslao, cuius voluntatis semper erat et est idem factum effectum complere, specialiter ad honorem beate Marie semper virginis fundavimus, volumus ut venerabile collegium sponsarum Christi in ea habitans, tam pro suis civibus quam eciam pro hospitibus et advenis, mercenariis et ministris et universis in claustro et extra claustrum infra terminos ipsius degentibus, plena gaudeat libertate: ita ut universi in earundem dominarum hereditatibus habitantes a nostris prorsus serviciis et exactionibus sint absoluti, scilicet prewod, stroza, podwod, powos, stan, podworowe, chlodnicze, powolowe, constructione castrorum, et si que sunt alie exacciones. Nulli ergo hominum liceat aliquam exaccionem, de iure aut consvetudine habitam vel habendam, infra universos terminos claustri de Owensk a quocunque hominum exigere aut modo aliquo extorquere ad opus nostrum sive ad opus alicuius baronum vel officialium nostrorum; quorum iurisdicciones, si fuerant hactenus in eisdem locis, per presentem indulgenciam volumus omnino enervari. Volumus eciam, ut nullus de hominibus dicti claustri ad quamcunque se moveat expedicionem, nisi pro comuni defensione terre. Cum autem contigerit nos aut nostros heredes extra terram expedicionem movere nostras iniurias ulciscendo, volumus et mandamus, ut claustri eiusdem hereditatum incole a talibus expedicionibus absoluti, per se et sua vectigalia ad opus dicti claustri assidua se invitent pro domine abbatisse et suorum officialium seu procuratorum voluntate, donec Domino propiciante ad propria revertamur. Item volumus et mandamus, ut procuratores dominarum de Owensk pro cunctis necessitatibus ipsarum per universam terram nostram sine solucione thelonei libere semper incedant. Si que autem hereditates sive civitates sive fora a domina abbatissa titulo emptionis seu commutacionis acquisite fuerint, seu oblate pro remedio animarum, vel a quibuscunque donate fuerint: suprascripta in omnibus gaudeant libertate. Ut ergo hec nostra donacio et eleemosyna et omnia prescripta firma et inconvulsa perseverent in futurum, presentem chartam sigilli nostri et fratris nostri ducis Boleslai curavimus firmare appensione. Actum est hoc anno Domini Incarnacionis millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, VI Kalendas Maii, id est quarta die post festum sancti Adalberti, in colloquio quod habitum est eo tempore in Gnezna, his presentibus: venerabili patre domino Boguchwalo divina vocacione Poznaniensi episcopo, qui pro testimonio veritatis ad peticionem nostram huic charte eciam suum apposuit sigillum, domino Boguphalo cencellario nostro, domino Isaia cancellario Kalisiensi, domino Martino preposito de Santoc; eciam nobilibus et comitibus iis: Bogumillo palatino, Domarado iudice nostro, Pretpolko castellano Poznaniensi, Dersicraio castellano Gneznensi, Herchenboldo castellano Kalisiensi, Iarossio castellano de Ruda, Pretslao castellano de Bechow, Boguta castellano de Derzen, Gervardo castellano de Srzem, Bogusza palatino Cuyavie, Bozeta dapifero Gneznensi, Bogusza succamerario nostro, Henrico procuratore nostro et aliis

[illegible]

quam pluribus. Et licet nos Fulco Dei gracia Gneznensis archiepiscopus inscripcione huius charte presentes non extitimus, ad peticionem domini Premisl Polonie ducis postmodum eandem fecimus eciam nostri sigilli testimonio communiri.

Trebnicensis, *de Trzebnica.* Owensko, *Owińska.* Bolechow, *Bolechowo.* Radie nova, *Radojewo.* Marszowiza, *Marszewice.* Weregniza, *Wierzenica.* Tmienich, *niodgadnione.* Kludowo, *Kłudowo.* Samolesc, *Samołęż.* Dobegneve, *dziś z niemiecka miasto Woldenberg.* Olesno, *Oleśno.* Golina Ceslai, *dziś pewnie Gole.* Głuchow, Sienno, *dziś tak samo.* Milacoviza, *Miłosławice.* Raskoviczc, *dziś pewnie Raczkowo.* Rokitnica, *Rokitnica lub też dziś. Regenthin.* Santok, Ruda, *dziś tak samo.* Bechow, *Biechow.* Derzen, *właściwie Drzeń, później Dryżyna, z niem. Driesen, dziś Drezdenko.* Srzem, *Śrem.*

Nr. 304.

Kazimirus dux Lanchicie et Cuiavie 1252 Mai. 25, s. l.; confirmat ad preces Cristiani, quondam episcopi Prussiae, monasterio de Sulejow possessionem villae Dobrowo et aliarum eidem vicinarum.

Pergam. orygin., u którego na sznurach jedwabn. cztery pieczęcie przywieszono; Z pierwszéj i drugiéj pozostały sznurki, trzecia podługowata przedstawia biskupa na tronie, błogosławiącego, z pastorałem w lewéj; napis zatarty. Czwarta przedstawia w ułamku Najśw. Pannę z Dzieciątkiem, napis odłamany.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 22.

In nomine Domini amen. Licet quedam facta universitati hominum evidenter nota sint, solet tamen frequenter accidere, quod humanis actibus cum testes defuerint, atemptet calumpnia novercari; idcirco necesse est actiones legittimas que memoria indigent, per scripti continenciam in noticiam transmitti posterorum. Nos igitur Kazimirus Dei gracia dux Lanchicie et Cuiavie notum facimus presentibus et futuris, quod cum racione dotis inclite ducisse Constancie, uxoris nostre et matris nobilium ducum Lestconis et Semomisli filiorum nostrorum, Lendensem castellaturam teneremus, accedens ad nos pie recordacionis Cristianus quondam Cisterciensis Ordinis monachus et post divina providencia super terram Prusie consecratus episcopus, humiliter supplicando nos rogavit, quod nos villam que Dobrow vulgariter nuncupatur cum suis pertinenciis, quam tempore sui monachatus et eciam episcopatus racione Cisterciensis Ordinis cui ab antiquo collata fuerat libere ac pacifice multis annis possederat, domui sancte Marie et fratribus de Suligev Cisterciensis Ordinis racione eiusdem Ordinis post eius obitum confirmare dignaremur. Nos autem Deo militantibus subvenire pium ac saluti esse necessarium considerantes, predictam villam Dobrov cum omnibus pertinenciis suis ac utilitatibus universis, videlicet capella, piscatoribus, sanctuariis et villis quarum nomina sunt hec: Lesno, Rusichow, Zaldovo et Quetcovo, memorate domui et capellanis nostris de Suligev racione Cisterciensis Ordinis, cui collate fuerant ab antiquo, nullo reclamante in remissionem peccatorum nostrorum hereditario iure possidendas perpetuo confirmamus. Et ut nostra liberalitas clarius elucescat, volumus ut incole dictarum villarum, tam liberi quam alii, ab omni prowod, a strosa, a dam, a mostove, a povoz, a naraz, a povolove,

[illegible]

[redacted]

podvorove et a poradlne, et ab omnibus aliis servitutibus et exactionibus, angariis et perangariis, penitus sint immunes. Ad nullam eciam expedicionem ire compellantur nisi tunc, quando terram nostram exercitus invaserit alienus. Nullum castrum, neque novum neque vetus edificare teneantur, et ad nullam secularem provocentur audienciam preter nostram, et hoc cum littera nostro sigillo sigillata. Furtum eciam et homicidium et omnes culpas alias que ab hominibus dictarum villarum contingerint, fratres nominate domus iudicabunt, soluciones libere recepturi. Et ut ampliori adhuc nostra utantur gracia, damus eis libere piscaciones castorum per piscatores suos, et venaciones ferarum in hereditatibus prenotatis; et ubicunque vadunt, emunt vel vendunt per terram nostram, theloneum aut vectigal nullatenus solvere teneantur. Acta sunt hec coram venerabili patre domino Fulcone Gneznensi archiepiscopo, qui ad peticionem nostram et ob salutem anime suė decimas villarum prefate ecclesie de Dobrow, quarum nomina sunt hec: ipsum Dobrow, Lesno, Rusichow, Zaddow et Quetcow; deinde Chelm, Grobevo, Dambe, Hostrofno, Comorovo, Karsovo, Zacrsevo, Brissecrse, Slavencino, Grabovo; item Brusovo, Ianushow, Kolnica, Chocemino et Veglovach, quas eadem ecclesia ab antiquo legittime dinoscitur possidere, sepedicte domui de Suligev et fratribus ibidem Deo servientibus perpetuo confirmavit. Et quia probacionum copia subtrahitur et veritas ocultatur, nos in huius facti testimonium presentem paginam sigilli nostri et prefati domini Fulconis archiepiscopi una cum Capitulorum suorum, Gneznensis vidęlicet et Lanciciensis, sigillorum munimine roboramus. Huius vero rei testes sunt: Wolimirus cancellarius, Stresco castellanus de Spicimir, Iacobus subcamerarius, Vitus subiudex, Thomas subdapifer, Mauricius subcancellarius, Evardus, Adolfus et multi alii. Datum anno gracie millesimo CC. quinquagesimo secundo, VIII Kalendas Iunii, in die beati Urbani martiris.

Lendensis castellatura, *t. j. de Ląd.* Dobrow, *Dobrow.* Suligev, *Sulejow.* Lesno, *dziś Leszno Kotowice.* Rusichow, *Rzuchow.* Zaddovo, *Szadow.* Quetcowo, *Kwiatków.* Chelm, *Chełmno.* Grobevo, *nie odgadnione, może Grabina.* Dambe, *Dąbie.* Hostrofno, *Ostrów.* Komorowo, *osada znikła p. m. Dąbie.* Karsovo, *Karszew.* Zacrsevo, *Krzewo.* Brissecrse, *Biesiekiery.* Slawencin, Grabowo, *dziś tak samo.* Brusovo, *Brudzewo.* Ianushov, *Janiszewo.* Kolnica, *Kolnica.* Chocemino, *Koźmin.* Veglowach, *zam. Głowy.* Spicimir, *Spicimirz.*

Nr. 305.

Boleslaus dux Polonie 1252 Jun. 30 — Jul. 5, in Poznania; confert comiti Raczon haereditatem Rakoniewice.

Pergam. orygin. Na grubym pasmie nici półjedwabnych zielonych przywieszony ułamek dużéj pieczęci, któréj wycisk odłupany.

Warszawa. Archiwum Główne, Diploma Nr. 590. — Stronczyński, Wzory, Nr. 10.

In nomine Domini amen. Ne ea que geruntur in tempore cum lapsu temporis labantur, solent poni in linguarum testimonio et scripti memoria perhennari. Noverit igitur presentis et futuri temporis posteritas, quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie, inspectis bonis et fidelibus serviciis comitis Raczononis, que nobis ostendit dum castra que a Theuthonicis quondam fuerant occupata, Cbusym videlicet et

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Drczen, per ipsius fidele servicium sunt nobis acquisita, et in aliis quam plurimis negociis fidelitatis obsequia demonstravit: quapropter eidem predicto comiti, filiis et posteris eius hereditatem que a nomine Raczon memorati comitis sumpsit hoc vocabulum, videlicet Raczonoviczi et eodem vocabulo a vulgo nuncupatur, iure hereditario contulimus perpetuo possidendam. In qua hereditate sibi, liberis et posteris eius dedimus omnimodam libertatem, a citacione scilicet cuiuslibet castri et castellani, ab edificacione castri, a conductu ducis quem non ducant, nullo camerario citentur nisi annulo ducis, ab expedicione, a povos, a strosa, a naras, a septuaginta, a nestane, a podvorove, ab opole, a bove et vacca annuali, a poradlne quod ipse et posteri sui super homines suos in singulis solucionibus accipiet. Et si duo homines sui invicem se occiderint, ipse penam capitis accipiet in eisdem. Nisi duci soli obediant. Et hoc ab omni exaccione et vexacione, quocunque nomine censeantur, ipsos fecimus penitus liberos et exemptos. Ut autem hec donacio robur in perpetuum obtineat firmitatis, presentem paginam nostri sigilli munimine iussimus roborari. Actum et datum in Poznania infra octavas beatorum apostolorum Petri et Pauli, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, presentibus honorabilibus viris qui sunt testes huius donacionis: venerabili patre domino Bogufalo episcopo Poznaniensi, Petrico preposito, Petro decano eiusdem ecclesie, comite Bogufalo palatino, Iohanne filio Albrachti palatino Kalisiensi, Prsetpelkone castellano Poznaniensi, Dirsicrayo castellano Gneznensi, Arcamboldo castellano Kalisiensi, et aliis quam plurimis fide dignis.

Cbusym, *Zbąszyń.* Drczen, *Drzeń, póżniéj Drezdenko.* Raczonoviczi, *Rakoniewice.*

Nr. 306.

Premisl dux Polonie 1252 s. d., in Santoch; confirmat donationem villae Karnin, per Hermanum balistarium monasterio Paradyż factam.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci, która osobno zachowana; (pieczęć XV).

Poznań. Bibl. Raczyńsk. Diploma A, 18. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 32.

In Christi nomine amen. Cum sit labilis humana memoria, nec possunt universa que geruntur in ea firmiter retineri nisi testium annotacione aut litterarum instrumento fuerint roborata, ideoque nos Premisl Dei gracia dux Polonie notum esse volumus tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis, quod fidelis noster Hermanus balistarius, fideliter cogitans de salute anime sue et sperans de misericordia Dei ipsum in celis metere quod seminaret in terris, ob reverenciam cenobii beate virginis Marie in Paradyso omniumque fratrum ibidem Deo serviencium villam que Karnino vulgariter nuncupatur, sitam in territorio Santoch, quam bone memorie pater noster Wladyslaus eidem racione constancie fidelisque servicii iure hereditario in perpetuum possidendam contulerat, memorato claustro in remedium anime sue successorumque suorum, cum omnibus utilitatibus que in ea sunt vel in posterum devenire poterint, iure hereditario cum omnimoda libertate contulit possidendam. Damus eciam predicti cenobii fratribus, dictam hereditatem Karnyn, quum ipsis visum fuerit oportunum, vendendi aut permutandi seu eciam in usus valenciores convertendi plenam et liberam facultatem. Ut autem hec eiusdem Hermani balistarii fidelis nostri donacio et elemosyna nostraque grata confirmacio a nobis et a posteris

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

nostris in perpetuum robur firmitatis obtineat, presens scriptum prefato claustro obtulimus sigilli nostri appensione roboratum. Datum in Santoch anno gracie millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, presentibus viris nobilibus Gerlaco et Ieroslao fratre suo, domino Martino preposito de Santoch, Petro et Alexio capellanis curie, et aliis quam pluribus. Ego Conradus notarius prefati ducis hiis interfui, et mandato ipsius hec omnia conscripsi.

Karnino, *z niemiecka Kernein.* Santoch, *Santok.*

Nr. 307.

Premisl dux Polonie 1252 Nov. 1, in Owenzk; confirmat claustro de Henrichow possessionem villarum Sierakow, Żylice, Przewodowo et Konarzewo, quas pater suus b. m. Wladislaus dux claustro praedicto contulerat.

Stenzel, Lib. fundation. claustri Heinrichau, p. 157.

In nomine sancte Trinitatis amen. Nos Premislaus Dei gracia dux Polonie notum facimus presentibus et futuris, quod inclitus dux Wlodislaus beate memorie pater noster olim habuit iuxta Starigrod quatuor sortes sibi invicem infra unum ambitum coniacentes, quarum una vocatur Syracovo altera Svetnize tercia Prevodovo quarta Conarzke, quas idem pater noster in unam hereditatem collegit, et ad honorem Dei et beate Virginis et pro remedio anime sue contulit claustro de Henrichow Ordinis Cysterciensis in dyocesi Wratizlaviensi existenti et fratribus ibidem Deo servientibus perpetuo possidendam, ita ut dicta hereditas ab omni iure castellanorum et officialium suorum omnino esset absoluta. Dedit eciam eisdem fratribus in ipsa sorte libertatem locandi Theutonicos si vellent, quocumque iure ipsis fratribus placeret. Postmodum vero, cum dicti fratres suam hereditatem pacifice et absque contradiccione per aliquos annos possiderent, irruente guerra inter ducem Henricum et patrem nostrum, idem fratres a transeuntibus sine intermissione in Syrachow spoliabantur, quapropter ipsam sortem licet inviti reliquerunt desertam, et post hec multis inpedimentis intervenientibus hereditas prefata a domo de Henrichow fuit longo tempore alienata; sed post ingressum Conventus dominarum in Owenzk, cepit abbas de Henrichow pro requisicione dicte hereditatis de Syrachow diligenter laborare. Nos ergo auditis huius donacionis et perdicionis ab inicio causis, eandem villam Syrachow cum sortibus sibi connominatis, eo iure et libertate quo pater noster eam prius donaverat, claustro de Henrichow et suis ministris liberaliter possidendam perpetuo confirmamus. Quod ut firmius fiat, presentem kartam sigilli nostri testimonio roboratam cenobio sepedicto duximus conferendam. Huius donacionis renovacio acta est in Owenzk anno Domini M.CC.LII in die Animarum, hiis presentibus: venerabili domina Gertrude abbatissa Trebnizensi, domina Agnete filia ducis Henrici, Herkenboldo castellano Calisiensi qui ad nostrum preceptum suum fratrem de ipsa villa Syrachow amovit, Pacozlao venatore, Bozeta dapifero, Andrea pincerna, Bogussa subcamerario, Henrico procuratore et aliis quam pluribus.

Starigrod, *Starygrod.* Syracovo, *Sierakowo.* Swetnize, Żylice. Prevodovo, *nie odgadnione.* Konarzke, *Konarzewo.* Henrichow, *z niemiecka Heinrichau.* Owenzk, *Owińska.* Trebnizensis, *de Trzebnica.*

[illegible]

[redacted]

Nr. 308.

Premisl et Boleslaus duces Polonie 1252 Nov. (?) in Owenzk; confirmat monasterio de Trzebnica possessionem villae Łęg.

Pergam. orygin., u którego na sznur. jedwabn. czerwon. i zielon. dwie pieczęcie przywieszono. Pierwsza Bolesława księcia (pieczęć XVII); *druga Przemysława księcia* (pieczęć XV.)

Wrocław. Königl. Staats Archiv. Trebnic. Nr. 75. — Mosbach, Wiadomości, p. 20.

In nomine Domini amen. Nos Premisl et Boleslaus Dei gracia duces Polonie, predecessorum nostrorum iusta facta per omnia approbantes et ipsorum animarum remedio Domino annuente invigilantes, notum esse volumus presentibus et futuris, quod pater noster felicis recordacionis inclitus dux Vlodizlaus olim habuit iuxta Srem quandam sortem que vocatur Lang, que est sita super Vartam fluvium, in qua ex antico erant duo kmetones proprii patris nostri venatores castorum, quorum unus vocabatur Pista et alter Lutuin; quibus una cum suis heredibus mortuis, pater noster contulit ad honorem Dei et beati Bartholomei prefatam villam domui Trebnicensi et famulabus Christi in ea degentibus cum omni utilitate sua, videlicet castoribus, lacubus, piscibus, a domo prefata et virginibus sacris ibidem Deo servientibus integraliter perpetuo possidendam. Postmodum vero, cum domus Trebnicensis iam dictam sortem per quendam conversum Bratos nomine multis annis pacifice possideret, et patre nostro viam universe carnis ingresso, comes Iohannes frater Thome qui tunc temporis castellaturam in Srem tenebat, fugavit quadam violencia dictum conversum de ipsa sorte: unde post aliquot tempus Blizborius filius Petri credens eam esse vacuam, quasi auctoritate fratris nostri ipsam sibi usurpavit. Quod quia contra Deum et iusticiam est factum, nos nostrarum animarum previdentes saluti, iam dictam sortem Lang, eo iure et libertate qua pater noster eam prius tam sollempniter donaverat, domui Trebnicensi et ancillis Christi in ea existentibus perpetuo confirmamus, volentes tam has quam universas patris nostri elemosinas et donationes claustralibus et religiosis datas, semper ratas consistere, nullis temporum vel personarum successionibus violandas. Ut autem huius privilegii renovationem et patris nostri tam sollempnem donationem nullus hominum audeat infirmare, presentem paginam sigillorum nostrorum communimus appensione. Huius donationis renovatio acta est in Owenzk anno Domini M.CC.LII. septimo Nonas (sic) Novembris, id est octavo decimo die post introitum Conventus dominarum in ipsum locum, ad peticionem domine Gertrudis abbatisse Trebnicensis, que pro requisitione dicte hereditatis Lang sicut debuit ibidem constanter laboravit; presente Herkemboldo castellano Calisiensi, Pacoslao venatore, Andrea pincerna, Bogussa subcamerario, Henrico procuratore et aliis quam pluribus.

Srem, *Śrem.* Lang, *Łęg.* Trebnicensis, *de Trzebnica.* Owenzk, *Owińska.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 309.

Premisl dux Polonie 1253 Febr. 12, in Poznan; villam Starkowiec, quae mortuo quodam milite sine prole et haerede ad suam partem venerat, monasterio de Henrichow confert.

Stenzel, Lib. fundation. claustri Heinrichow, pag. 158.

In nomine Domini amen. Nos Premislaus Dei gracia dux Polonie, profectum sancte matris Ecclesie nostris ubique zelantes temporibus notum esse volumus presentibus et futuris, quod olim tempore incliti ducis Wlodezlai felicis recordacionis patris nostri extitit quidam miles Paulus nomine, qui habuit in patrimonio quandam villam que vocatur Starcow, que est sita iuxta Drozcici lagenarios nostros, ex altera parte habens villam domini Poznaniensis episcopi que vocatur Gorcha. Sed quia idem Paulus a paganis interfectus non relicta prole nec aliquo herede prefate hereditatis sue, postmodum uxor ipsius Dobrozlava nomine, ex consensu et beneplacito nostro pro remedio anime eiusdem Pauli viri sui et in remissionem suorum peccatorum, contulit iam dictam hereditatem domui beate Virginis de Henrichow Ordinis Cysterciensis, site in dyocesi Wratizlaviensi, et fratribus ibidem Deo famulantibus perpetuo possidendam. Cum autem hec agerentur, accessit quedam femina uxor quondam Floriani, statuens coram nobis quendam puerum, filium eiusdem Floriani, dicens eidem puero a nostro summo iudice Domardo esse racione propinquitatis villam Starcow adiudicatam, et super hoc accepit ad eundem Domardum coram nobis baculum, quod vocatur in Polonico wstez, et nunctium. Domardus vero iudex noster remisit eundem nunctium ad nos, dicens, quia nec hanc feminam, uxorem videlicet Floriani, unquam vidisset, nec illi puero dictam villam iudicio confirmasset. Cum ergo eadem villa Starcow iusto iudicio ad nostram partem devenit, contulimus eam ad honorem Dei et in remissionem peccatorum nostrorum, et eciam pro remedio anime dicti Pauli qui patri nostro fedeliter servivit, prefato claustro de Henrichow, volentes hanc nostram donacionem nostris nostrorumque successorum temporibus semper ratam consistere, nullis temporum vel personarum successionibus violandam. Et ut sepedictum claustrum de Henrichow prescriptam villam Starcow liberaliter ab omni inpetu cognacionis supradicti Pauli possideat, presentem kartam sigilli nostri munivimus appensione. Actum est hoc anno dominice Incarnacionis M.CC.LIII, pridie Idus Februarii in Poznan, hiis presentibus: Domardo iudice nostro, Iarostio fratre ipsius, Bogussa subcamerario nostro, Antonio filio Witoslavi, Iarota venatore de Bansin, Lutolpho tribuono Poznaniensi, Petro, Michaele, Iohanne capellanis nostris, et aliis quam pluribus.

Starcov, *Starkowiec.* Drozcici lagenariorum, *Łagiewniki.* Gorcha, *Górka.* Henrichow, *Heinrichau.* Bansin, *Zbąszyń.*

[redacted]

Nr. 310.

Premliz et Boleslaus duces Polonie 1253 Mai. 7, in Pogorelhic; donant ecclesiae Gneznensi villam decimorum, villae Marchwacz adiacentem.

Pergam. orygin. w górnym brzegu przetlały; wcięcia poprzeczne od przywieszenia dwóch pieczęci.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 23.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Notum sit universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod nos Premliz et Boleslaus divina miseracione duces Polonie, villam decimorum, videlicet Golisonis et Crisani, adiacentem ville ecclesie Gnesnensis Marquarce nomine, in castellatura Kalisiensi, domino Rinaldo archidiacono Kalisiensi et canonico ecclesie Gnesnensis in remedium anime nostre et in recompensacionem cuiusdam pecunie, quam ab ipso tempore magne necessitatis accepimus, nomine ecclesie Gnesnensis donamus cum omni libertate qua gaudent omnes ville asscripte ecclesie Gnesnensi, iure hereditario perpetuo possidendam, et eandem evocata vicinia limitari fecimus, metas sollempnes in circuitu fieri concedentes. Ut autem hec nostra donacio robur obtineat firmitatis, presentem literam fecimus nostrorum sigillorum munimine roborari. Datum in Pogorelhic anno Domini M.CC. quinquagesimo tercio, Nonas Maii, sub testimonio patris nostri Fulconis archiepiscopi Gnesnensis, Predpelconis palatini Polonie, Boguphali castellani Poznaniensis, Domaradi iudicis curie, Herkemboldi castellani Kalisiensis, et Iohannis palatini Kalisiensis, Simonis pincerne Kalisiensis, Isaye cancellarii Kalisiensis et aliorum plurimorum ibidem existencium.

Villa decimorum, *nie odgadniona; Goliszew odległy od w. Marchwacz 3 mile.* Marquarce, *Marchwacz.* Pogorelhic, *Pogorzelica.*

Nr. 311.

Premisl et Boleslaus fratres uterini duces Polonie 1253 Mai. 11, in Gnezna; concedunt coenobio de Ołobok forum liberum in Ołobok et Lubnica, caeteris vero villis eiusdem monasterii, quarum limites designant, amplissimas libertates cum facultate iure Theutonico locandi conferunt.

Transsumpt potwierdzony przez: Philippus Firmanus episcop. apostolice Sedis legatus 1282 Jun. 11, apud Velun.

Kalisz. Archiv. Rządowe. Inscription. castrens. Calissiens. a. 1641 lib. 24, fol. 336 v.— Poznań. Königl. Staats Arch. Ołobok Nr. 5, z wielu opuszczeniami, mianowicie granic Ołoboka; jest to transsumpt potwierdzony przez: Wladislaus rex Polonie etc. 1329 Jan. 1, in Poznania. — *Z niem jest dosłowny: Warszawa, Metryka Koronna, księga 23, fol. 270.*

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Acta que geruntur nostris temporibus, eterne solent memorie litterarum apicibus comendari. Noverint itaque tam presentes quam futuri, quod nos Premisl et Boleslaus Dei gratia fratres uterini

[redacted]

duces Polonie, considerantes paupertatem domine .. abbatisse et Conventus ipsius cenobii de Olobok Cisterciensis Ordinis, tam pro remedio anime patris nostri qui primitus eidem loci fundator exstitit, quam pro remedio animarum nostrarum et predecessorum nostrorum ac successorum nostrornm contulimus hanc libertatem et facultatem libere ac liberaliter predicto cenobio, ut forum in Olobok et forum in Lubnicz omnimode habeat libertatem. Concedimus etiam villis omnibus eiusdem cenobii, a nostro dominio vel aliunde ad honorem Dei et beate virginis Marie iam acquisitis, perpetuam et pacificam libertatem; Olobok cum villis ad se pertinentibus, Lubnicz forum et Lubnicz Theodrici, Gluchovo, Curovo, Milesino, Ochandino, Scomlino, Baranovo, Duruchovo, Conarovo, Mislacovo: absolventes homines in ipsis villis sedentes a stroza, a prevod, a naraz, a povoz, a podvoda, a venatoribus, et ab omnibus solutionibus et gravaminibus quod ad dominium nostrum pertinet; et ab expeditione et colloquio, cum in aliam terram imus ad colloquium vel expugnandam. Insuper, homines dictarum villarum non teneantur astare citati coram palatino, castellano, et iudicibus eorum: sed coram nobis, litteris sigillis nostris consignatis, supra quacunque re fuerint provocati. In villa vero Olobok, Lubnic, et in villa Theodrici, et in villa Milesino, Ochandino, Baranovo, Scomlino, omnes questus et exactiones aut poradlne qui ad nostrum dominium pertinent, dictis dominabus ob reverentiam Dei et remedium anime patris nostri nec non animarum provisione nostrarum assignamus. Concedimus etiam dictis dominabus, in predictis villis per suos iudices in omnibus iudicandi causis et utilitates ex hiis provenientes percipiendi potestatem, preter quod in decollatione capitis et suspensionis, actionis nostri assessores cum memoratarum dominarum iudice percipient portionem. Damus etiam Conventui Olobocensi: si que ville earum Polonicales in posterum locate fuerint Theutonico iure, eo fruantur iure ut in villis Theutonicalibus sepius memoratis. Omnes vero ville Polonico iure perseverantes ad Olobok pertinentes, domine .. abbatisse damus liberam auctoritatem, per suum iudicem in omnibus articulis Polonico iuri pertinentibus, ut est duellum cum baculo, ius ferri, ius aque, et in aliis articulis quam plurimis iudicandi potestatem. Signamus eciam Olobok terminos et confirmamus, ne aliquis malignus circumsessor in detractione dicte domus audeat attemptare. Iste sunt mete: Olobok fluvio usque ad locum ubi convenit cum flumine Bystrzec, et ab hoc flumine Bystrzec usque ad fluvium qui vocatur Prosna. Et de Mirawno usque Bicoviam; et de Bicov borra est claustri Olobocensis usque ad locum ubi exit Baricz de Prosna. Et de Prosna, Barycz tota est claustri usque in Eskinam. Et de agro qui Nifka nominatur, Olobocensis est silva usque in Wyrow, et Wirow unum littus est claustri usque ad locum ubi convenit aqua Olobocensis cum Senseka; et ab hoc loco silva est claustri usque ad aquam que Olobok nominatur. Damus etiam dominabus sepius nominatis partem aque cum castoribus, a Zadovicz usque ad locum in quo Baricz de Prosna procedit, et aliis utilitatibus in terminis villarum predictarum, et Obecanum cocum nostrum et servum cum sua posteritate. Ut autem hec nostra donatio et provida ordinatio firmum robur obtineat, presens scriptum sigillorum nostrorum et domini archiepiscopi Fulconis Gnezdnensis munimine duximus roborandum. Quicunque huic felici facto contraire presumpserit, Dei omnipotentis indignationem et Sedis apostolice excommunicationem et domini archiepiscopi Fulconis se noverit incursurum. Datum anno gratie M.CC. quinquagesimo tertio, quinto Idus Maii in dominica tertia post octavas Pasche in Gnezna, testantibus istis: Pretpelcone palatino Poznaniensi, Dirsicraio palatino Gneznensi, Iancone palatino Kalisiensi, Bogufalo castellano Poznaniensi,

[illegible]

Arcanboldo castellano Kalisiensi, Domarato iudice curie et Ysaia cancellario Kalissiensi.

Olobok, *Ołobok*. Lubnicz, *Lubnica*. Lubnicz Theodorici, *później Dzietrzychowice, dziś Dzierzkowice*. Gluchovo, *Gołuchów*. Kurowo, *Kurowo*. Milesino, *Mieleszyn*. Ochandino, *Ochędzin*. Scomlino, *Skromlin*. Baranowo, *Baranowo*. Duruchovo, *Doruchowo*. Conarovo, *Konarzewo*. Mislacovo, *dziś może Myslniow*. Olobok fluv., *rzeka Ołoboczka*. Bystrzec fluv., *nazwa strumienia wpadającego do str. Ołoboczka p. wsią Czekanow*. Prosna fluv., *dziś t. s.* Mirawno, *Mirkow*. Bicovia, *pewnie Byczyna na Szlązku*. Baricz fluv., *rz. Baryczka*. Eskina, *nie odgadnione*. Nifka, *Niwiska*. Wyrow, *Wieruszów*. Senseka, *pewnie strumień Strzyżewka*. Zadovicz, *Zadowice*.

Nr. 312.

Innocentius Pp. IV 1253 Mai. 14, Asisii; mandat universis Christi fidelibus per Poloniam, ut Tartarorum incursionibus viriliter obsistant et vexillum Crucis sumant.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 107.

Innocentius episcopus (*etc.*), universis Christi fidelibus per Poloniam constitutis salutem (*etc.*). Cum ad aliorum simus custodiam disponente Domino licet immeriti deputati, sollicitudinis nostre interesse dinoscitur non tam manifesta quam suspecta vereri pericula, cordaque fidelium, ne preoccupari ab eis subito valeant, non sine multa instantia propulsare, ut sic prudenter se preparent et contra ipsa providentie clipeo viriliter se accingant, ut si aliquando, quod absit, ex insperato ingruerint, ab ipsis ferantur facilius minusque noceant utpote iam previsa. Porro, plagam quam repentinus Tartarorum adventus in nonnullis Christianitatis partibus crudeliter intulit dolentes referimus, eoque magis ipsius reminiscimur lacrimosi, quo etati, persone ac sexui minime deferens, multis Christicolis per eosdem Tartaros letaliter est inflicta. Verum, licet ipsorum recessus ab illatis molestiis vobis aliquod intervallum temporis indulserit respirandi, quousque tamen in eiusdem ianuis Christianitatis habentur, tamquam ad vos aditus deinceps eis non pateat revertendi, non debetis ymaginariam vobis securitatem promittere, ex qua possit vobis grave ruine dispendium de facili provenire. Sane, nuper carissimo in Christo filio nostro rege Ruscie illustri, quem loci vicinitas suorum secretorum plerumque reddit participem, per litteras suas accepimus referente: prefatos Tartaros fore paratos ad delendas reliquias quas divina benignitas in plerisque locis propter fuge presidium ab ipsorum clementer manibus liberavit, et ipsius vicinia Christianitatis vesano spiritu, nisi Deus eis restiterit, conculcanda: propter quod, ne tam infelicis propositi preconceptum sortiatur effectum, ne feralis impetus in multorum debachetur excidium, obsistentium robore non repressus: interest vestra precipue, qui prioribus ipsorum incursibus estis expositi, sic disponi, quod per vos eorum conatibus, ne cervicosa ipsorum amplius invalescat superbia, irretunsa acie viriliter resistatur. Aliter, eidem reipublice ac vestro detrimento non parum accederet, si vobis negligentibus et eis non obserantibus hostium, cum possitis, ipsos ad alios Christianos pestiferum per vos contigerit habere progressum. Ceterum, etsi in tam discriminoso belli congressu arma materialia utiliter

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

requirantur, non sunt tamen postponenda, immo preferenda salutifere Crucis insignia, ut vos athlete Christi eis laudabiliter insigniti, cui duci deserviatis, evidenter appareat, ac per eius virtutem in qua Christus debellavit aereas potestates, ipsorum Tartarorum adversitas mirifice vobis cedat. Non videtur itaque prestolandus buccine clangor, non invitatis suggestio creditur opportuna, ut in tanto necessitatis articulo ad prelium hoc vos excitet preliandum, cum in vobis existimemus illius vigere rationis iudicium, quod, nullo etiam vos ad id invitante, maturato presidio casibus curabitis occurrere tam votivis. Verumtamen, ne salutem vestram videamur negligere, ac sanguis vester requiratur a nobis gerentibus speculatoris officium si eum nobis tacentibus gladius effuderit impiorum, dilectum filium .. abbatem de Mezano virum morum honestate conspicuum, preditum scientia literarum ac nobis et fratribus nostris merito sue probitatis acceptum, ad vos commisso sibi plene legationis officio provide duximus destinandum, ut inibi auctore Domino tanquam diligens cultor agri dominici evellat et destruat, dissipet, edificet et plantet prout sibi Dominus ministrabit, ut per se et alios quos ad hoc idoneos noverit in sapientia Spiritus sancti divinitus attributa, vobis contra ipsos Tartaros ac etiam alios paganos, Christianorum sanguinem non minus eisdem Tartaris sitientes, predicans verbum Crucis, ipsius insigni caractere vos studeat premunire. Monemus itaque universitatem vestram attentius et hortamur in Domino per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatenus ipsum tanquam legatum Sedis apostolice, immo personam nostram in eo, recipientes hylariter et honeste tractantes, ipsius salubribus monitis et mandatis pronis mentibus obedire curetis, que inter vos statuenda duxerit tanquam filii benedictionis firmiter observantes: alioquin sententias quas rite tulerit in rebelles, usque ad satisfactionem condignam firmitatem decernimus debitam obtinere. Ut autem nichil omnino desit ad tam salubre negotium prosequendum, omnibus qui ab ipso commoniti contra predictos Tartaros receperint signum Crucis, illam suorum peccatorum veniam illudque privilegium elargimur, que accedentibus in Terre sancte subsidium conceduntur. Datum Asisii II Idus Maii, pontificatus nostri anno decimo.

Nr. 313.

Boleslavus dux Polonie 1253 Mai. 15, in Dlusca; confirmat donationem haereditatis Koszuty, quam comes Bogusa monasterio de Ląd fecerat.

Pergam. orygin. W założonym dolnym brzegu wcięcia poprzeczne od przywieszenia jednéj pieczęci.

Warszawa. Zbiory Rusieckich. Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Poloniae, I. Nr. 41.

In nomine Domini amen. Quoniam nutus dierum cum cursu temporis subito pertransit et humane nature memoria facile in oblivionem labitur, necesse est ut acta hominum tenore litterarum ac testibus fidedignis firmiter roborentur. Hinc est quod nos Boleslavus Dei gracia dux Polonie notum facimus universis Christi fidelibus et presentibus protestamur, quod comes Boguzsa heres de Cossutha in remedium anime sue ac suorum parentum legavit cenobio Lendensi hereditatem suam Cossuth prefatam cum omnibus sortibus attinentibus prout in presenciarum possidet, nichil penitus excipiendo, ita tamen: si duo filii sui, Gerwardus et Grimislaus adhuc exi-

[illegible]

[redacted]

stentes pueruli, absque liberis heredibus viam universe carnis intraverint, domus Lendensis sepedictam hereditatem iure hereditario possidebit, annuentibus dictis duobus filiis suis et ad manus Mathie abbatis eiusdem monasterii se conferentibus, fraternitati Ordinis se ac sue fidei commiserunt. Nos vero fratres monasterii Lendensis pie devocionis studio prosequentes, hanc ordinacionem ob honorem Dei et gloriose virginis et matris Marie nec non ad salutem nostram perpetuam confirmamus. Datum et actum in Dlusca anno Domini M.CC.LIII, Idus Maii, presentibus nostris baronibus, videlicet comite Erkenboldo palatino Kalisiensi, Iohanne cancellario, Iohanne castellano Kalisiensi, comite Mathia castellano Lendensi et aliis quam pluribus fide dignis. Et ne in posterum aliquo malignante hec tam salubris ordinacio valeat irritari, presentem cedulam sigilli nostri appensione fecimus communiri.

Cossutha, *Koszuty*. Lendensis, *de Lqd.* Dlusca, *Dłusk.*

Nr. 314.

Innocentius Pp. IV 1253 Mai. 17, Asissii; abbati de Mezano legato Sedis apostolicae injungit, ne principes Poloniae a quocunque molestari patiatur.
Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 108.

Innocentius episcopus (*etc.*), dilecto filio.. abbati de Mezano apostolice Sedis legato salutem (*etc.*). Licet apostolatus officium nos universis constituat debitores, illis tamen specialius et efficatius adesse nos convenit, qui nullo medio subesse Sedi apostolice dinoscuntur. Cum itaque, sicut ex parte dilectorum filiorum nobilium virorum principum Polonie fuit propositum coram nobis, progenitores eorum postquam Christiane fidei notitiam habuerunt eidem Sedi solummodo subiecti fuerint et ipsi adhuc existant, et in signum subiectionis huiusmodi censum qui denarius sancti Petri vulgariter appellatur iidem et habitatores Polonie ipsi Sedi annis singulis persolverint hactenus et persolvant: mandamus, quatinus eisdem principibus et habitatoribus per te vel per alium efficaciter presidio defensionis assistens, non permittas eos ab aliquibus molestari; si quas infeudationes, distributiones aut occupationes de terra Polonie inveneris, tam a carissimmo in Christo filio nostro W. rege Romanorum illustri quam ab aliis factas, denuncies auctoritate nostra per te vel alium aliquatenus non valere, molestatores et contradictores si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus aliquibus litteris super hoc a Sede apostolica impetratis vel impetrandis, seu si aliquibus de partibus illis est ab eadem Sede indultum, quod excommunicari sive suspendi aut eorum terre interdicto supponi non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam, seu de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et constitutione de duabus dietis, edita in Concilio generali. Datum Asisii XVI Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno decimo.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 315.

Premisl dux Polonie 1253 Mai. 20, in Pogorolicia in colloquio; facit de consensu fratris sui ducis Boleslai commutationem villarum, dans coenobio de Łekno pro villa Wierzenica villas Kaliszany et Toniszewo, et pro villa Łoskuń dimidiam villam Sienno, easque pluribus privilegiis muniens.

Pergam. orygin. Z dwóch pieczęci niegdyś przywieszonych pozostały dwa sznury; pierwszy z czerwonego jedwabiu, drugi z niebieskiego i białego, każdy przewleczony przez dwie dziurki.

Kurnik. Biblioteka. Diploma Nr. 4.

In nomine Domini Dei eterni amen. Quoniam sepius a memoria hominum recedit quod scripto aut bono testimonio non confirmatur, hinc est quod nos Premisl divina favente clemencia dux Polonie cum consensu fratris nostri ducis Bolezlavi notum facimus tam presentibus quam futuris, quod commutacionem fecimus cum venerabili viro domino Petro abbate de Luckna nec non et fratribus eiusdem cenobii, pro villis que vocantur Verenicia et Loscunia dantes eis has villas: pro Verenicia, Calissani et sortes scilicet Cypriani et Zarose que Dovesino nuncupantur, cum omnibus attinenciis et utilitatibus earum que nunc in eis sunt vel in posterum poterunt provenire, et cum decimis earum, quas a domino Fulcone archiepiscopo Gneznensis ecclesie pro ecclesia de Pacost obtinuimus, iure hereditario perpetuo possidendas. Pro Loscunia, dimidium Senno cum sorte adiacente Cuchino vulgariter nominatam: et dimidium cum sorte Scodrowo cum omnibus suis utilitatibus antea possederunt: et exponimus eas funditus de castellaniis sub quibus antea fuerant constitute. Hanc predictarum villarum, scilicet Calissani et Senno cum sortibus earum, cenobio supradicto id est ecclesie Lucknensi conferimus omnimodam libertatem, ut a successoribus nostris inviolabiliter observetur et in sempiternum stabilis perseveret, privilegii munimine et sigilli nostri impressione firmamus: ita ut iam dicte ville sint ammodo ab omni exactione que huiusmodi solet exerceri penitus libere et absolute, videlicet a podvorove, a stroza, a powos, a prewod, a podvodi, a castro, ab expedicione, et quod citati nusquam stare teneantur nisi ducis anulo provocentur. Datum in Pogorolicia in colloquio habito cum venerabili domino Fulcone archiepiscopo et fratre nostro domino Bolezlavo, tercio decimo Kalendas Iunii, anno Incarnacionis dominice millesimo ducentesimo quinquagesimo tercio. Huius rei testes sunt: Dyrsicray palatinus Gneznensis, Pretpolk palatinus Poznaniensis, Domeradus iudex curie, Boguphalus castellanus Poznaniensis, Ianusius castellanus de Obrichz, Ysaias cancellarius, Michael notarius ducis et alii quam plures.

Luckna, *Łekno*. Verenicia, *Wierzenica*. Loscunia, *Łoskuń*. Calissani, *Kaliszany*. Dovesino, *Toniszewo*. Pacost, *Pakość*. Senno, *Sienno*. Sors Cuchino, *osada dziś znikła*. Scodrowo, *Szczodrochowo*. Pogorolicia, *Pogorzelica*. Obrichz, *Obrzycko*.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 316.

Premisl et Boleslaus fratres uterini duces Polonie 1253 s. d., colloquio in Pogorolicia; permittunt coenobio de Ołobok civitatem Lubnice j[illegible] Theutonico locare, incolasque ejusdem compluribus libertatibus muniunt.

Poznań. Königl. Staats Arch. Ołobok, Acta fol. 16.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Quoniam dignum est et raci[illegible] consentaneum, ut eos qui se divinis mancipaverunt obsequiis eorum promocion[illegible] semper intendamus: quanto magis his, qui se nostro consilio et auxilio gaude[illegible] confoveri. Ne igitur quod agitur in tempore cum revolucione temporis a memo[illegible] evanescat, apicum characteribus connotatur. Quam ob rem presentibus et futu[illegible] presentem paginam inspecturis innotescat, quod nos Premisl et Boleslaus fratres u[illegible] rini Dei gracia duces Polonie, salubriter cogitantes de salute animarum nostrar[illegible] et sperantes de misericordia Dei nos in celis metere quod in terris seminarem[illegible] domine abbatisse et conventui cenobii de Olobok Cisterciensis Ordinis ob rem[illegible]di[illegible] animarum nostrarum et predecessorum et successorum nostrorum confirmamus lib[illegible] tatem in civitate que Lubnic vocatur, ut videlicet ullus in ea, nomine nostro [illegible] eciam alicuius nomine nostri castellani, seu nomine alterius cuiusquam potestatis, [illegible] diciariam sibi usurpet auctoritatem, aut homicidium sive aliquam aliam sibi vendi[illegible] solucionem aut exactionem; sed in horum et aliorum iurium percepcione Olobo[illegible] sis ecclesia plena gaudeat possessione libertatis, quia donum Deo collatum non [illegible] cet legibus principum subiacere. Concedimus eciam ob specialem reverenciam ce[illegible] bii de Olobok domine abbatisse et in ea omnibus suis successoribus, ut in civit[illegible] predicta advocet et locet Teutonicos secundum formam Novi fori in terra Silesie; [illegible] cut eos advocaverit et locaverit de concessione nostra, ius et fructum in eis per[illegible] piat secundum eius industriam. De expedicione vero, cum extra terram sunt, ha[illegible] tatores predicte civitatis liberos esse concedimus; in defensione autem terre ade[illegible] tenentur, ut eo validius hostilis incursio reprimatur. Noveritis vero, quod domi[illegible] abbatissa proprie voluntatis arbitrio et usa suorum consilio, predictam civitatem [illegible] nesto viro Conrado suisque posteris secundum predictam libertatem iure perpet[illegible] ac Theutonico contulit collocandum, eidem sex annis libertatem conferens, ut ela[illegible] libertate, ius et fructum, tercium denarium et sextam decimam in predicta civit[illegible] percipiens, memorate abbatisse studeat exhibere. Ut autem donacionis nostre et c[illegible] firmacionis vigor tam presentibus quam futuris innotescat, presentem litteram sig[illegible] lorum nostrorum impressionibus curavimus munire cum appensione. Acta sunt [illegible] tem hec habito colloquio in Pogorolicia anno gracie M.CC.LIII, presentibus vi[illegible] nobilibus: comite Domorada, domino Isaia cancellario, comite Pacoslao, comite Bo[illegible] falo subcamerario et Conrado notario.

Olobok, *Ołobok.* Lubnic, *Lubnice.* Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa Szląsku.* Pogorolicia, *Pogorzelica.*

[illegible]

[redacted]

Nr. 317.

Fr. Hugo etc. presbyter cardinalis, apostol. Sedis legatus 1253 Jun. 19, Leodii; concedit ecclesiam monasterii Fr. Praedicatorum in Poznań per octavam festi s. Petri martyris visitantibus confessis et poenitentibus, indulgentiam 60 dierum.

Poznań. Königl. Staats Arch. Liber privil. ecclesiae Fr. Praedicat. Poznan. p. 5. (Z pergam. oryg. opatrzonego pieczęcią).

Frater Hugo miseratione divina tituli sancte Sabine presbyter cardinalis apostolice Sedis legatus, dilectis in Christo priori et fratribus Ordinis Predicatorum Poznaniensium salutem in Domino. Licet is, de cuius munere venit ut sibi a fidelibus suis digne ac laudabiliter serviatur, de abundantia pietatis sue, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus multo maiora retribuat quam valeant promereri: volentes tamen nichilominus populum Domino reddere acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei, quibusdam illectivis muneribus, indulgentiis scilicet et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cupientes igitur ut ecclesia vestra congruis honoribus frequentetur, omnibus Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui ad ecclesiam ipsam in festo sancti Petri martyris nec non et per octavas ipsius causa devotionis accesserint, annuatim sexaginta dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Leodii XIII Kalendas Iulii, pontificatus domini Innocentii Pape IIII anno decimo.

Nr. 318.

Heinricus dux Slezie 1253 Jul. 31, in Munsterberc; confirmat commutationem sortis haereditatis filiorum quondam Ratzlaii, dictae Brucaliz, pro villa monasterii de Heinrichow, dicta Ochla.

Stenzel, Lib. fundation. claustri Heinrichow, p. 61.

In nomine Domini amen. Multis prudenter malis occurrimus cum etatis nostre negocia litterarum memorie commendamus; nam que a nostris prioribus sunt instituta, ad nostram perveniunt noticiam per obsequia litterarum, nam dum vivit littera, vivit etiam actio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et mundanas ea perpetuat actiones. Nos igitur Heinricus Dei gratia dux Slezie notum esse volumus presentibus et futuris, quod quidam iuvenes Bogussa et Paulus filii quondam Ratzlai de Brucaliz, ea parte hereditatis sue que eos inter ceteros fratres suos contingebat fecerunt commutationem cum fratribus de Heinrichowe spontanea voluntate, recipientes tantumdem in ducatu illustri principis Premislonis in quadam villa que est sita iuxta Stargrode et vocatur vulgariter Ochla, fratribus ipsorum, videlicet Iacobo et Petro, in hac commutatione spontaneum prebentibus assensum. Sed quia prefati iuvenes, scilicet Boguscha et Paulus, erant nimia paupertatis inopia depressi cum huius commutationis actio ad effectum perduceretur: ut tanto alacrius sortem in Ochla susciperent, abbas de Heinrichowe dedit eis duos equos pro tribus marcis, quatuor boves pro tercia dimidia marca, duas vaccas pro marca, quinque porcos unicuique

[illegible]

[redacted]

pro tribus fertonibus, quinque oves pro octo scotis, duas tunicas pro marca, matri ipsorum pallium pro dimidia marca, item eisdem iuvenibus octo modios siliginis Wratizlaviensis mensure pro marca. In prima via, cum irent in Gneznam ad recipiendam a duce Polonie eiusdem commutationis sortem, ad sumptum marcam; postea ad deducendas uxores eorum cum pueris et rebus in Poloniam, idem abbas de Heinrichowe conduxit eis duos currus cum VIII equis pro duabus marcis argenti. Ut ergo ipsa commutatio claustri de Heinrichowe et eorundem iuvenum ex utraque parte firma semper et rata consistat in futurum, presentem cartam nostri sigilli appensione duximus communiri. Huius commutationis testes sunt: comes Mroskho castellanus de Redszen, comes Iakza castellanus Wratizlaviensis, Ianussius Menka, Iohannes Oscina, Dirzlaus filius Moyconis, Arnoldus Kula, Paulus Poduszca, Andreas de Grodis, Benko filius Woizlai, Paulus Slupoviz et alii quam plures. Actum in Munsterberc, anno Domini MCCLIII, pridie Kalendas Augusti.

Brucaliz, *niegdyś osada p. m. Münsterberg na Szlązku.* Stargrode, *Starygrod.* Ochla, *Ochla.* Heinrichowe, *Heinrichau.* Redszen, *niegdyś gród nad rz. Odrą p. m. Brzeg na Szlązku.* Munsterberc, *Münsterberg.*

Nr. 319.

Simon castellan. Gneznens. 1253 s. d. et l.; donat monasterio de Miechow haereditatem Szymanowice.

Nakielski. Miechovia pag. 172.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Cum ex temporalis permutationis curriculo ea que aguntur in tempore, si scripti memoria fuerint non suffulta, aliquociens in occiduum oblivionis precipicium dilabentur, oportet ut que utilitatis vel necessitatis causa sunt iugiter memoranda, ne calumnia valeat aliquatenus subintrare, literarum testimonio et subscriptione testium perhennentur. Hinc est quod ego Simon castellanus Gneznensis omnibus tam presentibus quam futuris presencium per tenorem cupio esse notum, quod habito consilio puerorum meorum, viris religiosis et honestis Domus Miechoviensis hereditatem que Burkowe quondam vocabatur, nunc autem Simonowe, cum omnibus proventibus et attinentiis que de predicta villa michi consueverunt provenire, iure hereditario quiete ac pacifice in perpetuum possidendam. Et si forte post me pueri mei vel pueri puerorum meorum predictos fratres pro predicta hereditate inquietare voluerint, dent trecentas marcas puri argenti predictis fratribus Domus Miechoviensis, et ita valeant suam villlam pacifice et quiete possidere. Ut autem hec donatio et ordinatio robur sorciatur perpetue firmitatis, presentem literam mei sigilli munimine roboratam sibi duximus concedendam. Acta sunt hec presente duce Premislio et presente fratre suo Boleslao, anno Incarnacionis Domini M.CC.LIII.

Miechoviensis, *de Miechow.* Burkowe *quondam, nunc* Simonowe, *Szymanowice.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 320.

Premisl, dux Polonie 1253 s. d., in Poznan; commutat villas suas Dębnica, Gowarzewo, Konarskie, Waliszewo et Solec cum parte lacus de Ostrow, pro villa ecclesiae Gneznensis dicta Tymieniec.

Transsumpt potwierdzony przez: Casimirus rex Poloniae etc. 1457 Nov. 11, in Conventione gener. in Pyotrkow.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. I, fol. 96.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Cum sit labilis humana memoria, nec possunt universa que geruntur in ea firmiter retineri nisi testium annotacione aut litterarum instrumento fuerint roborata, ideoque universis matris Ecclesie fidelibus presentibus et futuris presentem paginam inspecturis notum esse decrevimus, quod nos Premisl divina institucione dux Polonie proprie voluntatis arbitrio et usu baronum nostrorum consilio tales villas, videlicet Dambniciam secundum quam habuit Bogus, Goworewicze, Konarske, et duas villas que Waliszewo et Solecz vulgariter nuncupantur cum omnibus earum attinenciis, et partem lacus de Ostrowo incipiendo a districtu eiusdem ville Waliszewo usque in finem lacus qui versus Kleczsko protenditur, permutavimus cum canonicis ecclesie Gneznensis pro villa eadem que Thymmienik dicitur, ea videlicet condicione, ut decimam in Waliszewo et Solecz loco decime de Thymmienik semper sint percepturi. Contulimus eciam, ut incole premissarum villarum ab omni exaccione, scilicet stroza, podvorove, povos, prevod, podvoda, naraz, et a citacione castri, preter absenciam nostram, et generaliter ab omnibus iuribus Polonicalibus quibus inquietari poterunt, semper sint absoluti, quia donum Deo collatum non decet legibus principum subiacere; sed in horum et aliorum omni iurium percepcione Gneznensis ecclesia plene gaudeat, secundum quod habent ville eiusdem ecclesie possessionem libertatum. Ut autem commutacionis et donacionis nostre vigor presentibus et futuris innotescat, presentem litteram sigilli nostri impressione munimine dignum duximus roborandam. Acta sunt hec autem in Poznan anno gracie millesimo ducentesimo quinquagesimo tercio.

Dambnicia, *Dębnica.* Goworewice, *Gowarzewo.* Konarske, *nie odgadnione.* Waliszewo, Solec, *dziś tak samo.* Ostrowo lacus, *czyli Lednica, na wyspie którego stał gród Ostrów.* Kleczsko, *Kłecko.* Thymmienik *nie odgadnione, może zamiast Tymieniec.*

Nr. 321.

Premisl et Boleslaus fratres uterini duces Polonie 1253 s. d., in Poznania; dant civi Thomae facultatem locandi civitatem Poznań jure Magdeburgensi, ipsamque civitatem plurimis privilegiis muniunt et possessionibus dotant.

Transsumpt potwierdzony przez: Wladislaus dux regni Polonie etc. 1298 s. d. et l.

Poznań. Königl. Staats Arch. Posen, Gründungs Urkunde. — Lwów, Biblioteka Baworowskich, kodex przywilejów m. Poznań, fol. 3.

In nomine Domini amen. Quia soli Divinitati convenit in nullo deficere et omnium memoriam habere, ideo condicionis humane fragilitas artificio sibi remedium

[illegible]

quesivit, in quo vigor fabrice naturalis opificis voluntate defecit. Ne igitur quod agitur in tempore cum evolumine temporis a memoria evanescat, apicum caracteribus assolet eternari: quam ob rem presentibus et futuris presentem paginam inspecturis innotescat, quod nos Premisl et Boleslaus fratres uterini divina miseracione duces Polonie, proprie voluntatis arbitrio, usi et baronum nostrorum consilio, et de consensu venerabilis in Christo patris domini Boguphali episcopi totiusque Capituli Posnaniensis ecclesie, honesto viro Thome eiusque posteris civitatem que Poznan vulgariter nuncupatur iure Theutunico contulimus collocandam, in ea libertatem octo annis confirmantes. Et cives eiusdem civitatis infra libertatem terram nostram intrandi et exeundi cum mercibus et aliis utilitatibus, sive per fluvium qui Wartha dicitur, a theloneo et monetha et ab omnibus aliis exaccionibus quibus vexari poterint liberos esse pronunctiamus, ita ut elapsa libertate theloneum per medium solvant. Fluvium vero qui Wartha dicitur secus prefatam civitatem fluentem, per miliare unum ex utraque parte cum omnibus utilitatibus, in piscibus capiendis et molendinis construendis scilicet, civibus predicte civitatis in perpetuum contulimus possidendum, eo excepto, quod in eodem districtu unum molendinum, ad nostrum beneplacitum constructum per nos, hereditarie possideamus. Villas autem has ad sepedictam civitatem contulimus, videlicet Aratorum campum, Petrowo, Zegrow, Staralankam, Nyenchow, Spithcow, ambas villas que Vyrbyce dicuntur, Yssycz, Panczlaw, Nyestathow, Panthcow, Schidlow, ambas Villas vinitorum exceptis vineis, villam Boguthe et villam Unolfi, in quibus concessimus memorato advocato eiusque posteris triginta mansos pro agris seminandis et civibus eisdem viginti mansos pro pascuis animalium, in perpetuum possidendos. Cum autem advocatus ad sepedictam civitatem et ad villas supradictas advocaverit et locaverit Theutunicos, elapsa libertate quintum mansum in ipsis villis libere semper sit percepturus ea condicione mediante, ut de singulis mansis dimidiam marcam argenti pro decima tempore statuto solvat. Volumus eciam, ut cives eiusdem civitatis in villis supradictis omnes utilitates que nunc sunt et in posterum provenire poterint, ut est in construendis molendinis et venandis feris, excepto molendino fratrum Predicatorum, libere semper obtineant. Concessimus eciam, ut molendinum quod Henricus antiquus scultetus ex nostra donacione possedit, per predictum advocatum eiusque posteros iure hereditario sit possidendum. Et cives prenominate civitatis ius secundum formam Maydburgensis civitatis, mediam prolatationem de iudicio respondentes, innoxium et illibatum ex nostra donacione perpetue gaudeant possidere, ea racione mediante, ut ullus Theutunicorum in districtu dominii nostri constitutus, ipsa iura, vilipendendo, preter iam dictam civitatem alias requirere non presumat. Item concessimus, ut nullus nomine nostro vel nomine nostri castellani seu nomine alterius cuiuscumque potestatis, iudicio quo prefatus advocatus una cum suis civibus infra circulum anni tribus temporibus pro tribunali omnimodam causam diiudicantes sedebunt, interesse presumat: sed in horum et aliorum iurium percepcione plene gaudeat ipsa civitas possessione libertatis. In predictis vero temporibus iam dictus advocatus a quolibet iudicio condemnato, octo solidos denariorum secundum monetam civitatis sit percepturus, et infra quatuordecim dies condempnatus quatuor solidos solvat; si vero maior questio orta fuerit, condempnatus triginta solidos solvat, et singulis diebus condempnatus unum solidum solvat, et de iuramento sex denarios solvat. De singulis vero curiis in eadem civitate constructis et de ortis extra eandem plantatis et de omnibus appotecis que in eadem construi poterunt, finita libertate cives prefate civitatis dimi-

[illegible]

[redacted]

dium scotum argenti solvant. De iudicio vero predictus advocatus tam infra quam extra libertatem tercium denarium semper sit percepturus. Et omnes utilitates de prefatis curiis et appotecis infra eandem civitatem et ortis extra constructis ad nos spectantes, iam dicte civitati contulimus in subsidium libere possidendas, et hospites cum expensis venalibus ad ipsam venientes a theloneo et monetha liberos facimus et immunes. Concessimus eciam de consensu sepedicti domini Boguphali episcopi Poznaniensis civibus in eadem civitate ecclesiam construere, que in divino officio debet regnare et diebus debitis cum cruce circuire. In ipsa vero civitate annale forum, a nobis et a nostris in dominio nostri constitutis infra libertatem statuimus, ut nullus in ea hominum infra ipsum forum valeat inpediri. Item contulimus predicto advocato suisque successoribus duas cameras in domo quam in ipsa civitate pro mercatoribus edificabimus possidendas libere, de qua ius et fructum, exceptis predictis cameris, nos et posteri nostri volumus esse percepturi. De expedicione vero que extra terram fuerit, cives eiusdem adesse non teneantur; in defensione autem terre adesse tenentur, ut eo validius hostilis incursio reprimatur. Item, ut predicta civitas plena custodia regnet, promisimus eciam civibus eiusdem civitatis quatuor vigiles et duos balistarios, in nostris expensis procurantes pro custodia civitatis exhibere. Et silvas tam infra quam extra districtum eorum pro domibus construendis et aliis necessitatibus, absque omni pavore contulimus succidendas. Insuper ipsis alleviantes prohibemus, ut nullus nostrorum subditorum ipsos pro aliquo debito vel casu extra territorium predicte civitatis, id est in alio iudicio compellat respondere: si quis alius eos iudicare presumpserit, iudicium ipsius pronunciamus esse nullum. Et hominibus in terra nostra constitutis, ad predictam civitatem pro vendendis universis racione fori et emptis abducendis affluentibus concessimus, ut theloneum nec monetam solvant; hospites vero extra terminos terre nostre solvant. Insuper concessimus, ut advocatus cum civibus suis tam in potu quam in pane et in omnibus aliis quibus uti debeant, mensuram secundum cursum temporis diligenter disponentes statuant; et quicquid de fal-is utilitatis iudicio derivari poterit mensuris, volumus ut civitas ipsam utilitatem per medium semper sit perceptura. Iudiciorum nichilominus omnium, ut est de contentione, percussione, suspensione, et omni questione que inter Theutunicos et Polonos orta fuerit in ipsa civitate et extra ipsam, sicut territorium eiusdem occupat, premisso advocato suisque posteris auctoritatem tradimus diiudicandam et determinandam. Ut autem donacionis et confirmacionis nostre vigor tam presentibus quam futuris innotescat, presentem paginam sigillorum nostrorum subappensionibus dignum duximus roborandam. Acta sunt hec in Poznania anno ab Incarnacione Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tercio, presentibus hys testibus: Predpelcone palatino Poznaniensi, Dirsigravio palatino Gneznensi, Domaratho iudice curie, Boguchwalo castellano Poznaniensi, Eustachio filio Iohannis, Pacoslao filio Cedrici et aliis quam pluribus.

Aratorum campus, *Rataje*. Petrowo, *Piotrowo*. Zegrow, *Żegrze*. Staralanka, *Starałęka*. Nyenchow, Spithcow, *osady znikłe przyległe miastu, na prawym brzegu rz. Warta*. Vyrzbyce, *dziś Wilda*. Yssycz, *Jeżyce*. Panczlaw, *nie odgadnione*. Nyestathkow, *osada znikła przyległa wsi Sołacz*. Schidlow, *nie odgadnione*. Villa vinitorum, *Winiary*. Villa Boguthe, *nie odgadnione*. Villa Unolfi, *później Unołtowice, dziś Umułtowo*.

[illegible]

[redacted]

Nr. 322.

Boleslaus et Primislaus duces Polonie 1253 s. d. et l.; dant Conrado civitatem suam Srem jure Theutonico locandam.

Pergam. orygin. bardzo zniszczony i poprzežerany, podlepiony papierem. Wcięcia poprzeczne od przywieszenia dwóch pieczęci.

Poznań. Königl. Staats Archiv. Srem A. 1.

In nomine Domini amen. Ab humana facilius elabuntur memoria, que nec scripto nec voce testium perhennantur; ideo necesse est ut res digna memoria scripto confirmetur, quo canescens antiquitas crebrius valeat renovari. Agnoscat igitur presens etas et sciat postera ad quorum presenciam presens scriptum pervenerit, quod nos Boleslaus et Primislaus Dei gracia duces Polonie usi consilio utili dedimus Conrado civitatem nostram Srem iure Theutunico locandam, in qua centum mansos Franconicos locabit. Prefatus vero Cunradus cum sua posteritate sextum mansum, sextam curiam, macellas carnificum et eciam panis, sutorum, necessitatem de universis maccellis sicut predicta civitas indigebit, balneum, molendinum unum super Wartam et eciam nostrum molendinum in Pysatha, tercium denarium de re qualibet iudicata: hec omnia cum sua posteritate libere possidebit. Insuper addimus ei quinque mansos cum uno prato liberos pro ipsius allodio. Insuper Wartam in ascensu unum miliare et in descensu dictus Cunradus unum miliare cum civibus ibi se locantibus pro piscatura, et in nostris piscinis, libere concedimus et donamus. Volumus eciam ut dictus Cunradus cum dicta civitate pocientur eo iure, quo cives et civitas nostra Poznaniensis. Libertatem vero a festo sancti Martini proximo venturi octo annis in terra culta *(9 literae desunt)* inculta autem duodecim *(74 lit. des.)* videlicet (*33 lit. des.*) siliginis *(54 lit. des.)* nostrorum de Pobedisc. Thaber.. *(21 lit. des.)* locabit. Acta sunt hec presentibus hys viris providis et discretis: Psrethpolcone palatino Poznaniensi, Boguphalo castellano Poznaniensi, Zdirzicrayo filio Nimiri, Iancone palantino Kalisiensi, Erkinboldo fratre suo, Martino Liz. Datum per manus Tiliconis nostri scriptoris anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo III.

Srem, *Śrem.* Pysatha, *Pysząca.* Pobedisc, *Pobiedziska.*

Nr. 323.

Wernerus de Foresto et prepositus Gobinensis 1253 s. d. in Gobin; testatur, se controversiam inter abbatem de Paradyż et Wilhelmum molendinarium, causa molendini in Paradyż exortam, sopivisse.

Pergam. orygin. Wcięcia poprzeczne od przywieszenia 3 pieczęci, które osobno zachowane, są podługowate, a każda przedstawia 1 osobę duchowną. Jedna z nich, wprost stojąca, trzyma w prawéj ręce palmę, na lewéj spoczywa księga, napis S. Heinrici....

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

prepositi.... *Druga połamana. Trzecia przedstawia Opata w infule, z pastorałem w prawicy, na lewéj spoczywa księga; napis*... abbatis Paradysi.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B, 1. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 33.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi. Wernerus de Foresto et prepositus ecclesie Gobinensis Dei gracia, universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis in Ihesu Christo salutem. Sicut enim tempus nunquam est stabile set fluens defluit, ita quoque, cum ipso tempore temporales fluant et defluant actiones, ne labatur cum tempore quid modo geritur, eternari debet et voce testium et testimonis litterarum. Eapropter notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod nos controversiam inter dominum abbatem de Paradyso ex una parte, et Wilhelmum molendinarium ac heredum suorum iam diu motam pro molendino in Paradyso ex parte altera, pro lenienda domini abbatis ac fratrum suorum inopia, tali interposita ordinacione coram testibus duximus sopiendam: quod nulla persona de consanguinitate vel affinitate memorati Wilhelmi audeat de cetero dictos fratres quolibet modo perturbare, aut etiam in dicto molendino aliquid sibi iuris presumat de cetero usurpare. Ut igitur hec nostre composicionis pagina futuris temporibus absque ambiguitate qualibet ab omnibus inviolabiliter observetur, ipsam sigillorum nostrorum et domini M. abbatis sigillo Paradysi duximus munimine roborandam, adhibitis nichilominus testibus ydoneis quorum nomina sunt: H. prepositus de Gobin, Borchardus advocatus in Gobin, Hogerus de Merica, Ramboldus Bindewin, Hermannus frater suus, Conradus de Lowene, Guntherus de Dilowe, Thymo de Lucene, Herbordus de Somerwelt, Iohannes Dordenbusch, Nicolaus monetarius, Otto de Belchowe, Bertoldus de Halis et alii quam plures. Acta sunt hec in Gobin anno Domini M.CC.LIII, Indictione X.

Forestum, *Forste.* Gobinensis, *de Guben.* Paradysus, *Paradyż.* Merica, *zamiast Dąbrowa.*

Nr. 324.

Premisl dux Polonie 1254 Aug. 3, Pobedysche; confirmat privilegium b. m. parentum suorum, quo mercatoribus die et per octavam beati Dominici ad civitatem Poznan venientibus, libertas non solvendi theloneum fuerat concessa.

Pergam. orygin. Sznur z nici jedwabnych czerwonych; — pieczęć znikła.

Poznań. Archiv. Miejskie. Diploma Nr. 1. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 34.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Placuit dignationi illustrium parentum nostrorum, beate memorie domini Vladyzlai ducis filii Odonis et domine Hadevygis ducisse Polonye, de consensu nostro et domini Bolezlai ducis fratris nostri, supplicantibus fratribus Predicatoribus de Poznan, ad honorem Dei et beate virginis Marie, pro veneratione etiam beati Dominici, omnibus mercatoribus undecunque venientibus ad civitatem Poznan in die sancto ac per octavas eiusdem mirifici confessoris, de non solvendo theloneo aut alia qualibet exactione libertatem omnimodam

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

liberaliter indulgere. Nos autem, favente Domino iam dictis parentibus nostris in honore ac onere succedentes, eorundem donationem, liberalitate ac devotione paterna ducti, litteris presentibus nostro sigillo munitis duximus approbandam. Datum Pobedysche anno Domini M.CC.LIIII, III Nonas Augusti, presentibus fratre Moyse priore et fratre Reymboldo de Ordine Predicatorum tunc Poznanyensis, comite Eustatio et aliis multis.

Pobedysche, Pobiedziska.

Nr. 325.

Boleslaus dux Polonie 1254 Aug. 16, in Gnezna; innovat de consensu fratris sui ducis Premislonis libertatem, quondam a patre suo, Vladislao duce, omnibus villis hospitalis sancti Sepulchri de Gniezno concessam.

Nakielski. Miechovia pag. 173.

In nomine Domini Dei eterni amen. Quod a nostris senioribus institutum est, ad etatis nostre noticiam non venisset, si cellassent testimonia et obsequia scripturarum. Quam ob rem nos Boleslaus divina institutione dux Polonie notum esse volumus universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis, quod de consensu et voluntate fratris nostri domini Premislonis, ob remedium anime nostre et omnium parentum nostrorum, libertatem a patre nostro felicis memorie duce Vladislao omnibus villis sancti Sepulchri que ad hospitale Gneznense pertinent institutam et concessam, de nostra non ficta voluntate auctoritate nostra innovamus et confirmamus, que talis est: quia omnes villas quas dicta Domus ad presens possidet vel deinceps quoquo modo possidebit, a podworowe, a stroza, a powoz, a naraz, a solutione capitis in hominibus villarum dictarum, a prevod, excepta sola recenti ferina quam ad proximam villam per conductum reducere tenebuntur, et a citacione castri cuiuslibet et iudicis, cum earum omnibus inhabitatoribus perpetuo gaudebunt omnimoda libertate; nec eciam coram nostra presencia citati comparebunt, nisi prius sigillo nostro fuerint provocati. Et quia homines villarum Domus memorate a venatoribus nostris et podvoda sepius aggravabantur, ob amorem et reverenciam Domus sancti Sepulcri in remissionemque omnium peccatorum nostrorum eos ab hoc gravamine totaliter absolvimus; ita quod venatores cuiuslibet officii non recipiant, nec canes nostros pascant, neque podvodam dent, nec eciam venator castri aliquam potestatem excercere habeat super homines dictarum villarum. Ab omni autem expedicione et castrorum municione, et ab omnibus aliis exactionibus et solucionibus eos omnino reddimus absolutos. Ut igitur hec nostra permissio et libertatis confirmacio a nobis et a nostris successoribus presentibus temporibus et futuris inviolabiliter observetur, presenti documento eam inserentes sigilli nostri corroboravimus appensione. Datum in Gnezna XVII Kalendas Septembris, anno Incarnacionis dominice millesimo CC. quinquagesimo quarto, Indictione undecima.

[illegible]

[redacted]

Nr. 326.

Alexander Pp. IV 1254 Dec. 19, Laterani; mandat episcopo Brandeburgensi, ut cum Conrado nato marchionis Brandeburgensis et Constantia nata Premisl ducis Poloniae, super matrimonio dispenset.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 122. — Riedel, Codex diplomat. Brandenburg. B. I, 44.

Alexander episcopus (*etc.*), venerabili fratri.. episcopo Brandeburgensi salutem (*etc.*). Ex parte dilectorum filiorum J. marchionis Brandeburgensis et P. ducis Polonie fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum pro sedandis discordiis et inimicitiis capitalibus sopiendis que inter predictos marchionem et ducem dudum exorte fuerant, velint quod nobilis vir Conradus natus ipsius marchionis et dilecta in Christo filia nobilis mulier Constantia nata eiusdem ducis ad invicem matrimonialiter copulentur, dispensare cum eisdem Conrado et Constantia, ut non obstante quod alter alterum quarto consanguinitatis gradu contingit, matrimonium contrahere insimul libere valeant, de benignitate Sedis apostolice curaremus. Ideoque mandamus, quatenus, si speratur quod per huiusmodi matrimonium pax et concordia inter prefatos ducem et marchionem proveniant, evitentur homicidia et quies atque tranquillitas illis partibus procurentur, tibique constiterit, quod id karissimo in Christo filio nostro Willelmo Romanorum regi illustri placeat, cum predictis Conrado et Constantia, ut matrimonium ad invicem contrahere libere possint, impedimento non obstante predicto, auctoritate nostra prout secundum Deum videris expedire dispenses. Datum Laterani XIV Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

Nr. 327.

Fulco s. ecclesie Gneznensis archiepiscop. 1255 Apr. 5, Gnezne; confert cum consensu sui Capituli villam Zdziechowo cum aliis bonis Domui Hospitalis s. Sepulchri in Gniezno.

Pergam. orygin. w wielu miejscach przetarty, pismo bardzo wyblakłe. Przy nim przywieszono dwie pieczęcie; pierwsza pieczęć okrągła, zawieszona na niciach jedwab. czerwon. przedstawia biskupa stojącego pod okrągłym łukiem, prawica błogosławiąca, lewa trzyma pastorał; napis zupełnie zatarty. Druga znikła, pozostały nici lniane fioletowe i żółte, bardzo wyblakłe, skręcone w sznurek.

Gniezno, Archiv. Capituli Metropolit. Nr. 24.

Nos Fulco sancte ecclesie Gneznensis archiepiscopus una cum venerabili Capitulo nostro, venerabili viro Henrico preposito domus Michoviensis ceterisque fratribus eiusdem domus salutem perpetuam. Pias fundatorum voluntates in melius immutare, decens et laudabile est. Licet igitur piissimus fundator, videlicet Dei gratia dux Polonie Premislaus, cum dilecta matre sua ac Boleslao fratre ex innata pietate erga Deum in remedium animarum suarum dederint vobis hospitale Gneznense cum iure patronatus, perpetuo iure per vos gubernandum et possidendum, accedente ad id no-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

stro Capitulique nostri consensu, ea ratione, ut ex redditibus bonorum ad idem hospitale spectantium, cum in statum bonum restauratum fuerit, infirmos elemosinarios aliquosque pauperes scholares in expensis vel in vestimentis ex voluntate vestra foveretis, prout iam fit providentia et industria moderni rectoris; quod tamen plures videmus indigentes cibo spirituali quam corporali, et paucos ob exiguum numerum cleri qui eis porrigant: salubriter iudicavimus cum venerabili Capitulo nostro, bona dicti Hospitalis cum ecclesia vobis ipsis concedere vestrisque usibus deputare, prout re ipsa consencientibus nobis in hac parte, ipsis fundationibus piissimis concedimus et deputamus cum omnibus decimis, possessionibus, pertinentiis, hominibus in Zdechovo commorantibus, redditibus ceterisque iuribus, eo fine, ut plures vestrum quam ante, videlicet quidquit ex redditibus eorundem bonorum sustentari commode poteritis, ad promovendum honorem Dei et gloriam sancti Sepulcri Salvatoris nostri, ac pro adiutorio cure animarum pretioso Sanguine Christi redemptarum, in quo zelum vestrum optime nobis commendatum habemus, in cenobio maneatis. Quod vero existimavimus vel (?) ingratum fore, divis fundatoribus si nisi ex gratitudine (*10 lit. des.*) advixerint (*4 lit. des.*) ad voluntatem vestram in eodem hospitali aliquos pauperes scholares modo ut supra volueritis providere, totum id scilicet pietati vestre comendamus, nullum nobis ius successoribusque nostris ad idem hospitale preter patronatum reservantes. Ut autem presens instrumentum, ad instar privilegii vobis datum, firmius robur habeat, illud sigillis nostris roborari iussimus. Datum Gnezne anno gratie M.CC.L.V die V mensis Aprilis, presentibus venerabilibus fratribus nostris Iohanne decano, Ru.. (*4 lit. del.*) et Isaia ecclesie nostre canonicis.

Zdechovo, *Zdziechowo.*

Nr. 328.

Fr. Hugo dictus abbas Morimundi 1255 Jun. 23, apud Morimundum; universum Ordinem Cisterciensem de quadam ordinatione, ratione Conventus abbatiae de Sulejow per abbates de Wąchock, Koprzywnica, Szczyrzec et Byszewo facta, certiorem facit.

Transsumpt orygin. potwierdzony przez: Iacobus s. Gneznens. ecclesie archiepiscop. 1285 Aug. 15, s. l.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 44.

Universis abbatibus et personis Cisterciensis Ordinis ad quos presentes littere pervenerint, frater Hugo dictus abbas Morimundi salutem in omnium Salutari. Noverit universitas vestra, quandam ordinacionem de Conventu abbacie de Suliow, factam per venerabiles coabbates nostros, videlicet per dominum Iohannem quondam abbatem de Wanchoz nunc abbatem dicte domus de Suliow, et per dominum Stephanum abbatem de Coprivnicia, et per dominos Balduvinum de Chiric et Nicolaum de Bissovia abbates, de consensu dicti Conventus ad nos devenisse; que quidem ordinacio inferius est notata.

Venerabili in Christo patri domino H. abbati Morimundi, fratres Io. de Wanchoz et St. de Copriwin abbates, summe devocionis plenitudinem cum debite reve-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

rencie famulatu. Noverit vestra reverenda paternitas, quod nos in sabbato ante dominicam in Passione ad domum de Suliow una cum dominis B. de Chiric et Ny. de Bissovia abbatibus secundum commissionem Capituli generalis et vestram accedentes, pro scandalo Ordinis evitando et bono pacis reformando, de consilio dictorum abbatum, assessorum nostrorum, inter nos et Conventum de Suliow ordinacionem fecimus infrascriptam: videlicet quod idem Conventus omni iuri mansionis sue in loco predicto de Suliow vestre voluntati cedens renunciat bona voluntate: ita ut vice mansionis sue in Suliow, domum de Bissovia cum omnibus pertinentiis suis et Locum sancti Gothardi cum omnibus pertinentiis suis, ad reformandum ibidem Dei servicium, dummodo possint habere litteras sanctissimi patris domini abbatis Cistercii et vestras super hac ordinacione confectas, resignantes, rite perpetuo confirmetis eisdem litteris inserentes, quod domus de Suliow possessiones suas longe sitas et sibi inutiles, videlicet Dobrow cum omnibus pertinenciis suis, et Pechow, et Schulpinum, et Dobrcham, dictis locis, Bissovie scilicet et sancto Gothardo et prefato Conventui voluntarie sint cedituri, perpetuo resignabit. Eapropter reverende sanctitati vestre consulere audentes devote supplicamus, quatenus hanc prescriptam ordinacionem, utrique parti salubrem et comodam, quam de vestra paternitate confidentes finaliter inivimus, semper ratam habendam rite prelibato modo confirmetis, et confirmatam iam dicto Conventui transmittatis. In cuius rei testimonium nostris et dictorum assessorum nostrorum sigillis hanc litteram roboramus.

Nos vero predictus H. abbas Morimundi ordinacionem hanc approbamus et eam auctoritate paterna confirmamus, et predicta loca cum suis pertinenciis dictis locis, Bissovie et de sancto Gothardo adunamus, et filiacionem domui Vallis sancti Georgii, a qua primo locus sancti Gothardi exivit, ascribentes, huic presenti littere sigillum nostrum una cum venerabilis Io. coabbatis nostri dicte domus de Suliow, qui predictis omnibus assensum prebuit, apposuimus in testimonium veritatis. Datum in vigilia beati Iohannis Baptiste anno Domini M.CC.L. quinto, aput Morimundum.

Suliow, *Sulejow*. Wanchoz, *Wąchock*. Coprivnicia, *Koprzywnica*. Chiric, *Szczyrzec*. Bissovia, *Byszewo*. Locus s. Gothardi, *Szpital górny p. m. Włocławek*. Dobrow, *Dobrow*. Pechow, *Pieczew*. Schulpinum, *Czolpin*. Dobrcha, *Dobre*. Domus Vallis s. Georgii, *klasztor Lubiąż, z niemiecka Leubus*.

Nr. 329.

Premizl dux Polonie 1255 Sept. 29, in Poznan; renovat de consensu fratris sui ducis Boleslai donationem haereditatis Chociule, monasterio de Trzebnica antea factam.

Pergam. orygin., u którego pozostały z dwóch przywieszonych pieczęci sznurki jedwabne.

Wrocław. Königl. Staats Archiv. Trebnic. Nr. 82. — Mosbach, Wiadomości, p. 21.

In nomine Domini amen. Quum humani generis acciones modis variis immutantur nisi testimonio vel scripti munimine fuerint solidate, nos igitur Premizl Dei gracia dux Polonie notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris, quod nos ex plena deliberatione et consensu fratris nostri ducis Bolezlavi nec non et

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

omnium terre nostre baronum renovantes donationem nostrorum predecessorum, hereditatem que Chociule vulgariter nuncupatur ad instanciam venerabilis domine G. nostre dilecte matertere dicte in Trebniz abbatisse domui contulimus Trebnizensi, dantes eidem infra terminos dicte hereditatis cum omni iurisdicione plenariam ac perpetuam libertatem. Et ut nostra donatio inviolabilis perseverans robur habeat perpetue firmitatis, sigilli nostri apensione et litterarum instrumentis ipsam studiose curavimus roborari. Huius rei testes sunt: dominus Boguhvalus episcopus Poznaniensis, dominus Petricus prepositus, dominus Iohannes scolasticus eiusdem ecclesie, comes Boguhvalus castellanus Poznaniensis, Hennericus vlhodarius, Drogonulus subpincerna. Hec acta sunt in Poznan in festo beati Michaelis, anno Incarnacione Domini M.CC.L.V.

Chociule, *z niemiecka Kutschlau.* Trebniz, *Trzebnica.*

Nr. 330.

Boleslaus dux Polon. 1255 Nov. 11, in Rogosen; confert Henrico Stronbyso, dicto de Klecko, scoltetiam in Kłecko, et iura ipsius definit.

Poznań. Königl. Staats Arch. Inscription. Posnaniens. a. 1528, fol. 573.

In nomine Domini Dei eterni amen. Quoniam sepius a memoria hominum recedit quod scripto aut bono testimonio non confirmatur, quamobrem nos Boleslaus divina institutione dux Polonie notum esse volumus universis presentem paginam inspecturis, quod de consensu baronum nostrorum civitatem nostram que Kleczsko vulgariter nuncupatur cum quatuor sortibus, quarum una vocatur Kraiewo, de qua sorte tenetur civitas solvere de censu et pro decima marcam argenti ecclesie beati Laurencii Gnezne dicte, de aliis autem tribus, videlicet de Kobylnicze, de Skotnicze et de Iastrabnycze contulimus ecclesie beati Georgii quatuor mansos liberos pro decima, absque omni exaccione que de supradictis pertinebatur sortibus, cum omnimoda libertate: et hec omnia fecimus mediante nostro sculteto Henrico Stronbyso dicto de Kleczsko, cui tunc temporis sculteciam nostram in civitate dicta Kleczsko contulimus sub forma et conditione et iure Novi Fori, cum omnimoda libertate sibi et suis posteris in iure Theutonico perpetuo possidendam. Volumus eciam, quicunque hospitum tam Polonorum seu Theutonicorum vel aliarum terrarum, quicunque iam dictam civitatem ingredi voluerint et se nostris beneficis per nostram Poloniam constitutis presentaverint, a theloneo et ab omni exaccione gaudeant securos. Sculfetum vero cum suis civibus de Kleczsko dicto, ubicunque locorum cum eorum mercimoniis venerint, a theloneo et ab omni exaccione facimus expeditos. Damus eciam nostro sculteto Henrico dicto de Kleczsko et suis posteris septimum mansum liberum ab omni penitus exaccione, qua libertate ipse cum suis posteris gaudeat, perpetuo possidendum. De censu vero mansorum sic statuimus, quod de quolibet manso nulli penitus sed nobis solvant sedecem scotos argenti in die Martini beatissimi confessoris; item nobis in eodem festo beati Martini de qualibet domo cedet medius scotus, de quo scultetus iam dicte civitatis cum suis posteris denarium tercium recipiet sicut debet. Item macella carnificum sculteto Henrico sepedicto et suis posteris de Kleczsko contulimus iure hereditario possidenda, que pro suo placito cum suis posteris vendat

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

et discuciat prout volet. Eciam hoc volumus et confirmamus, quod scultetus noster Henricus sepedictus cum suis posteris de curia in qua moratur et de duabus aliis, peccorum et humulcti videlicet nichil solvat, sed in his omnibus domibus sit securus. De pecunia vero nostra, scultetus Henricus et eius posteri de Kleczsko sepedicto, cum mercimoniis in civitate Kleczsko, que sua est et suorum posterorum, sub nostro ducatu et regimine ubicunque locorum digressi fuerint, libere et prospere vendant et emant sine ulla exaccione, nulli regraciantes nisi nobis et domino thezaurario. Item volumus et omnimode nostro dominio confirmamus nostro sculteto Henrico et suis posteris, quod omne iudicium in Kleck civitate dicta, qualiscumque causa se obtulerit, talem audacter in domo sua cum suis scabinis prefate civitatis iudicet; secundum quod quelibet causa vel casus cuiuslibet maleficii exegerit, talem penam inferat nostra functus authoritate. Casus vero qui possunt in supradicta civitate occurrere, sicuti est furtum, homicidium, sacrilegium, incendium, vulneraciones gladii, cultelli et baculorum, supradictus scultetus Henricus cum suis posteris tales maleficos deprehendat et iudicet ut diximus cum scabinis, nulli iudicium defferendo, sed ipse audacter, secundum quod sibi videbitur et suis scabinis, penam imponat et recipiat de quolibet casu prout videbitur expedire. De his iudiciis et de aliis quibuscunque, nobis cedent duo denarii et sculteto Henrico sepedicto et suis posteris tercius denarius cedet, sicut ius Theutonicum est statutum. Ad pascua vero peccorum, prefata civitas octo liberos mansos habebit. Molendinum vero in ipsa civitate Kleczsko et circa civitatem ubicunque fundare potest, prospere faciat et secure, et aliud supra Welmam ultra villam que Raczymierowo nominatur. De molendinis vero supradictis nullum censum solvant, nisi frumentum nostrum, quando necesse fuerit, quod molendinarius molat nichil inde percipiendo. Sagenam vero trahat hiemalem, in secundo tractu post nostram, a Rogalino usque in Przybrodam in lacu qui adiacet civitati Kleczsko dicte; similiter cum sagena estivali et omnibus retibus cum quibus piscari possunt, ab eodem Rogalino per totum lacum usque in Miedzychott piscatores Henrici iam dicti sculteti et suorum posterorum piscabunt prospere et audacter. Cives vero prefate civitatis parvis retibus, sicut est vanda, quam longe lacum possunt intrare sine cimbis, piscabuntur libere et secure. Item balneum nostro sculteto Henrico sepedicto et suis posteris contulimus, quod secure vendat vel accomodet, singulis annis pro se et suis posteris censum pro singulis annis percipiendo de eodem balneo et nulli aliquid inde dando, sed ipse gaudeat cum suis posteris possidendo. Silvam vero nostram que adiacet civitati dedimus pro lignis, ut secure scultetus cum suis civibus quandocunque volunt vadant, incidant prospere et deducant. Leporem eciam sculteto nostro Henrico sepius dicto et suis posteris concedimus circa civitatem vel ubicunque voluerit agitare, prospere et secure capere. Ut autem hec omnia a nobis et nostris successoribus inviolabiliter observentur, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus roborandam presentibus testibus hiis: Erhinbolt palatinus Gneznensis, comes Andreas iudex curie Gneznensis, comite Naszlen, comite Petro de Radegost, comite Beroldo Lurerfervirch (sic), domino Petro cancellario ducis Boleslai. Datum in Rogosen per manus domini Matthie notarii curie nostre in die Martini beatissimi confessoris anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, Indictione decima.

Kleczsko, *Kłecko.* Kraiewo, Skothnicze, Iastrabnycze, *niegdyś osady w pobliżu miasta Kłecko, dziś znikłe.* Kobylnicze, *Kobylica.* Novum forum *zamiast Neumarkt czyli*

[illegible]

[redacted]

Środa na Szlązku. Welma, *rzeczka, dziś Wełna.* Raczymierowo, Rogalino, *osady znikłe.* Przybroda, Międzychod, *dziś tak samo.* Radegost, *dziś Redgoszcz.* Lurerfervirch, *widoczna omyłka, nie odgadniona.* Rogosen, *zam. Rogoźno.*

Nr. 331.

Bolizlavus dux Polonie 1255 Nov. 13, in Dlusze; permittit monasterio de Ląd locare villam Wola Lądzka iure Theutonico.

Fac simile litografowane z pergaminu oryginaln., przy którym była na białych niciach przywieszona pieczęć Bolesława księcia; (pieczęć XVI.)

Lwów. Zakład Narodowy Imienia Ossolińskich.

In nomine Domini amen. Omnis actio legitima temporalis memoria indigens, ne pravorum hominum sugestionibus infirmetur, utile et cautum est ut scripture testimonio roboretur. Noscant igitur universi tam presentes quam futuri hanc paginam inspecturi, quod nos Bolizlavus Dei gracia dux Polonie cupientes ea que ad cultum Dei pertinent pocius augmentari quam minui, domui Lendensi Ordinis Cysterciensis, venerabili patre ipsorum abbate domino Mathia ad hoc interpellante, inter fluvium qui Wirbez vocatur et claustrum ipsorum contulimus libertatem novam villam locandi, quem Liberam villam appellarunt, atque populandi eandem de Theutonicis sive liberis Polonis pleno iure Theutonicorum. Absolvimus etiam prefatos Polonos nec non Theutonicos in supradicta villa manentes in perpetuum ab omnibus solutionibus et exactionibus sive iuribus in Polonia constitutis, excepto hoc solo: si aliquis contra dominium nostrum insultum fecerit, quod coloni sepedicte ville dominium nostrum una nobiscum tenebuntur defensare. Ut autem hec donatio sollempnis per nos facta robur perpetue firmitatis obtineat, presentem paginam in huius rei testimonium sigilli nostri karactere fecimus roborari. Acta autem sunt hec in Dlusze anno gracie M.CC.LV, Idus Novembris.

Lendensis, *de Ląd.* Fluv. Wirbez, *Wierzbiec strum.* Libera villa, *Wola Lądzka.* Dlusze, *Dłusk.*

Nr. 332.

Alexander Pp. IV 1256 Jan. 26, Laterani; archiepiscopo et episcopis Poloniae mandat, ut servos militum Polonorum, clericos molestantes, censuris ecclesiasticis coërceant.

Piekosiński, Kodeks Katedry Krakowskiéj I, 49. (Z pergaminu orygin. opatrzonego bullą: Alexander Pp. IIII.)

Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus . . archiepiscopo et episcopis Polonie salutem et apostolicam benedictionem. Ad aures apostolatus nostri pervenit, quod nunnulli milites et alii laici per Poloniam constituti, cum ipsorum servi et mancipia, interdum motu proprio et quandoque suorum dominorum mandato, sacrilegas iniciunt manus in clericos et alias committunt enormia contra

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

eos, hoc excusationis pallio, ne debite pro culpa pene subiaceant et de commissis satisfactionem exhibeant, in animarum suarum periculum se muniunt in peccatis, quod videlicet domini servorum suorum servitio non debent absque culpa propria defraudari; sicque peccatis remanentibus taliter impunitis, culpa trahitur perniciosius in exemplum, in grave clericorum periculum et enervationem ecclesiastice libertatis. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si premissis veritas suffragat, tales debitam pro huiusmodi excessibus subire penitentiam et satisfactionem impendere, non obstante excusatione predicta, monitione premissa, remoto appellationis obstaculo, censura ecclesiastica iuxta officii vestri debitum coarcetis. Datum Laterani VII Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Nr. 333.

Premisl dux Polonie 1256 Febr. 14, in Poznan; ratam habet venditionem haereditatis Zyrsko, concessae fratribus Militiae Templi a Boguslao milite, filio quondam Zdislavi.

Pergam. orygin. Na sznurze jedwabn. wyblakł. przywieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XV.)

Berlin. Königl. Geheim. Staats Arch. — Riedel, Cod. diplomatic. Brandenburg. A. 19, p. 125, fragment.

In nomine Domini Dei eterni amen. Quoniam sepius a memoria hominum recedit quod scripto aut bono testimonio non confirmatur, quamobrem nos Premisl divina institutione dux Polonie notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris, quod veniens in presentiam nostram miles noster Boguphalus, filius condam Zdislavi, procurante Brunone Crucifero et fratre ipsius Alberto, de nostro consensu et bona voluntate hereditatem suam que vulgariter Zarino nuncupatur, cum omnibus hutilitatibus et attinentiis suis fratribus de Templo vendidit et contulit iure hereditario perpetuo possidendam. Quod factum nos ratum et firmum volentes habere, et ne etiam cuipiam super venditione memorata inposterum ambiguitas inducatur, ad instantiam et peticionem utriusque partis hec eadem in testimonium fecimus conscribi et sigilli nostri munimine roborari. Actum in Poznan in die beati Valentini martiris anno Incarnationis dominice millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto. Huius rei et facti testes interfuerunt: comes Pretpelk palatinus noster, comes Boguphalus castellanus Poznaniensis, comes Zbilut castellanus Ostroviensis, Beniamin castellanus de Radhim, Andreas subdapifer, Simon tunc temporis subiudex, et alii quam plurimi. Ego Michael notarius hiis eciam interfui et ad mandatum predicti ducis ista conscripsi.

Zarino, *później Zyrsko, dziś z niemiecka Seeren.* Ostroviensis, *de Ostrów, zamku na wyspie jeziora Lednica, z którego dziś ruina.* Radhim, *Radzim, gród na wyspie rz. Warta p. m. Oborniki, z którego dziś nasypy ziemi i głębokie przekopy.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 334.

Premisl dux Polonie 1260 (sic) Febr. 24, Poznanie; munit haereditates monasterii de Łekno amplissimis libertatibus.

Wągrowiec. Archiv. monasterii. Protocollum secundum, fol. 36. (Kopia z pergaminu oryginaln., u którego była przywieszona na sznurku półjedwabnym zielonym pieczęć.) — Wągrowiec. Archiw. miejskie. Transsumpt potwierdzony przez: Kazimirus rex Polonie 1346 Jun. 6, in Pizdri.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Cum petitur quod iustum videtur et honestum, iustis petencium desideriis dignum est facilem prebere consensum, et vota que a racionis tramite non discordant, affectu prosequente complere. Igitur nos Premisl Dei gracia dux Polonie notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod ob reverenciam Dei et sancte matris Ecclesie ac beate virginis Marie nec non patris reverendi domini Petri abbatis de Lukna tociusque conventus fratrum ibidem commorancium, et eciam nostrorum progenitorum facta salubria pio prosequentes affectu, universas prefate domus hereditates ad presens habitas et habendas, ab omni exactione et solucione, a prewod, a podwodi, a naraz, a podvorove, a capite tali forma: quod si quis occiditur, pro hoc penam minime solvere tenentur: a preparacione et reparacione castrorum ac poncium, a solucione que mostowe dicitur, et ab omnibus iuribus in Polonia constitutis quibuscunque censeantur nominibus, dignum duximus penitus absolvendas. Et quia donum Deo collatum non expedit legibus universorum subiacere, volumus ut nemo nostrorum iudicum aut castellanorum, vel cuiuscunque racione beneficii, ad ipsas hereditates in perpetuum respectum aliquem valeat obtinere; et si sine annulo nostro citati fuerint, minime comparebunt. Ut hec a nobis facta firmitatis robur obtineant, dedimus presentem paginam predictis fratribus de Lukna nostri sigilli munimine roboratam. Datum Poznanie anno gracie millesimo ducentesimo sexagesimo (sic), VI Kalendas Marcii. Cum hec fierent hii testes presentes astiterunt: Dirsicray palatinus Gneznensis, Simon castellanus Gneznensis, Sventoslaus de Nakel, Domeradus iudex, Zbiludus de Kozelz et alii quam plures fide digni.

Lukna, *Łekno.* Nakel, *Nakło.* Kozelz, *Kozielsk.*

Nr. 335.

Premisl dux Polonie 1256 Mart. 18, in Poznan; commutationem haereditatis comitis Dyrskonis filii Dyrsconis, dictae Lubienicko, pro haereditate monasterii de Gostichow, dicta Góra, ratam habet.

Pergam. orygin. Dziurki od zawieszenia pieczęci księcia Przemysława, która osobno zachowana; (pieczęć XV).

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B, 3. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 36.

In nomine Domini Dei eterni amen. Quoniam sepius a memoria hominum recedit quod scripto aut bono testimonio non confirmatur, quapropter nos Premisl

[illegible]

[illegible]

[illegible]

divina dispositione dux Polonie notum esse volumus universis tam presentibus quam eciam futuris, quod veniens in presentiam nostram miles noster comes Dyrsek filius condam Dyrsconis protestatus est, quod de consensu et bona voluntate fratrum suorum, Goslavi videlicet et Tome, talem commutationem cum domino Henrico abbate de Gostichow et fratribus eiusdem monasterii fecisset. Dedit enim predictus Dyrsek fratribus memoratis et domui ipsorum hereditatem suam que Lubenitsco vulgariter nuncupatur cum omnibus attinentiis et hutilitatibus suis iure hereditario perpetuo possidendam in concambium, recipiens ab ipsis hereditatem domus ipsorum que Gorca apellatur, cum decem marcis argenti, cum quatuor bubus, cum seminibus et cum omnibus aliis hutilitatibus que tunc temporis in villa prefata inveniebantur, eodem iure perpetuo cum omnibus suis successoribus possidendam. Quod factum ratum et firmum nos habentes, et ne eciam super commutatione prefata cuipiam ambiguitas in posterum inducatur, hec eadem que nostra in presentia acta sunt, fecimus in testimonium conscribi et sigilli nostri munimine roborari. Actum in Poznan quinto decimo Kalendas Aprilis, anno Incarnationis dominice millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto. Huius rei et facti testes sunt: comes Dyrsicray palatinus, Iohannes cancellarius curie nostre, Boguphalus castellanus Poznaniensis, Iohannes scolasticus, Henricus cantor sancte Poznaniensis ecclesie, Ianus filius Bozenonis et alii quam plures. Ego Michael notarius hiis eciam interfui et ad mandatum predicti ducis ista conscripsi.

Lubenitsco, *później villa Martini, dziś Merzdorf.* Gorca, *dziś Góra.*

Nr. 336.

Premisl dux Polonie 1256 s. d., in Poznan; monasterio Paradyż multiplices confert libertates.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia pieczęci księcia Przemysława, która osobno zachowana; (pieczęć XV.)

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B, 5. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 38.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Cum ex temporis vicissitudine cuncta que a nobis temporaliter aguntur mutabilitati subiaceant, aliquocies acta hominum, quamcunque legitime diffiuita, processu temporis iacturam patiuntur, nisi testimonio litterarum et subscriptione testium fulciantur. Presencium igitur tenore notum esse volumus universis presentibus et posteris hoc scriptum inspecturis, quod nos Premisl divina miseratione dux Polonie salubriter cogitantes de salute anime nostre, et sperantes de misericordia Dei nos in celis metere quod seminaremus in terris, pro reverencia Dei et beate Marie semper virginis et preclaris meritis domini Henrici dicti abbatis de Paradyso Ordinis Cysterciensis omniumque fratrum ibidem Deo serviencium, hominibus in villis eiusdem claustri comorantibus contulimus libertatem, ita videlicet, ut a citatione castri, preter ad nostram presentiam nostro sigillo citati, sint semper liberi et immunes. Si quis autem alius ipsos iudicare presumpserit, iudicium ipsius pronunciamus esse nullum. Concessimus eciam prefato claustro, ut si qui castores stagnum vel lacus ad ipsum spectantes ad presens intra-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

verunt vel intraverint aliunde, ex nostra donatione habeat hereditario iure in perpetuum possidendos. Et ut hec nostra donatio et elemosina a nobis et a posteris nostris innoxia et illibata semper perseveret, presens scriptum eidem concessimus sigilli nostri impressione munimine roboratum. Datum in Poznan anno gracie M.CC.L sexto presentibus hiis testibus: comite Dirsycrayo iudice nostro, domino Iohanne cancellario nostro, comite Eustachio castellano de Zantoch et aliis quam pluribus. Et ego Conradus scriptor predicti ducis hiis interfui et hec omnia de mandato ipsius conscripsi.

Paradysus, *Paradyż.* Zantoch, *Santok.*

Nr. 337.

Premisl dux Polonie 1256 s. d., in Poznan; collationem silvae Suhcino, quam miles Swentek filius quondam Milvii monasterio Paradyż fecerat, ratam habet.

Pergam. orygin. Brzegi bardzo obcięte, bez śladu przywieszenia pieczęci.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B, 4. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 35.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Quoniam mundus caducus est et diversis cotidie variatur casibus, idcirco necesse est actiones legitimas que memoria indigent, per scripti continenciam in noticiam transmitti posterorum. Hinc est quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus tam presentibus quam posteris hoc scriptum inspicientibus, quod miles noster Swentek filius quondam Milvii tempore vite sue propria ac bona voluntate sua, de consilio ac beneplacito filii sui nomine Brod et filiolorum suorum Andree, Chiscik et Pribislavi sibi suisque in perpetuum providens, intuitu divine remuneracionis et remedium anime sue et parentum ac posterorum suorum contulit Domino et beate Marie et ecclesie in Gostichov que Paradysus dicitur fratribusque inibi constitutis Cysterciensis Ordinis silvam quam ab avo et attavo suo libere cum cognacione suo possederat, que Suhcino vulgariter nuncupatur, cum omnibus suis attinenciis iure hereditario absque ulla retractatione in perpetuum possidendam. Ut igitur hec nostra attestacio et predicti militis nostri superius nominati cum suis posteris libera donatio rata et inconvulsa maneat perpetuo, propter ignorantiam inexpertorum seu propter frivole obviantium proterviam, que nunc nostris maxime inolevit temporibus, presentem paginam sigilli nostri munimine dignum duximus muniendam. Acta sunt hec in Poznan anno gracie M.CC.L.VI coram nobis, presente etiam domino Henrico supradicte domus abbate, et coram nobilibus Polonie quorum hec sunt nomina: Predpelcus palatinus, Dirsicraius iudex, Bogufalus castellanus Poznaniensis, Andreas filius quondam Viti, Symon tribunus de Santok cum fratre suo Nycholao.

Paradysus, *Paradyż.* Silva Suhcino, *t. j. pod wsią Słocin.* Santok, *Santok.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Nr. 338.

Premisl dux Polonie 1256 s. d., in Poznan; protestatur, militem suum Sulislaum filium Andreae, haereditatem Wyszanowo monasterio Paradyż vendidisse.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia pieczęci księcia Przemysława, która osobno zachowana; (pieczęć XV).

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B, 2. — Raczyński. Cod. diplom. Maior. Polon. 37.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Quoniam antiquitas inimica est memorie et quia memoria plerumque fuscatur oblivione, eapropter necesse est ut res digna memorie scripto debet commendari, quo canescens antiquitas crebrius valeat renovari. Hinc est quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus tam presentibus quam futuris presens scriptum inspicientibus, quod miles noster Sulislaus, filius quondam Andree, de consilio filii sui Bogussii et de beneplacito omnium cognatorum suorum, hereditatem suam que Wissonowo maior nuncupatur et est sita in districtu Mezerecensi vendidit domino Henrico abbati de Gostichow, quod Paradysus dicitur, et fratribus eiusdem domus, cum omnibus eius attinenciis absque ulla retractacione vel redempcione, in perpetuum iure hereditario pro sedecim marcis argenti possidendam. Hanc autem vendicionem propter ignoranciam inexpertorum seu propter frivole obviancium proterviam, que nunc nostris maxime emergit temporibus, coram nobis presente eciam supradicto abbate sollempniter confirmavit. In huius itaque rei testimonium, quatenus nostra attestacio et predicti militis vendicio rata et inconvulsa maneat perpetuo, presentem paginam sigilli nostri munimine dignum duximus muniendam. Acta sunt hec in Poznan anno gracie M.CC.L.VI coram nobis et nobilibus nostris, quorum hec sunt nomina: Iohannes cancellarius noster, Ianus filius Boznonis, Andreas filius Viti, Miron filius Ianussii, Symon tribunus de Santok, et cum fratre suo Nycolao et aliis plurimis fidedignis.

Wissonowo maior, *Wyszanowo.* Mezerecensis, *de Międzyrzecz.* Paradysus, *Paradyż.* Santok, *Santok.*

Nr. 339.

Alexander Pp. IV 1256 Mai. 5, Laterani; permittit fratribus Ordinis Praedicatorum, in terris excommunicatorum libere commorari et necessaria vitae deposcere.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabn. żółt. i czerwon. zawieszona bulla: Alexander Pp. IIII.

Poznań. Privil. ecclesiae Fratr. Praedicatorum.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et universis fratribus Ordinis fratrum Predicatorum presentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Vobis extremam patientibus pro Christi nomine paupertatem digne conceditur ab apostolice Sedis gratia, per quod et necessitati vestre con-

[illegible]

[redacted]

sulitur, et benefactoribus vestris salutis meritum procuratur. Hinc est quod nos quorum deposcit officium iustis annuere desideriis devotorum, vestris precibus humilitatis inducti, ut vos, qui exhortationis pie studio bonos ad potiora dirigitis et errantes in rectitudinis semitam laudabiliter revocatis, in excommunicatorum terris libere commorari et ab eis tunc, ac etiam quando vos per ipsas transire contigerit, necessaria vite deposcere ac recipere valeatis, vobis auctoritate presentium concedimus facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani III Nonas Mai, pontificatus nostri anno secundo.

Nr. 340.

Premisl dux Polonie 1256 Mai. 9, in Poznania; protestatur, villam Ochla a Bogussa et a Paulo monasterio de Henryków venditam fuisse.

Stenzel, Lib. fundation. claustri Heinrichau pag. 64.

In nomine Domini amen. Nos Premisl divina institutione dux Polonie, semper veritatem ex animo diligentes et honorem sancte matris Ecclesie voluntate spontanea promoventes, notum esse volumus presentibus et futuris, quod quidam iuvenes Bogussa videlicet et Paulus, Slesienses de cognatione domini Pauli quondam Poznaniensis ecclesie episcopi, quandam fecerunt commutationem cum domino abbate de Heinrichowe, dantes ei sortem quam habebant iuxta ipsum claustrum que vulgariter Brucaliz nuncupatur, recipientes ab ipso tantumdem in Ochla, quod idem claustrum ex donatione felicis memorie patris nostri ac nostra gratia possidet. Postmodum vero memorati iuvenes vendiderunt prefato claustro sortem quam in terra nostri ducatus in commutatione acceperant pro XX marcis argenti. Nos ergo carta presenti nostri sigilli munita appensione protestamur, eosdem iuvenes sortem predictam quam in Ochla habebant, pro memorata pecunia coram nobis ac nostris baronibus vendidisse. Quod si postmodum quisquam de parentela predictorum iuvenum voluerit redimere quod coram nobis est emptum et in terra nostri ducatus iacet, illud redimat; ad illud autem quod coram nobili principe domino Heinrico duce Slesie nostro sororio est donatum pro commutatione, nullum prorsus habeant respectum. Actum in Poznania VII Idus Maii, anno Incarnationis dominice MCCLVI. Huius rei testes sunt: comes Dyrsicray palatinus, Boguphalus castellanus Poznaniensis, dominus Iohannes cancellarius nostre curie, Svantozlaus castellanus de Nakel, Petrus et Iohannes filii Thome, et alii quam plurimi. Ego Mychael notarius etiam interfui et ad mandatum predicti ducis hec eadem conscripsi.

Heinrichowe, *Henryków, z niemiecka Heinrichau.* Brucaliz, *niegdyś osada p. m. Münsterberg na Szlązku.* Ochla, *Ochla.* Nakel, *Nakło.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 341.

Alexander Pp. IV 1256 Jun. 10, Anagnie; concedit Ordini Praedicatorum, ut eiectis vel egressis de Ordine, transcundi ad alios Ordines, praeter ad arma portantes, licentiam dare possit.

Pergam. orygin. Dziurki od sznurka bulli, która znikła.

Poznań. Privil. ecclesiae Fratrum Praedicatorum.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis.. magistro et prioribus Ordinis fratrum Predicatorum salutem et apostolicam benedictionem. Paci et tranquillitati vestre paterna volentes in posterum sollicitudine providere, ut eiectis de vestro Ordine vel egressis, qui receptione in eodem Ordine suis exigentibus culpis reddiderint se indignos, transeundi ad alios Ordines approbatos, preterquam ad beati Augustini, Templariorum, Hospitalariorum et aliorum religiosorum arma portantium, ad vitandam occasionem evagandi cum vestris testimonialibus litteris, licentiam dare possitis, plenam vobis concedimus auctoritate presentium facultatem; districtius inhibentes, ne tales aliter ad alium Ordinem transire vel aliqui ipsos (*8 lit. delet.*) seu retinere presumant absque licentia Sedis apostolice speciali, faciente plenam de presentibus mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et inhibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Anagnie IIII Idus Iunii, pontificatus nostri anno secundo.

Nr. 342.

Jarostius filius Phalonis 1256 Jun. 29, in Poznan; protestatur, post multas altercationes se a monasterio Paradyż modo compositionis villas Sroczewo, Zakrzewo et Zaborowo recepisse, pro eis vero monasterio praedicto villas Kotowo et Pamiątkowo dedisse.

Pergam. orygin. Brzegi bardzo obcięte; bez śladu przywieszenia pieczęci.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B, 6. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 39.

In nomine Domini amen. Quoniam que facta sunt in tempore una cum temporis curriculo corruunt, sapienter sanxit auctoritas antiquorum, privilegia verborum fulcimine simul et testium insignire, ut si per licturam oblivionis aliquam decidunt, litterarum inspectione rursus memorie commendentur. Hinc est quod ego Iarostius filius Phalonis notum esse volo tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis, talem commutationem me fecisse cum domino Henrico abbate Ordinis Cisterciensis de Goschihov que et Paradisus dicitur, simul et cum fratribus domus eiusdem. Post multas siquidem altercaciones habitas inter me et ipsos, intervenientibus bonis viris et inter nos pacis medium facientibus, recepi tres villas ab eodem domino abbate et fratribus eius: Srochevo, Sakrevo et Zaborovo iure hereditario atque perpetuo tam a me quam a liberis meis et eorum posteris possidendas; loco quorum dedi duas villas eidem

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

domino abbati et fratribus eius: Cothov et Pamenthcovo iure similiter hereditario ab ipsis et claustro eorum iam dicto perpetuo possidendas. Hanc autem commutationem feci de beneplacito fratris mei Sandivogii et Nicholai fratris mei patruelis, qui ambo eidem commutacioni facte unanimiter consenserunt. Testes autem commutationis huius sunt: Petricus prepositus, Gerardus decanus, Iohannes archidiaconus, Iohannes scolasticus, Henricus cantor ecclesie Poznaniensis et Boruth canonicus eiusdem ecclesie; item Prethpelk palatinus, Dirsicragius palatinus et iudex, Scedricus castellanus de Criwin, Thomislaus tunc pincerna, Andreas filius Viti, Bozeta filius Stephani de Wresc. Acta sunt hec anno Incarnacionis dominice M.CC.LVI. sub illustri principe domino Premislone duce Polonie et venerabili patre episcopo Poznaniensi domino Boguphalo, quorum eciam sigillis in testimonium rei facte presens scriptum et in memoriale perpetuum posteris volui communire. Et in Poznan hec acta sunt tertio Kalendas Iulii. Terminos autem nostros et ipsorum in villis eisdem facit rivulus qui dicitur Neguthca usque in lacum qui dicitur Stara reka, secundum aliis privilegiis, meo et ipsorum, super hoc conditis continetur.

Paradisus, *Paradyż.* Srochevo, *Sroczewo.* Sakrevo, *Zakrzewo.* Zaborowo, *Zaborowo.* Cothov, *osada znikła w okolicy m. Zaniemyśl, dziś zapewnie objęta w Olędry Dąbrowskie.* Pamenthcovo, *znikła osada tejże okolicy.* Criwin, *Krzywin.* Wresc, *dziś Września.* Neguthca, *strumień wpadający do rzeki Warta, nazwa dziś zapomniana również jak:* Stara rzeka.

Nr. 343.

Alexander Pp. IV 1256 Jul. 3, Anagnie; universo Poloniae clero indulget, ut nonnisi legatis vel nuntiis apostolicis sibi specialiter missis, procurationes exhibere teneantur.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 138.

Alexander episcopus *(etc.)*, venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Gneznensi et suffraganeis eius, ac universo clero provincie Gneznensis salutem *(etc.)*. Cum, sicut intimantibus vobis accepimus, provincia Polonie de qua estis, per se provincia esse consueverit et existat, proprio vocabulo Polonia videlicet insignita, vestris devotis supplicationibus inclinati: ut nullo legato vel nuntio in Alamaniam seu alias quascumque vicinas provincias a Sede apostolica destinato procurationes exhibere teneamini, nisi de ipsa Polonie provincia in sue legationis vel missionis litteris plena et expressa mentio habeatur seu ad eandem provinciam fuerit ab ipsa Sede destinatus: specialiter vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli *(etc.)* nostre concessionis *(etc.)*. Datum Anagnie V Nonas Iulii, anno secundo.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 344.

Boleslaus dux Polonie 1256 s. d., in Gnezna; ratam habet permutationem quarundam hereditatum et ecclesiarum, quam frater suus Premisl dux Poloniae et fratres Hospitalis s. Iohannis in Poznań secum fecerant, et villis eorundem fratrum in suo ducatu sitis plurimas libertates confert.

Kopia w zeszycie papierowym bez podania źródła; pismo XVIII wieku.
Praga. Archiv. prioratus Ordinis equitum Melitensium.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Quoniam omnes morimur simul in unum, dives et pauper, nec est aliquid quod in mortis articulo tantum valeat hominum cuilibet suffragari sicut misericordia, que sola est comes defunctorum: iustum est, maxime nobis qui pre ceteris a Domino bonis presentibus honoramur, hec largius et misericorditer Deo in personis que sibi serviunt impertiri, ut sic in futuro districtum iudicem eo facilius nobis placabilem inveniremus. Notum sit igitur omnibus tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie confirmamus ac ratam et inviolatam esse volumus in perpetuum permutacionem, quam illustris princeps dominus Premislius uterinus frater noster dux eiusdem Polonie de nostro consensu fecit cum fratribus Hospitalis sancti Iohannis in Poznan, videlicet super ecclesia de Obrzyck et hereditatem Sedlecz vocatam cum suis utilitatibus, et super ecclesia de Rogozen cum villis et eius adscripticiis et decimis, quarum nomina in privilegio continentur dato a fratre nostro domino P. eisdem fratribus super dicta permutacione, ubi et ipse modus permutacionis continetur. Confirmamus et libertatem que in eodem privilegio est conscripta et data a fratre nostro sepedicto, volentes ut in villis que site sunt in nostro ducatu que ad eandem religionem pertinent, ut Radlowo, Sedlcze, Pohorelicia, ipsa libertas que data est et conscripta, tam a fratribus iam dictis quam ab hominibus eorum in ipsis villis degentibus perpetualiter teneatur. Constituimus siquidem ob reverenciam predicti Hospitalis, predictas villas a servitute esse liberas, que prevod, povoz, stroza et podworove nuncupatur. Et si quid iuris habent in aliis villis et libertatis, hoc in istis possideant in nomine Ihesu Christi, et in illa que dicitur Belavi, quam fratribus et iam dictis villis annumeramus. Addimus insuper, quod homines memorati Hospitalis non citentur nisi sigillo nostro coram nobis; et si iudicati fuerint ad sex (sic) marcas, vaccam vel urnam mellis; et pro suppit (sic) triginta denarios solvant. Concedimus eciam eidem Hospitali, ut quociens fratres eiusdem per terram nostram transeant ementes et vendentes ea que ad necessaria domestice cure pertinent, per thelonearias eciam vias, ab omni exactione cuiuslibet solucionis sint liberi et immunes. Que omnia ut robur firmitatis tam a presentibus quam futuris obtineant, sigilli nostri impressione et appensione presentem litteram curavimus communiri. Datum in Gnezna anno gracie M.CC.L.VI. presentibus hiis testibus: Iarostio filio Falonis, Iohanne filio Richardi, Mutina preposito sancti Georgii, Chrostla.

Obrzyck, *Obrzycko.* Sedlecz, *Siedlec.* Rogozen, *Rogoźno.* Radlowo, *Radłowo.* Pohorelicia, *Pogorzelica.* Belavi, *Bielawy.*

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 345.

Alexander Pp. IV 1257 Jan. 18, Laterani; bullam quam ediderat: **Gregorius Pp. IX 1235 Jun. 26, Perusii,** in qua documentum quod conceperat: **Wladislaus dux Polonie 1234 Sept. 22 s. l.,** est insertum, transsumi facit.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabn. żółt. i czerwon. przywieszona bulla: Alexander Pp. IIII.

Bibl. X. X. Czartoryskich. Diplomata.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Wlodizlavvo preposito ecclesie Wissegradensis capellano nostro, et nobili viro Henrico duci Slesie salutem et apostolicam benedictionem. Cum dudum inter inclite recordationis Henricum avum et H. patrem vestrum quorum estis heredes ex parte una, et bone memorie Wlodizlavum ducem Polonie ex altera super terra Polonie questio fuisset exorta, tandem mediantibus venerabili fratre nostro F. Gneznensi archiepiscopo et bone memorie P. episcopo Poznaniensi amicabilis inter partes compositio intervenit, prout in litteris inde confectis plenius continetur. Felicis quoque recordacionis G. Papa predecessor noster compositionem ipsam, sicut rite sine pravitate proinde facta extitit et ab utraque parte sponte recepta et aliquamdiu etiam pacifice observata, per suas litteras confirmavit, litterarum predictarum super arbitrio huiusmodi confectarum tenorem eiusdem confirmationis sue litteris inseri faciendo, prout ex regestro ipsius predecessoris, continente earundem litterarum suarum tenorem, nobis constitit manifeste. Verum, quia huiusmodi eiusdem predecessoris littere cansu (sic) fortuito ut asseritis sunt amisse, nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis in hac parte de circumspectione Sedis apostolice curaremus. Quoniam igitur propter sinceritatem devocionis vestre favoris nostri provenire debet auxilio, ut quod pro iuris vestri conservatione deposcitur, affectu benivolo provide concedatur: nos vestris supplicationibus inclinati tenorem predictarum litterarum predecessoris eiusdem de prefato regestro sumi fecimus et sub bulla nostra de verbo ad verbum diligencius annotari, illum vobis in testimonium transmittentes, qui talis est: *(Sequitur diploma Nr. 182).*

Statuimus ergo tenorem huiusmodi taliter annotatum illum per omnia obtinere vigorem, quem sepedicte ipsius predecessoris littere, si apparuerent bullate, noscerentur habere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani XV Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno tertio.

Wissegradensis, *de Wyszehrad w Czechach.* Terra Polonie, *później* Polonia Maior, *t. j. Wielkopolska.*

[illegible]

[redacted]

Nr. 346.

Premisl dux Polonie Maioris 1258 (sic) Febr. 2, in Pobedisca; vendit advocatiam in oppido Pobiedziska Johanni, eamque multiplicibus privilegiis munit.

Wilanow, Biblioteka. Rejestr rewizorów do Wielkopolski, fol. 88 v.

In nomine Domini amen. Momenti temporum longa cum distancia dilabant ea que in hiis aguntur et sepius veniunt in oblivionem, nisi annotata fuerint apicibus literarum et testium subscripcione. Noverint igitur tam presentes quam futuri presens scriptum intuentes, quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie Maioris notum esse facimus presentem paginam inspecturis, quod de consensu baronum nostrorum in civitate nostra que vulgariter Pobedisca nuncupatur advocaciam in perpetuum vendidimus pro quatuor centis marcarum argenti usualis Iohanni, quam Petrus sororinus ipsius quondam advocatus in iam dicta civitate possidebat, quam advocaciam videlicet uxor Petri dicti et omnes eius amici post mortem ipsius in manus nostras resignarunt. Nos vero dicto Iohanni et sue posteritati omnem libertatem et ius in ea ipsa advocatia, hoc est tam a bello quam ab omni servicio et ab omnibus dacionibus, vulgariter od szoszow, et generaliter ab omnibus solucionibus intercedentes (sic), vulgariter od porembow, et aliis omnibus impedimentis et impedire valentibus ei promisimus conservare. Adiungentes sibi quatuor mansos possessionatos, de quibus incole sibi debent censuare super quodlibet festum sancti Martini gloriosi confessoris fertonem argenti usualis bene ponderati, et quatuor mensuras siliginis, quatuor tritici et quatuor avene superflue mensurate; et alios tres in allodium ipsius, qui mansi tres iacent post aream ipsius, hoc est penes viam Kotlowska usque ad viam Kostrynska, tam late et longe usque ad graniciem Prandno: et hoc cum omnibus attinentiis, rubetis, quercetis, silvis, borris, gaiis, et cum laneo (sic) qui ibidem iacet penes granicies Prandno in fine eorundem mansuum, qui vocantur Prandzonek; et quartum mansum qui iacet inter mansos civium, qui mansi a diuturnis temporibus sunt liberi a decimis et aliis omnibus solucionibus: etiam nos eos in perpetuum vendidimus liberos. Adiungimus eciam sibi omnimode et dominio nostro confirmamus nostro advocato Iohanni et suis posteris, quod omne iudicium in civitate Pobedisca, cuiuscunque casus se obtulerit, tale audacter in domo suo cum suis scabinis ab ipso electis, quos semper eligere debet secundum placitum ipsius, videlicet secundum quod quelibet causa vel cause cuiuslibet maleficii exigit, talem penam inferat nostra functus auctoritate. Casus vero qui possint in supradicta civitate evenire, sicut est furtum, homicidium, sacrilegium, incendium, vulneracio gladii, cultelli et baculorum, supradictus advocatus cum suis posteris maleficos tales deprehendat et iudicet cum suis scabinis nulli iudicium deferendo, sed ipse audacter secundum quod sibi videbitur et suis scabinis, penam imponat de quolibet casu prout sibi videbitur expedire. De istis iudiciis et aliis quibuscunque, nobis cedant duo denarii et advocato supra nominato et suis posteris tercius denarius cedat, sic ut est ius Theutonicum statutum. Adiungimus sibi eciam omnem solucionem iuramentorum, alias przisanszne, et cuiuslibet iudicati tercium denarium, hoc est vadimoniorum et omnium aliarum penarum quecunque in hac civitate Pobedisca consequentur; similiter et tercium denarium quod vulgariter podvorove nuncupatur, et tercium denarium iuris civitatis,

[illegible]

[redacted]

alias meske pravo. Adiungimus eciam sibi domum in civitate penes plateam que vocatur Thkaczka ulicza. Adiungimus eciam sibi molendinum in fluvio Glovna, inferius nostri molendini, et cum ipsius stagno, et quodcunque potest maius construere, construat, et cum duobus hortis penes molendinum iacentibus pacifice et quiete possideat. Adiungimus eciam sibi quatuor macella carnificum, de quibus sibi censuare debent in quolibet festo sancti Martini per quinque lapides sepum de quolibet. Preterea, omnia pascua que ad nos et nostram dominacionem pertinent circa sepedictam civitatem, cum querceto ad pascuendum scrophas et pecora prefate contulimus civitati. In cuius rei testimonium et firmitatem, presens scriptum fecimus sigilli nostri munimine roborari. Datum in Pobedisca in die Purificationis Marie anno Domini M.CC.LVIII (sic), presentibus honorabilibus viris: domino Petro, Hartungo viro discreto et religioso fratrum Predicatorum, comite Alberto, comite Bogutha, comite Andrea castellano de Wilehnen, comite Andrea succamerario curie nostre, et aliis quam plurimis militibus et capellanis fide dignis.

Pobedisca, *Pobiedziska.* Via Kotlowska, *de Kociałkowa Gorka.* Via Kostrynska, *de Kostrzyn.* Prandno, *Prądno.* Fluv. Glovna, *rz. Głowna.* Wilehnen, *Wieleń.*

Nr. 347.

Premisl dux Polonie 1257 Febr. 22, in Poznan; villas omnes monasterii de Obra amplis munit privilegiis, inter quas Smardzewo et Siedlec iure Theutonico locari concedit; pro villa vero Rokitnica, villas Babimost et Potopisko modo commutationis eidem monasterio confert.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. pag. 13.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Quoniam generacio preterit et generacio advenit, ideo necesse est ut ea que aguntur taliter scriptis notentur, qualiter possint sine ambiguitate ad noticiam futurorum pervenire. Noverint igitur universi presentes et posteri presentem paginam visuri, quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie, habentes devocionem et affectum circa Ordinem Cisterciensem et salubriter cogitantes de salute anime nostre et nostrorum, cupientes eciam pro terrenis celestia promereri, domui religiose eiusdem Ordinis de Obra contulimus in villis et omnibus iam possessis plenam libertatem, homines eas inhabitantes a capite, a strosa, a powoz, a przewod, a podworowe et ab omnibus aliis exactionibus absolventes. Contulimus eciam domui eidem, ut homines in villis ipsius commorantes coram nullo castellano seu officiali nostro vel aliquo nostro procuratore compareant in iudicio, nisi tantummodo coram nobis, et tunc quando fuerint nostro speciali sigillo evocati. Concessimus eciam fratribus supradicte domus, ut duas villas de suis, videlicet Smarsewo et Siedlec, iure Theutonico possint locare cum foro et tabernis ab omni exaccione castellani exemptis. Preterea nobis placuit, ut inter nos et fratres de Obra super villis commutacionem faceremus, recipientes ab ipsis quandam villam que Rokitnica nominatur pro villa que Babimost et Potopisco dicitur, decernentes ipsam ab omnibus exactionibus et solucionibus liberam et absolutam. Ut autem hec nostra donacio seu commutacio firma et stabilis perseveret in perpetuum, sigilli nostri mu-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

nimine presentem paginam fecimus roborari. In huius rei testimonium sigillum Capituli Poznaniensis fecimus apponi. Acta sunt hec anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, in Cathedra beati Petri apostoli coram nobis in Poznán, presentibus Pretpelco palatino, Iohanne cancellario nostro, Bascho custode et aliis quam plurimis.

Obra, *Obra.* Smarsewo, *dziś z niemiecka Schmarse.* Siedlec, Rokitnica, Babimost, *dziś tak samo.* Potopisco, *nie odgadnione.*

Nr. 348.

Gneznensis ecclesie Capitulum 1257 Mart. 24, in Gnezna; commutat villam suam Wyszakow cum villa Absalonis clerici dicta Opatowko, et decimas in villa Wyszakow pro decimis monasterii de Lubin in praedicta villa Opatowko.

Pergam. orygin. Sznurki jedwabne od przywieszenia dwóch pieczęci.
Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 25.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Quoniam iuris auctores indempnitati ecclesiarum et quieti providere intendentes, predia earundem que sine dispendiis pluribus et incommodis regi sive instrui nequiunt nec defendi, pro melioribus ac magis utilibus permutari concesserunt: licuit et licet prelatis ecclesiarum cum eorum Capitulis hec predia, sic tamen ut meliora prospiciant, permutare. Inde est quod nos Gneznensis ecclesie Capitulum, considerantes ex vicinitate villarum Capitulo nostro pertinentium plurima nobis commoda provenire, communi ac diligenti deliberatione habita, villas remotas de quibus parvam vel nullam consequimur utilitatem, pro vicinioribus duximus permutandas. Sed quia hec permutationes sine consensu prelatorum fieri nulli Capitulo sunt concesse, nos domini nostri Fulconis archiepiscopi gratuito consensu petito et obtento, villam Capitulo nostro pertinentem Wisakow nomine in dyocesi Poznaniensi sitam, pro villa Opatow in dyocesi domini nostri existente cum Absalone clerico filio Bernardi de Polvica permutavimus, eandem permutationem tam pro nobis et nostris successoribus ex una parte, quam pro ipso et eius posteris ex altera in perpetuum ratam et firmam promittentes observare. Permutatio tamen hec solummodo pro villa teneatur memorata; sed si denuo aliquam de villis nostris permutare indiguerimus, eiusdem domini nostri Fulconis archiepiscopi consensus ad hoc specialis erit requirendus. Ceterum, quia decima de Wisakow nostro Capitulo pertinuit ab antiquo, decima vero de Opatow abbas et Conventui de Lubin: ut villam Opatow pleno iure pacifice possideremus et quiete, decimas easdem cum Conventu et abbate permutavimus memoratis, domini nostri Fulconis archiepiscopi mero, pleno et benigno consensu accedente. Super hec etiam dictis abbati et Conventui, domini nostri archiepiscopi et nostrum privilegium contulimus speciale. In cuius rei testimonium presentem paginam domini nostri archiepiscopi et Capituli nostri sigillis duximus roborandam. Datum in Gnezna anno gratie M.CC. quinquagesimo septimo, Indiccione quinta decima, nono Kalendas Aprilis.

Wisakow, *Wyszakow.* Opatow, *Opatowko.* Polvica, *Pulwica.* Lubin, *Lubin.*

[illegible]

[redacted]

Nr. 349.

Capitulum ecclesie Gneznens. 1257 Mart. 24, in Gnezdna; protestatur, se decimas suas de villa Wyszakow dedisse monasterio de Lubin pro decimis eius de villa Opatowko.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia dwóch pieczęci.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B. 9. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. (Fac simile.)

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Quoniam sancti patres, plurimas in Ecclesia Dei pro eiusdem comodo et quiete statuentes sanctiones, inter ceteras permutationes eciam decimas ecclesie cum eciam locorum et temporum qualitate qualitate (sic) considerata permutari concesserunt, nos Gneznensis ecclesie Capitulum decimam de villa Visachov nostro Capitulo pertinentem pro decima de Opatov cum Iacobo abbate ac eius Conventu de Lubin permutavimus, pio ad hoc favore ac benigno assensu domini nostri Fulconis archiepiscopi accedente, et hoc tam nostro quam predictorum abbatis et Conventus de Lubin comodo pronotato (sic). In cuius rei testimonium presentem paginam domini nostri F. archiepiscopi et nostri Capituli sigillis duximus roborandam. Datum in Gnezdna anno M.CC. quinquagesimo septimo, Indictione XV, nono Kalendas Aprilis.

Visachov, *Wyszaków*. Opatov, *Opatówko*. Lubin, *Lubin*.

Nr. 350.

Premisl dux Polonie 1257 s. d., in Moder; declarat, se monasterium Paradyż, quod amplissimis munit privilegiis, ob commutationem haereditatis Pamiątkowo defensurum.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia pieczęci księcia Przemysława, która osobno zachowana; (pieczęć XV.)

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B. 10. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 42.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Variari solent rerum noticie processu temporis, nisi scripti autentici et probabilium virorum testimonio perhennentur. Innotescat igitur tam presentibus quam futuris, quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie dilectos in Christo fratres monasterii de Gostichow, quod Paradisus nuncupatur, Ordinis Cysterciensis, intuitu divine remunerationis et pro comutatione hereditatis que vulgariter Pamentkovo nuncupatur propensius defendere ac tueri satagimus, et presentis scripti privilegio comunimus. In primis conferentes et fideliter eis confirmantes omnimodam libertatem in omnibus hereditatibus ipsorum, quas nunc possident aut in futurum sunt posessuri et novis nominibus appellaturi; villas iure Teutonicali locandas plenam habeant facultatem in omni dominio nostro. Nec umquam aliquis temeraria presumptione in bonis eorum, scilicet agris, pratis, aquis, silvis seu nemoribus vel ceteris utilitatibus nocere aut invadere presumat frivole obviando, set

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

sint omnia bona et omnes utilitates ipsorum perhenni quiete feliciter firmate. Denique, ne homines eorum qui in hereditatibus iam dicti monasterii manserunt, urbes aut civitates edificare et reparare cogantur, nisi ob defensionem ducatus nostri ab irruentibus inimicis tota terra comuniter fuerit convocata. Quibus etiam largam concedimus licentiam, ut cum suis mercimoniis omnia fora frequentent, non obstante omnino alicuius contumacia nocendi. Set ne iudicum quisquam eis molestiam aliquam audeat inferre in nullo omnino iudicio et negotio, quin eciam nec eos audeat quis provocare ante quodlibet castrum aut castellanum seu quemlibet iudicem, nisi ante nos, et hoc non sine sigillo nostro. Sint eciam ab omni secularis iuris, videlicet advocacie, budelliorum nostrorum, comunis placiti, expedicionis, urbani operis et a iure quod Herschilt dicitur, vel qualibus serviciis aliorum ville subiacent qui similem libertatem non obtinent, hoc est a prevod, a strosa, a podvorove, a powos, a naraz, a slad, ab occisione capitis, a ponte edificando seu reparando, et ab omni prorsus solutione tam nostra quam successorum nostrorum perpetualiter exempti. Preterea soltetis villarum quas fratres supradicti cenobii iure Teutonicali locaverint, fures et malefactores puniendi et maiora iudicia cum minoribus exercendi potestatem perpetuo conferimus. Fratres igitur iam nominati monasterii, et res et currus et homines ipsorum qui intraverint ad possidendas hereditates eorum, in omni dominio nostro a solutione theloneí exemptos esse perpetuo concedimus. Nec ulli omnino liceat hanc paginam violare. Quicunque igitur temerarie hoc infringere vel his contraire presumpserit, Dei omnipotentis et nostro simul iudicio se cognoscat in novissimo die reum. Ut igitur hec omnia rata et inconvulsa perpetuo permaneant, sigilli nostri appensione presentem paginam roboramus. Acta sunt hec anno gracie M.CC.L.VII in Moder, presente domino Henrico eiusdem cenobii abbate, coram nobis et nobilibus nostris quorum hec sunt nomina: comes Iarostius filius Falonis cum fratre suo Sandivoyo, dominus Iohannes archidiaconus Poznaniensis et cancellarius noster, Mistignewus filius Mathie, Vincentius filius Nemere, Iacobus clericus filius Alberti.

Paradisus, *Paradyż.* Pamentkovo, *osada znikła w okolicy miasta Zaniemyśl.* Moder, *Modrze.*

Nr. 351.

Premisl dux Polonie 1257 s. d., in Moder; declarat, se monasterium Paradyż ob commutationem haereditatis Pamiątkowo defensurum, bona etiam omnia et haereditates ipsius iure Theutonico locari concedit, easque amplissimis privilegiis munit.

Rogalin. Biblioteka. Lib. privil. Paradisi A. Nr. 96.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Variari solent rerum noticie processu temporis, nisi scripti authentici et proborum virorum testimonio perennentur. Innotescat ergo tam presentibus quam futuris, quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie dilectos in Christo fratres monasterii de Goscichovo, quod Paradisus nuncupatur, Ordinis Cysterciensis, intuitu divine remuneracionis et pro commutacione hereditatis que vulgariter Pamentkovo nuncupatur propensius defendere ac tueri satagimus et presentis scripti privilegio communivimus. In primis conferentes et fide-

[illegible]

[redacted]

liter eis confirmantes omnimodam libertatem in omnibus hereditatibus ipsorum quas nunc possident aut in futurum sunt possessuri et novis nominibus appellaturi, ut puta Sacrew, Bolcliz. Villas iure Theutonicali locandi plenam habeant facultatem in omni dominio nostro; nec unquam aliquis temeraria presumpcione in bonis eorum, scilicet agris, pratis, aquis, silvis seu nemoribus et ceteris utilitatibus nocere aut invadere presumat frivole obviando. Hec sunt omnia bona ac ville monasterii Paradisus: Calava, Wisoke, Minor Pisk, Wissonow maior, Minor Wissonowo, Grodisze, Kelpino, Carnino, de Milostowo, Suchcino, Lini, Camonka, Mlodavsko, Grodiz, Cholmen, Ducsko, Lauski, Zaborovo, Zakrevo, Sirotsevo, Chranstovo, Albrechtovo, Kottovo, Polovicia, Cunarske, Gorka cum transductu trans Wartham, Sobewetz, utraque Sworice, et omnes ipsorum perenni utilitates quiete feliciter servare. Denique, ne homines eorum qui in hereditatibus iam dicti monasterii manserint urbes aut civitates edificare et reparare cogantur, nisi ob defensionem ducatus nostri ab irruentibus inimicis tota terra communiter fuerit evocata. Quibus eciam largam concedimus licenciam, ut cum suis mercimoniis omnia fora frequentent, non obstante omnino alicuius contumacia nocendi. Sed nec iudicum quisquam eis molestiam aliquam audeat inferre in nullo omnino iudicio et negocio, quin eciam nec eos audeat quis provocare ante quodlibet castrum aut castellanum seu quemlibet iudicem, nisi ante nos, et hoc non sine sigillo nostro. Sint eciam ab omni secularis iuris, videlicet advocacie, budelliorum nostrorum, communis placiti, expedicionis, urbani operis et a iure quod Herschilt dicitur, vel qualibus serviciis aliorum ville subiacent qui similem libertatem non obtinent, hoc est a prevod, a strosa, a podvorowe, a povos, a naraz, a slad, ab occisione capitis, a ponte edificando seu reparando, et ab omni prorsus solucione tam nostra quam successorum nostrorum perpetualiter exempti. Preterea scultetis villarum quos fratres supradicti cenobii iure Theutonicali locaverint, fures et malefactores puniendi et maiora iudicia cum minoribus exercendi potestatem perpetuo conferimus. Fratres igitur iam nominati monasterii, et res et currus et homines ipsorum qui intraverunt ad possidendas hereditates eorum, in omni dominio nostro a solucione telonei exemptos esse perpetuo concedimus. Nec ulli omnino liceat hanc paginam violare; quicunque autem temerarie hoc infringere vel contraire presumpserit, Dei omnipotentis et nostro simul iudicio se cognoscat in novissimo die reum. Ut igitur hec omnia rata et inconvulsa perpetuo permaneant, sigilli nostri appensione presentem paginam roboravimus. Acta sunt hec anno gracie millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo in Moder, presente domino Henrico eiusdem cenobii abbate, coram nobis et nobilibus nostris quorum sunt hec nomina: comes Iarostius filius Falonis cum fratre suo Sandzivogio, dominus Iohannes archidiaconus Poznaniensis et cancellarius noster, Msigneus filius Mathie, Vincencius filius Nemere, Iacobus clericus filius Alberti.

Paradisus, *Paradyż*. Pamentkowo, *niegdyś osada nad jeziorem Zaniemyślskiem, dziś znikła*. Sacrew, *Zakrzew*. Boleliz, *Bolewice*. Calava, *Kaława*. Wisoke, *Wysokie*. Minor Pisk, *Pieski*. Wissonow maior, et W. minor, *Wyszanowo*. Grodisze, *Grodzisk*. Kelpino, *Kiełpin*. Carnino, *dziś z niemiecka Kernein*. Milostowo, *Miłostowo*. Suchcino, *Słocin*. Lini, *Linie*. Camonka *czyli Zawłostowo, osada znikła pod wsią Kamionna*. Mlodavsko, *dziś tak samo*. Grodiz, *dziś z niem. Grüditz*. Cholmen i Ducsko, *miejsca nie osadzone, których nazwy dziś znikły*. Lauski, *nie odgadnione*. Zaborovo, Zakrevo, *dziś t. s.* Sirotsevo, *Sroczewo*. Chranstovo, *Chrząstowo*. Albrechtovo, *niegdyś osada w pobliżu*

[illegible]

[redacted]

m. Książ, dziś znikła. Kottovo, *niegdyś osada nad rz. Warta w pobliżu m. Zaniemyśl, dziś objęta w Olendry Dąbrowskie.* Polovicia, *Pulwice.* Cunarske, *Konarskie.* Gorka, *dziś Góra.* Sobcwetz, *dziś może Szewce lub Sapowice.* Sworice, *Sworzyce.* Moder, *Modrze.*

Nr. 352.

Premizl dux Polonie 1257 s. d., in Poznan; confirmat monasterio Fr. Praedicatorum in Poznań possessionem molendini super flumen Rudnik siti, quod frater suus Boleslaus dux monasterio praedicto donaverat.

Poznań. Königl. Staats Archiv. Liber privileg. ecclesiae Fr. Praedicator. Poznaniens. Molendina, pag. 1.

In nomine Domini nostri amen. Acta principum et iusticie tramitem et pietatis in se debent intuitum continere, ut per iustitiam equitas conservetur ad omnes, per pietatem vero celeste premium acquiratur. Hinc est quod nos Premizl Dei gracia dux Polonie, postquam veraciter percepimus quod frater noster illustris dux Boleslaus molendinum quod situm est super flumen qui Rudnik dicitur prope Poznan, fratre nostro Boleslao terram que est ex illa parte Warte sita tunc tenente, intelligentes etiam, quod iidem fratres Ordinis Predicatorum molendinum illud dedissent cuidam civi de Poznan nomine Conrado, tam ab ipso quam ab eius posteritate iure hereditario atque perpetuo possidendum, et hoc de consensu simul et auctoritate fratris nostri: cum eadem pars terre, divisione inter nos de iure facta, ad nostrum dominium devenisset, donationem ipsam tunc factam per fratrem nostrum fratribus sepedictis et per fratres civi iam dicto noluimus violare, quin potius ratam habentes, idem molendinum fratribus eisdem dedimus iterato; volentes et hoc per paginam nostram scripti presentis omnibus tam presentibus quam futuris declarare, quod iidem fratres, auctoritate donationis nostre, ius et potestatem habeant dandi cuicunque voluerint dictum molendinum iure hereditario simul et perpetuo possidendum. Ita quod ille cui porrexerint et dederint ipsum, sit liber ab omni solutione que ad nos spectat vel possit inde spectare. Nec nobis molere teneatur aliquid nisi de bona voluntate, sed solis fratribus sepedictis molere sit obligatus, taliter sicut in nostri fratris Boleslai privilegio quod super hoc contulit continetur. Volumus etiam, ut ille qui possederit a fratribus molendinum, non vendat alicui neque det, nisi de consilio fratrum eorundem pariter et consensu. Acta sunt hec anno Domini M.CC.LVII in Poznan per Henricum quondam procuratorem nostrum civem de Gnezna, sub fratre Petro tunc priore domus Poznaniensis, Iacobo subpriore, Vitali lectore, Rainoldo, fratre Sedlico, fratre Henrico, fratre Luca et aliis fratribus de Conventu, presentibus etiam viris bonis pluribus et honestis. Ne autem quis in posterum vitiare possit aut violare valeat eandem donationem prius factam a fratre nostro, nunc autem a nobis iterato datam ob amorem Dei et beati Dominici, ob favorem etiam Ordinis quem diligimus, ipsam sigilli nostri robore voluimus communire.

Flum. Rudnik, *pewnie strum. wpadający do rz. Warta pod w. Luboń, biorący nazwisko od osady Rudnica.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 353.

Premisl dux Polonie 1257 s. d.; in Poznan; villam monasterii de Lubin dictam Krzywin compluribus libertatibus munit, et facultatem locandi ibidem Theutonicos monasterio praedicto concedit.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B. 8. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 41.

In nomine Domini Dei eterni amen. Quia soli divinitati convenit in nullo deficere et omnium memoriam habere, idcirco conditionis humana fragilitas sibi remedium quesivit, in quo vigor fabrice naturalis opificis voluntate deficit. Ne igitur quod agitur in tempore cum evolutione temporis a memoria evanescat, apicum karacteribus assolet eternari. Quam ob rem presentibus et futuris presentem paginam inspecturis innotescat, quod nos Premisl divina miseratione dux Polonie, salubriter cogitantes de salute anime nostre et sperantes de misericordia Dei nos in celis metere quod seminaremus in terris, pro reverentia beate Marie semper virginis et preclaris meritis domini Iacobi abbatis de Lubin et omnium fratrum ibidem Deo servientium confirmamus libertatem in villa que Crywin vulgariter nuncupatur, ut videlicet nullus in ea, nomine nostro vel eciam alicuius nomine nostri castellani seu nomine alterius cuiusquam potestatis, iudiciariam sibi usurpet auctoritatem, aut sub aliquo pretextu thelonei, homicidium sive aliquam aliam sibi vendicet solutionem aut exactionem; sed in horum et aliorum omnium iurium perceptione, de Lubin plene gaudeat cenobium possessione libertatis. Concessimus autem ob specialem reverentiam predicto claustro ac domino Iacobo eiusdem abbati et in ipso suis successoribus, ut in villa prefata advocet et locet Theutonicos, sicut eos advocaverit et locaverit de concessione nostra, ius et fructum in eis percepturus. Concessimus eciam, ut incole predicte civitatis a theloneo et moneta in terra nostra, excepta civitate Poznan, sex annis liberi sint et inmunes. Ut autem confirmationis vel donationis nostre vigor tam presentibus quam futuris innotescat, presentem paginam sigilli nostri inpressione dignum duximus roborandam. Datum in Poznan anno gracie M.CC. quinquagesimo septimo.

Lubin, *Lubin.* Crywin, *Krzywin.*

Nr. 354.

Boleslaus dux Polonie 1257 Apr. 24, in Gnezna; confirmat donationem haereditatis Biskow, ecclesiae Gneznensi ab Ianussio eiusdem ecclesiae praeposito factam.

Pergam. orygin., u którego na sznurku jedwabn. czerwon. przywieszona pieczęć Bolesława księcia; (pieczęć XVI).

Gniezno, Archiv. Capituli Metropol. Nr. 26.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Quoniam sancta mater Ecclesia pro diversitate culparum diversas statuens ulciones, inter ceteros malefactores homi-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

cidas, presertim clericorum interfectores, qui salutis sue immemores pro tanto commisso veniam petere ac Ecclesie reconciliari contempnunt, acrius decrevit puniendos, ut quos timor Dei a malo non revocat, iudicialis censura conherceat a peccato: nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie, qui ad reddendam unicuique iusticiam divina preordinante clemencia sumus constituti, considerantes quod frater noster dux Premisl, dum Gneznensis et Kalisiensis ac interiacencium castrorum dominus existeret, filiis Golegonis hereditatem Biskow nomine, inter Smecise et filios Albrachti et Absalonem filium Bernardi sitam, quia eiusdem Absalonis fratrem nomine Albertum presbiterum, Poznaniensem videlicet canonicum interfecerunt, et citra spacium sex annorum ad sinum matris Ecclesie redire ac eius graciam petere non curarunt, per sentenciam abiudicavit, ullum accessum vel questionem sive querelam eis et eorum posteris ad eam recuperandam in perpetuum relinquens, ne nil humilibus obediencia prodesset si contemptus contumacibus non obesset: quia predicta hereditas ad ius et proprietatem nostram per sentenciam est devoluta, nos eam Ianusio Gneznensi preposito vendidimus pro sexaginta marcis argenti hereditario iure in perpetuum possidendam, dantes ei plenam et liberam potestatem ipsam cuicunque voluerit vendendi, donandi, sive inter vivos seu ex testamento, sive quocunque alio modo voluerit distrahendi. Et quia idem I. prepositus, omnibus consanguineis suis, quibus eam de nostro consensu donare poterat, pretermissis, beato Adalberto et ecclesie ipsius eam contulit ville de Smesise ipsam iungendo, nos pia ipsius intencione considerata, donationem eius eandem benigno assensu confirmamus, et ob reverenciam beati Adalberti, ob remedium eciam salutis nostre ac nostrorum, dicte ville incolis cuiuscunque condicionis sint vel fuerint eandem contulimus et conferimus libertatem, quam habuerunt et habent ascripticii de Smecise et alie antique ville Capituli Gneznensis. Quasdam tamen solutiones seu exactiones per nos relaxatas, que nobis racione dominii pertinuerunt ab antiquo, propriis nominibus duximus specificandas, strosa videlicet, podvorore (sic), naraz, a quibus et ab omnibus aliis exactionibus quocumque vocabulo censeantur, sepedicte ville Biskow incole sint inmunes. Ne autem tam sollempne factum vendicionis, nostre donationis et confirmationis a quoquam in posterum possit immutari, presentem paginam nostri munimine sigilli duximus roborandam. Actum in Gnezna in crastino beati Adalberti, anno gracie M.CC. quinquagesimo septimo, Indictione quintadecima, presentibus nostris baronibus quam plurimis, inter quos nomina quorundam principalium fecimus subnotari, horum videlicet: Hercomboldus palatinus, frater eius Iohannes castellanus Kalisiensis, Symon castellanus Gneznensis, Iarostius iudex curie, Osimborius subiudex, Mecislaus pincerna Kalisiensis.

Biskow, *osada znikła*. Smecise, *Śmieciska*. Villa Absalonis filii Bernardi, *Pułwica, cfr. Nr. 348.*

[illegible]

[redacted]

Nr. 355.

Bolezlaus dux Polonie Maioris 1257 Apr. 25, in Gnezna; vendit cum consensu fratris sui ducis Premislii villam Jeziercze Capitulo Gneznensi.

Pergam. orygin., u którego z przywieszonych pieczęci dwa sznurki jedwabne, pierwszy czerwony, drugi żółty, pozostały.

Gniezno, Archiv. Capituli Metropol. Nr. 27.

In nomine Domini amen. Quoniam longi tractus temporum pariunt antiquitatem, antiquitas oblivionem, oblivio vero rerum actarum exinanitionem, eapropter necesse est ut res digna memorie scripto debeat commendari, quo canescens antiquitas valeat renovari. Noverint universi presens scriptum inspecturi, quod nos Bolezlaus Dei gratia dux Polonie Maioris, de consensu et voluntate fratris nostri domini ducis Premislii vendidimus villam que Geserce nuncupatur, in districtu castellanie de Ostrow sitam, Capitulo Gnezensi pro triginta marcis puri argenti, quas receperamus a filiis Wirbete pro villa eiusdem Capituli, Clonowa nomine, in districtu de Spitimir existente, iure hereditario possidendam cum omnimoda libertate qua gaudent antique ville Capituli memorati, videlicet strosa, naras, powos, prewod, poddimpne sive podworove, et quod etiam ad presentiam castri non citentur, et si citati fuerint, non pareant inpune; removentes eciam ab incolis eiusdem ville quandam servitutem specialem qua pre ceteris gravabantur, videlicet si aliquando nos vel fratrem nostrum, seu utriusque nostrum venatores venacionem cervorum ibidem exercere contingat, eiusdem ville incole nec homines, nec equos, nec canes pascere, vel saltum cervorum super lacum observare teneantur. Ut autem supradicta emptio robur perpetue firmitatis obtineat, presentem paginam nostro et fratris nostri ducis Premislii sigillis dignum duximus roborandam. Actum in Gnezna anno gratie M.CC. quinquagesimo septimo, Indictione quintadecima, in die beati Marci ewangeliste, presentibus nostris baronibus: Iohanne, Arkemboldo, Symone, Ubizlawo, Metslawo, Andrea.

Geserce, *Jeziercze.* Ostrow, *niegdyś zamek na wyspie jeziora Lednica, dziś w rujnie.* Clonowa, *Klonowo.* Spitimir, *Spicimirz.*

Nr. 356.

Jacobus abbas de Lubin 1257 Mai. 1, in Lubin; vendit una cum suo Conventu villam Krerowo comiti Cristano et filiis eius.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 33.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negotia litterarum memorie commendamus. Noverint ergo universi tam presentes quam futuri presentem paginam inspecturi, quod nos Iacobus Dei gratia abbas domus sancte Marie de Lubin una cum consensu totius Conventus nostre domus considerantes profectum domus nostre, maxime quia sibi neccesitatis articulus imminebat, villam ecclesie nostre que Crirowo vulgariter nuncupatur comiti Cristano

et filiis eius, domino Iacobo canonico Poznaniensi et Alberto, vendidimus cum omni quid nostri iuris est in ea ipsis et posteris suis, hereditario iure in perpetuum possidendam; decimam nichilominus super homines ibidem inhabitantes pro nobis reservamus, exceptis tamen ipsis heredibus, qui de suis propriis aratris libere solvant, ut ceteri milites, ubi volunt. Ut autem hec nostra venditio tam solempniter celebrata, firma et inviolabilis in perpetuum perseveret, presentem litteram conscribi fecimus et nostri sigilli munimine roborari. Summa autem est data decem et octo marcarum. Actum in Lubin anno gratie Domini M.CC.L.VII. in die beatorum Philippi et Iacobi apostolorum, presentibus fratribus domus nostre: Priamo priore, fratre Heczlino, Boguhvalo, Blasio, Petro Largo, Paulo, Stephano, Pribislavo, Michaele, Mathia, Cestovogio, Iacobo, Sulcone, Iacobo, et eodem die confirmatum coram venerabili patre nostro domino Boguslao (sic) episcopo Poznaniensi in Dolsk, cuius sigillum ad eiusdem rei evidentiam est appensum presentibus capellanis curie sue, domino Horatio canonico Poznaniensi, Andrea, Iohanne, Radwardo, Bartholomeo militibus, comite Petrcone congnato domini episcopi, Stephano et aliis quam pluribus viris probis et honestis.

Lubin, *Lubin.* Crirowo, *Krerowo.* Dolsk, *Dolsk.*

Nr. 357.

Bolezlavus dux Polonie 1257 Jun. 6, (?) in Poznan; confirmat donationem villae Buk, quam frater suus b. m. Premisl, Poloniae dux, ecclesiae Poznaniensi sub certis conditionibus fecerat.

Pergam. orygin. Sznurki jedwabne fioletowe, pieczęci nie masz.

Poznań. Arch. Capituli I, 4. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 43.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Quoniam conditio humana non moratur in mundo in perpetuum, sed generatio post generationem semper transit in mortem, idcirco acta priorum, maxime bona et utilia, facillime labuntur a memoria nisi in scriptis redigantur, per que possint venire ad noticiam futurorum. Inde est quod nos Bolezlavus Dei gratia dux Polonie notum facimus tam presentibus quam futuris, quod nobilis vir frater noster bone memorie illustris princeps Premisl Dei gratia dux Polonie in ultima voluntate constitutus, sana mente sanoque consilio salubrius cogitans de salute anime sue, qualiter perciperet pro temporalibus spiritualia dona eterna, que semper crescunt de bono in melius et nunquam vilescunt, pro suorum etiam peccaminum remedio et parentum nostrorum atque vite eterne premia consequendo, villam suam que Buk vocatur integraliter cum civitate et capella et cum omnibus hominibus ibidem habitantibus sibi obnoxiis, et cum omnibus terminis, attinentiis, utilitatibus, cum moneta, theloneo, et cum tabernis, et cum pleno iure et dominio quod noster frater prefatus dux habuit in eadem civitate, ecclesie beati Petri in Poznan ad custodiam contulit iure perpetuo possidendam; hoc tamen duci memorato disponere placuit, quod homines in eadem villa sibi debiti, perpetuo cum sua posteritate et cum sortibus eorum que ad eosdem pertinent, transirent eidem ecclesie beati Petri in officium sanctuariorum. Statuit etiam, ut custos predicte ec-

clesie, quicunque fuerit, sicut verus possesor et dominus per ipsum constitutus, de omnibus utilitatibus superius notatis et de aliis que ibi percipiuntur vel in posterum poterunt percipi in eadem civitate et villa, ad sepulchrum illius luminaria procuret, ut quolibet die et nocte ardeant in perpetuum. Disposuit etiam hoc idem dux, ut in prefata ecclesia pro anima ipsius et pro ceteris, de eisdem bonis per eiusdem ecclesie custodes misse defunctorum procurentur qualibet die, si fieri potest, vel ad minus qualibet secunda feria, vel alio die qui commode poterit in septimana observari; dans eidem civitati et hominibus destinatis in officium sanctuariorum plenam et omnimodam a prewod, stroza, a powoz, a naraz et ab omnibus aliis exactionibus, solutionibus, petitionibus, et a qualibet citatione libertatem, decernens eam esse ita privilegiatam et liberam, ut sunt omnes alie ville antique ecclesie Poznaniensis. Nos autem considerantes tam piam et devotam et necessariam fratris nostri donationem, credentes de bonis Deo dicatis una cum ipso in regno celorum participari, eandem donationem que misericorditer est facta devote confirmamus, promittentes Deo et ecclesie beati Petri a nobis et a nostris posteris firmiter et inviolabiliter in perpetuum in omnibus observari. Ut autem et nobilis viri fratris nostri donatio, que per ipsum rite et legittime est facta, per nos in perpetuum firmiter et inviolabiliter confirmetur, presentem paginam in testimonium huius facti sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum in Poznan anno Domini M.CC.L.VII. XVIII. (sic) Idus Iunii, presentibus: comite Iarostio iudice magno curie nostre, domino Iohanne cancellario nostro, Blisborio milite filio quondam Petri de Dlebowize, Martino filio quondam Albrachti milite, Nicolao milite filio quondam Gregorii, domino Myrostio plebano de Costrin, Mathia notario nostro, qui de nostra voluntate et mandato ad idem privilegium apposuit nostrum sigillum, et multis aliis probis et honestis hominibus qui tunc in nostra curia presentes fuerunt.

Buk, *Buk.* Dlebowize, *Łubowice.* Costrin, *Kostrzyn.*

Nr. 358.

Alexander Pp. IV 1257 Jun. 8, Viterbii; archiepiscopo, praeposito et archidiacono Gneznensibus mandat, ut duces Cuiaviae, Kalisiae et Mazoviae moneant, ne clericos privilegiorum ostendendorum causa in curias suas et ad colloquia per loca periculosa et nemora citent.

Piekosiński. Kodeks katedry Krakowskiéj I, 56. (Z pergaminu orygin. opatrzonego bullą: Alexander Pp. IIII).

Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri .. archiepiscopo et dilectis filiis .. preposito et .. archidiacono Gneznensibus salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte universorum prelatorum ecclesiarum provincie Polonie gravis nobis est oblata querela, quod cum, nobilibus viris Cuiavie, de Calix ac Masovie et nonnullis aliis ducibus ac baronibus dicte provincie, tamquam qui libertati ecclesiastice invident, multa contra privilegiorum concessorum ipsis in eorum ecclesiis ab eis et ipsorum progenitoribus presumentibus, iidem allegent privilegia memorata: predicti duces et barones, ut vel ipsa eis liberius auferant vel ipsos defraudent commodis eorundem, faciunt ea sibi afferri per silvas et nemora ad curias et colloquia

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

sua necnon ad loca non tuta et periculosa, certos eis ad hoc, velut si eorum sint iudices, terminos prefigentes; ad quos si eadem non detulerint, mandant destrui bona et homines ecclesiarum ipsarum easque contra libertatem concessam indebite molestari, alias libertates et immunitates earum nequiter infringendo in derogationem ecclesiastice libertatis. Nolentes igitur hec sub dissimulatione transire ne transeant aliis in exemplum, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, inhibeatis prelatis ipsis et quibuscumque aliis clericis eiusdem provintie, ne privilegia eadem ad loca huiusmodi deferre presumant: duces et barones eosdem, ut ab eorundem prelatorum et ecclesiarum super premissis molestatione penitus conquiescant, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota previa ratione cogentes, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; proviso, ne in terras dictorum nobilium excommunicationis vel interdicti sententiam proferatis, nisi super hoc a nobis mandatum receperitis speciale. Non obstantibus aliqua Sedis apostolice indulgentia cuicumque concessa, per quam huiusmodi mandati executio impediri valeat vel differri et de qua in presentibus mentio fieri debeat specialis, et constitutione de duabus dietis, edita in Concilio generali. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu frater archiepiscope cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Viterbii VI Idus Iunii, pontificatus nostri anno tertio.

Nr. 359.

Boleslaus dux Polonie Maioris 1257 Jun. 15, in Poznania; protestatur, comitem Cristanum villam Krerowo a monasterio de Lubin emisse.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 31. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 40.

In nomine Domini amen. Cum ad instar fluentis celeriter irrediter tempora defluant, temporales illi deserviunt acciones; minus enim capiunt memorie minusque fidei, nisi scripti memoria fulciantur: solet enim frequenter accidere, quod humanis actibus attemptat calumpnia novercari. Quapropter nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie Maioris notum esse volumus presentibus et futuris quorum presencie presens pagina defertur, quod comes Cristanus una cum filiis suis, videlicet domino Iacobo canonico ecclesie Poznaniensis et Alberto fratre eius, villam ab abbate de consensu et voluntate tocius conventus domus sancte Marie de Lubin emit que Krirowo vulgariter nuncupatur, iure hereditario possidendam. Nos igitur animadvertentes exhibicionem fidelis servicii eorum, empcionem ville nominate ratam et incommutabilem esse animo diligenti confirmamus, ipsam ab omnibus exactionibus absolventes, videlicet a stroza, a naras, a podvorove, a povoz. Coram castro incole prefate ville si citati fuerint, non respondeant; sed qualiscunque causa fuerit necessario terminanda, nostre presencie deferatur. Ut autem hec nostra donacio simulque confirmacio debitum robur perpetue firmitatis obtineat, et ne in preiudicium Dei C. comitis filiorumque eius quisquam inexpertus postmodum excipiendi occasionem ausu temerario non attemptet, presens scriptum sigilli nostri robore communimus. Datum in Poznania anno Domini M.CC. quinquagesimo septimo in die beati Viti, feria sexta, Indiccione prima. Omnibus autem hanc donacionem et confirmacionem servantibus, sit

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

pax in Domino, et in presenti vita bonorum retribucionem accipiant, et in futuro premia beatorum consequantur.

Lubin, *Lubin*. Krirowo, *Krerowo*.

Nr. 360.

Bolezlaus dux Polonie Maioris 1257 Aug. 25, in Gnezna; confirmat commutationem villae Absalonis clerici dictae Opatowko, cum villa Capituli Gneznensis, dicta Wyszakow.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny wyblakły, pieczęci nie masz.
Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 28.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Licet acta hominum evidenter noticie subiaceant singulorum, processu tamen temporis, testium deficiente memoria, felicibus hominum successibus consuevit calumpnia novercari; idcirco necesse est actiones legitimas que memoria indigent, per scripti continentiam et testium subscriptionem in noticiam transmitti posterorum. Eapropter nos Bolezlaus Dei gracia dux Polonie Maioris universis presentibus et futuris notum esse volumus, quod Absalon clericus filius Bernardi in nostra constitutus presencia, mera et spontanea voluntate fecit permutationem cum Capitulo Gneznensi, dans ei villam Opatow in districtu Gneznensi sitam et recipiens ab eis villam Visakowo in castellania de Getc existentem. Et nos eandem permutationem pro ecclesia Gneznensi non esse dampnosam intelligentes, ad peticionem utriusque partis ipsam confirmavimus et confirmamus, pro utraque parte perpetualiter firmam et ratam-esse decernentes. Set villa Wisakowo una de antiquis villis Capituli Gneznensis extitit, et omnes antique ville Capituli eiusdem ex nostrorum donatione progenitorum, de nostro eciam consensu omnimoda gaudent libertate: ne Capitulum memoratum in sua permutatione privilegio libertatis sibi concesso videatur sponte renunctiare, nos, prout ex debito iuris patronatus ecclesie Gneznensi commodum tenemur et profectum ampliare, ob reverentiam beati Adalberti et nostre ac nostrorum salutis remedium villam Opatowo supradictam inter villas antiquas Capituli Gneznensis connumerantes, sibi et eius incolis cuiuscunque conditionis exstiterint, eandem qua ville antique Capituli supradicti gaudent, cum consensu baronum nostrorum, specialiter comitis Symonis Gneznensis castellani, conferimus libertatem, specificantes, quod eiusdem ville incole a solutione strose, podworowe, poddimpne, prewod, et ab aliis gravaminibus sive exactionibus quocunque nomine censeantur sint immunes. In cuius rei testimonium presentem paginam nostri munimine sigilli duximus roborandam. Datum in Gnezna anno gracie M.CC. quinquagesimo VII, Indictione quintadecima, in crastino beati Bartholomei apostoli, presentibus comite Dyrsicragio palatino, Iohanne cancellario curie nostre, Andrea castellano de Welen, Pretslavo castellano de Usce, Beniamin castellano de Premant, Andrea subcamerario, Mirostio, Petro, Mathia capellanis curie nostre, et aliis quam plurimis.

Opatow, *Opatowko*. Visakowo, *Wyszakow*. Getc, *Giecz*. Welen, *Wieleń*. Usce, *Ujście*. Premant, *Przemęt*.

[illegible]

[redacted]

Nr. 361.

Fulco archiepiscop. Gneznens. 1257 Oct. 14, in Synodo Lanciciensi; edit quaedam statuta, per Ecclesiam Poloniae observanda.

Transsumpt potwierdzony przez: Iaroslaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscop. 1357 Ian. 10, in Kalis.

Helcel, Starodawne prawa Polsk. pomniki I. p. 357.

Sequitur constitucio de captivitate clericorum.

Crescente cottidie malicia perversorum et in deteriora seculo declinante, cogimur ex preteritis casibus futuris periculis obviare. Sanccione igitur constituimus synodali, ut si unquam aliquis princeps archiepiscopum vel episcopum ceperit, extunc statim in tota provincia cessent divina officia ipso facto, nec exhibeantur in ipsa aliqua ecclesiastica Sacramenta preter baptismata parvulorum et penitencias moriencium, ecclesiastica sepultura specialiter interdicta. Quod si vero, quod absit, occiderit, bona ipsius mobilia et immobilia ecclesie iure perpetuo applicentur. Quod si per alium captus fuerit, sua dyocesis, capti videlicet, in qua detentus fuerit, ac eciam si idem malefactor extra dictas dyoceses terras vel dominium habuerit, ipso facto ecclesiastico subiaceat interdicto. Quod si minor prelatus aut canonicus kathedralis vel conventualis ecclesie captus fuerit, terra illius malefactoris et dominium similiter ecclesiastico interdicto subiaceant ipso facto, et nichilominus locus in quo captus et in quo tenetur. Terre vero et dominia proscribencium, similiter sint ipso facto ecclesiastico supposita interdicto. Si vero alias clericorum quicunque captus fuerit vel occisus, locus in quo captus fuerit vel occisus, et in quo tenetur, ecclesiastico subiaceat interdicto. Et interdictum presenti constitucione prolatum, ab omnibus firmiter observetur, nec a quoquam nisi ab ipsa Synodo vel a metropolitano, suffraganeis requisitis pro maiori prelato, pro minori vero vel clerico a dyocesano, congrua satisfaccione premissa iuxta formam constitucionis domini Firmani, valeant relaxari. Et ne malefactores huiusmodi propter simulata pericula fraudulenter procurent et obtineant se absolvi, statuimus, ut non nisi in evidenti articulo mortis, satisfaccione premissa congrua, absolucionis beneficium valeant obtinere, vel saltim caucione prestita ydonea de satisfaciendo infra mensem; alias in eandem sentenciam incidant ipso facto. Quod si secus factum fuerit in premissis, ipso facto fore decernimus irritum et inane.

Statuimus eciam, ut tales malefactores omnibus innotescant et eo amplius confundantur, quod tempore talis interdicti populus sono percusse tabule omnibus diebus dominicis et festivis ad ecclesiam convocetur, ibi festa et ieiunia populo indicentur, et exhortacione facta et causa interdicti exposita, malefactores huiusmodi ter pulsatis campanis et candelis extinctis excommunicati publice nuncientur; et ut populus ad conveniendum illic amplius invitetur, convenientibus illuc et excommunicatos vitantibus, quadraginta dies indulgencie concedantur.

Item statuimus, ut omnes ecclesiarum rectores teneantur habere sigilla sub nomine ecclesiarum suarum, ut litteras que ad eos dirigentur restituant sigillatas.

Item statuimus, ut omnes ecclesiarum rectores, quibus monasteria sunt vicina, teneantur religiosis denunciare excommunicatos sue parochie; et si apud eos sepulti fuerint excommunicati, teneantur eis denunciare eosdem. Qui si denunciacionem pre-

[illegible]

[illegible]

[redacted]

ordinationi tunc interfuerunt in testimonium veritatis. Et quoniam more plurium attestatio firmior esse solet, maxime dum principum adest testimonium, ob maiorem huius rei certitudinem curavi presens scriptum sigillo serenissimi principis domini Bolezlai ducis Polonie, filii Wlodizlai filii Odonis, in robur firmissimum et in testimonium facti perpetuum communire. Testes autem qui huic ducali confirmationi interfuerunt isti sunt: Tevley castellanus de Ghedez, Pretslaus castellanus de Uste, Bozeta, Ianus tribunus Gniznensis, Desiderius venator Gniznensis, Pancracius, Ratibor, Petrus, Misca filius Viti, Thomizlaus canonicus Poznaniensis, Thomizlav filius Bogumili, Nicolaus filius Bogufali, Wovcech Oltarik. Interserui eciam presenti pagine delimitationem villarum quas dominus abbas et claustrum ipsius detinent, Hrustovo scilicet et Olbrachtov ex una parte, et Zaborowo et Sirozovo que in concambium comiti Geroscio obvenerunt intervenientibus bonis hominibus et honestis, que taliter fuerunt limitate. Ab eo enim loco qui vocatur Zsep, salvis pratis circumiacentibus ex utraque parte vie, que ad dominum abbatem debent pertinere, termini per viam de Grustov et Zaborov procedunt; totum quidquid est ad sinistram, est domini abbatis et claustri ipsius usque quasi ad mediam borram seu mericam que est inter Sep et rivulum qui Negutka nominatur. Ad sinistram vie, descendendo iuxta quandam paludem que ibidem intervenit usque ad eandem Negutkam, totum a sinistris est domini abbatis, a dexteris autem comitis Gerostii. Eadem autem Negutka facit terminos inter ipsos usque ad lacum qui dicitur Antiqua aqua, ita quod idem lacus usque in ipsam aquam Wartam est comitis Gerostii. Tota autem terra iacens circa ipsum ex parte hereditatis Olbrachtov, cum eadem hereditate est domini abbatis et Conventus ipsius.

Paradysus, *Paradyż.* Campa, *Kępa.* Pamentcovo, *osada dziś znikła w okolicy m. Zaniemyśl.* Kotovo, *osada niegdyś w okolicy m. Zaniemyśl nad rz. Warta, dziś objęta w Olendry Dąbrowskie.* Srocevo, *Sroczewo.* Zaborovo, *Zaborowo.* Zacrevo, *Zakrzewo.* Ghedez, *Giecz.* Uste, *Ujście.* Hrustovo, *Chrząstowo.* Olbrachtov, *niegdyś osada okolicy miasta Książ, dziś znikła.* Sirozovo, *Sroczewo.* Grustov, *Chrząstowo.* Negutka rivulus, *nazwisko znanego obok powyższych wsi strumienia, dziś zapomniane.*

Nr. 363.

Boleslaus dux Polonie Maioris 1257 Novemb. 29, in Poznan; confirmat privilegia, a patre suo b. m. duce Wladislao et fratre suo duce Premislio monasterio de Obra concessa, simul et monasterium praedictum in protectionem suam recipit.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. pag. 14.

In nomine Domini amen. Omne quod geritur in levi tempore, simul fugit cum fuga temporis, et a levi trahunt non levia levitatem, si non erunt scripti memoria perennata: ponit enim scriptura in statu stabili, quod sine littera non erit stabile, nec facit negocia perdere oblivio, que vivax littera perducit ad vitam. Agnoscant igitur et certum habeant universi filii sancte matris Ecclesie quorum presencie presens pagina defertur, quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie Maioris, in animo revolventes pia facta patris nostri felicis memorie ducis Wladislai nec non fratris

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

nostri Premyslii que domui sancte Dei Genitricis de Obra, Cisterciensis Ordinis, fecerunt, omnem libertatem quam ab eis domus supradicta obtinuit velut in privilegiis eorum continetur, fidelitate eorum perspecta dignum duximus confirmare, et quia dignum est ut peticiones bonorum in aure principis locum obtineant exaudicionis, ipsos in proteccionem nostram recepimus specialem. In cuius rei testimonium, ne aliquis tam celebri donacioni simulque nostre confirmacioni ausu temerario valeat contraire, presentem litteram sigilli nostri munimine confirmamus. Datum in Poznan in vigilia sancti Andree, anno gracie Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo. Testes autem sunt isti: Iohannes cancellarius, Iarostius iudex, advocatus de Pyzdr, Mathias notarius curie.

Obra, *Obra.* Pyzdr, *Pyzdry.*

Nr. 364.

Boleslaus dux Polonie Maioris 1257 Nov. 30, in Poznania; confert villis comitis Iankonis filii quondam Alberti, primitus et denuo collatis, plurimas libertates.

Transsumpt potwierdzony przez: Wladislaus rex Polonie 1407 Jun. 25, in Conin.

Poznań. Königl. Staats Arch. Inscription. Castrens. Posnaniens. a. 1592 II, fol. 706 v.

In nomine Domini amen. Quantum maior et altior est persona, tanto debet curare caucius, ut ea que gerit negocia robur accipiant in nobili firmamento; solet enim frequenter accidere, quod humanis actibus attemptat calumpnia novercari. Inde est quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie Maioris notum esse volumus presentibus et futuris, quod perspectis fidelibus obsequiis nobilis viri comitis Janconis filii quondam Alberti, omnibus villis ipsius que Tarnovo, Langovo, Zrazim, Czessewo, Broskowo, quas cum hominibus et castoribus sibi contulimus tunc cum filium suum Sandivogium baptizavimus, Zirchovo, Zolcovo cum omnibus attinenciis suis, Czelcza et Mireci et Iaroczino civitatem nuncupantur, contulimus omnimodam et perpetuam libertatem. Dantes et statuentes supradicto comiti Ianconi et sue legittime posteritati in eadem civitate dicta Iaroczino theloneum, quod omnes homines transeuntes, euntes, equitantes per predictam civitatem, tenentur theloneum dare a quolibet equo et bove per grossum; et ecclesie sancti Martini ibidem plebano, a quatuor curribus grossum de nostra principali moneta assignamus. Addimus prefato militi has villas ob eius nobile servicium: Chowanowo, Mirczino, Klonovicze, Zidovo, ut eadem libertate gaudeant, qua ville superius nominate. Preterea volumus, quod omnes homines dictas villas inhabitantes sint perpetuo liberi ab omni exaccione, videlicet a podvorove, a stroza, a powosz, a conductu, a narzasz, et quod eciam nullo castellano aut iudici citati respondebunt, nisi coram nobis vel comite ipsorum. Homicidium vero si inter ipsos fuerit perpetratum, pena ad ipsum comitem pertinebit. Preterea omnia iura que coram quolibet castellano fiunt, ipse inter suos pertractet, videlicet aque frigide, ius ferri candentis et duelli. Ut autem hec nostra donacio futuris et presentibus temporibus firmiter observetur, presentem paginam sigilli nostri munimine confirmamus. Datum in Poznania anno gracie Domini millesimo ducentesimo quin-

quagesimo septimo in die sancti Andree, presentibus comitibus istis: Pretpelco palatino, Beniamin castellano, Vincencio subcamerario, Thomislao, Mathia notario curie.

Tarnovo, *Tarnowo.* Langovo, *Łęgowo.* Zrazim, *Radzim.* Czessewo, *Czeszewo.* Broskowo, *Brzostkowo.* Zirchovo, *Żerkow.* Zolcovo, *Żułkowo.* Czelcza, *Cielcza.* Mireci, *nie odgadnione.* Iaroczino, *Jarocin.* Chowanowo, *Kowanowo.* Mirczino, *nie odgadnione.* Klonovicze, *Klonowo.* Zidovo, *Żydowo.*

Nr. 365.

Heinricus dux Slezie 1257 Dec. 2, Wratizlavie; confirmat ordinationem, quam Bogusza et Paulus, filii quondam Razlai, ratione cambii et redemtionis villarum Brucaliz et Sierakowo cum monasterio de Heinrichau fecerunt.

Stenzel, Lib. fundation. claustri Heinrichau, pag. 65.

In nomine Domini amen. Nisi, ob temerariam modernorum presumptionem, aut vigeant voce testium, aut testimonio litterarum quarum assercio nutrit memoriam, faciliter cassari aut deficere poterunt mortalium actiones. Igitur nos Heinricus Dei gracia dux Slezie protestamur universis nunc existentibus et in posterum successuris quorum audiencie presens scriptum deferetur, quod nostra in presencia Bogussa et Paulus fratres germani filii quondam Razlai de Brucaliz, dominis et fratribus in Heinrichowe hereditatem in Brucaliz resignarunt tres mansos parvos continentem, qui ad ipsos iure patrimonii devenerant successive, dominis fratribus primo dictis iure hereditario perpetuo possidendos, omni immutatione cessante que in posterum per ipsos vel liberos eorum posset evenire vel consanguineos qualescunque. Ob cambium autem et restaurum hereditatis in Brukaliz, fratres predicti in Polonia in villa que Siracovo nuncupatur ante dictis B. et P. mansos totidem assignarunt eius (sic), iure hereditario possidendos. Quos cum per tempus aliquod haberent in possessione legitima, proprio motu inducti vendiderunt pro XXVIII marcis argenti fratribus sepius memoratis, dominis eorum, iure hereditario possidendos; tali interposita condicione, quod si eadem bona redimere voluerint B. et P., poterunt in futuro, videlicet mansos habitos in Polonia, non autem ipsorum liberi vel affines, qualicunque casu mediante. Bona autem in Brucaliz, nec ipsi seu ipsorum heredes vel consanguinei qualescunque redimere poterunt in futuro, quolibet articulo emergente; sed domus sepius nominata eadem bona iure hereditario obtinebit perpetuo cum quiete. Ne igitur propter inexpertorum dubitationem, ordinationem coram nobis stabilitam contingat in posterum frivole revocari, presens scriptum sigilli nostri robore duximus muniendum. Acta sunt hec Wratizlavie dominica Ad te levavi, anno Domini MCCLVII, presentibus hiis: comite Iohanne castellano de Recen, comite Michaele iudice, magistro Gozvino, comite Sulizlao Rezek cum comite Michaele Daleboroviz et Andrea Hugoniz, qui procuratores huius negocii exstiterunt; de servientibus vero Henzone filio Ylici, Symone, Egidio, Iucha, Pacozlao, Sdesizt, Stanizlao subkamerario et aliis quam pluribus. Datum per manum domini Ottonis curie nostre scriptoris.

Brucaliz, *niegdyś osada p. m. Münsterberg na Szlązku.* Heinrichowe, *Heinrichau.* Siracovo, *Sierakowo.* Recen, *niegdyś zamek nad rz. Odrą, p. m. Brzeg na Szlązku.*

[illegible]

[redacted]

Nr. 366.

Boleslaus dux Polonie Maioris 1258 Jan. 3, in Poznania; ratam habet emptionem sortis Mochowo, quam Iwanus haeres de Ostrowieczno ecclesiae Poznaniensi vendiderat.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 166.

In nomine Domini Dei eterni amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum memorie commendamus. Inde est quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie Maioris notum esse volumus tam presentibus quam futuris presentis pagine seriem inspecturis, quod venerabilis pater noster dominus Bogufalus divina providencia Poznaniensis episcopus, cupiens ecclesiam beati Petri de bonis propriis ampliare, sortem que Moccovo nominatur, contiguam ville sue vocabulo Grodnicza, emit apud Hyvanum heredem de Ostroveczno pro quinque marcis argenti et una vacca, que sibi iam exsolvit, ipso Hyvano coram nobis et nostris baronibus protestante. Nos vero ipsam empcionem ratam et gratam habentes, ne super hoc in posterum ambiguitatis scrupulus oriatur, presentem litteram conscribi fecimus et nostri sigilli munimine roborari. Actum in Poznania anno gracie Domini M.CC.L octavo, tercio Nonas Ianuarii, presentibus domino Iohanne cancellario nostro archidiacono Poznaniensi, Harcomboldo palatino Gneznensi, Iancone castellano Calisiensi, et aliis quam plurimis viris probis et honestis.

Moccovo (*w kopiariuszu A. Mochowo*) *osada znikła.* Grodnicza, *Grodnice.* Ostroveczno, *Ostrowieczno.*

Nr. 367.

Boleslavus dux Polonie 1258 Febr. 14, in Gnezna; libertatibus, monasterio de Łekno a progenitoribus suis collatis, novas adiicit.

Transsumpt potwierdzony przez: Kazimirus rexPolonie 1346 Jun. 6, in Pizdry, *zawarty w transsumpcie orygin. potwierdzonym przez:* Sigismundus rex Poloniae etc. 1590 Dec. 16, Varssoviae *w pergam. orygin., którego pieczęć znikła.*

Wągrowiec. Archiv. miejskie.

In nomine Domini amen. Cum petitur quod iustum est et videtur honestum, iustis petencium desideriis dignum est prebere consensum, et vota que a recto tramite non discordant, effectu prosequendo complere. Igitur nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie notum esse volumus tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod ob reverenciam Dei et beate virginis Marie nec non sancte matris Ecclesie, nostri progenitores dominus Mesico et Wladysslaus duces Polonie contulerunt in suis privilegiis, que nostris oculis conspeximus, omnibus villis fratrum de Lukna ad presens habitis et habendis subnotatas libertates, videlicet quod a podworowe, a stroza, a prewod, a podwody, ab expedicione, et reparacione pontis et castri liberrimi sint et absoluti, nec ullas iniquas exacciones solvere teneantur. Nos vero tam solemnes donaciones progenitorum dictorum ducum gratas habentes, presentibus confir-

[illegible]



mamus, addentes predictis fratribus de Lukna has libertates, videlicet quod quando aliquis de ipsorum hominibus in eorum hereditate occiditur vel eciam ubicunque, penam de capite super hoc recipiant denotatam. Insuper nec non herodium, quod sokol dicitur, fratres custodire nec solvere tenebuntur. Et quia donum Deo collatum non expedit legibus universorum subiacere, volumus ut nemo nostrorum iudicum aut castellanorum vel cuiuscunque ratione beneficii, ad ipsas villas aliquem respectum vel potestatem iudicandi habeat in eternum; sed prefati fratres cum suo iudice quem constituerint, suos homines cum omnibus et in omnibus iudiciis, quibuscunque vocabulis vocitentur, cum opus fuerit iudicabunt, penam de iudicatis percipientes. Si vero aliqua causa difficilis oriretur quam dicti fratres cum suo iudice determinare non potuerint, tunc coram nobis nostro annulo citati comparebunt diiudicandum; penam autem tum iudicati fratribus remittemus. Ut autem hec nostra donacio et confirmacio robur firmitatis obtineat, dedimus presentem paginam predictis fratribus in Lukna nostri sigilli munimine roboratam. Datum in Gnezna anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo, sedecimo Kalendas Martii. Cum hec gererentur hii presentes astiterunt: Dersicraius palatinus Gneznensis, Simon castellanus Gneznensis, Swantoslaus castellanus de Nakill, Andreas iudex, Zbilut de Kozelz cum suis filiis Zbiluto et Drogomiro, Henricus capellanus de Neczynici et alii quam plures fidedigni.

Lukna, *Łekno.* Nakill, *Nakło.* Kozelz, *Kozielsko.* Neczynici, *dziś Nieczajno.*

Nr. 368.

Boleslaus dux Polonie Maioris 1258 Febr. 22, in Poznan; confirmat privilegium quod dederat monasterio de Lubin: **Wlodislaus dux magnus Polonorum 1181 (sic) Dec. 26, in Lubin,** nec non et possessionem omnium bonorum eiusdem monasterii.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabnych czerwonych przywieszona pieczęć Bolesława księcia; (pieczęć XVI).

Poznań. Königl. Staats Arch. Lubin 2.

In nomine domini Dei eterni amen. Quanto maior et altior est persona, tanto debet curare caucius, ut ea que gerit negocia nullus possit processus temporis impedire: solet enim frequenter accidere, quod humanis actibus attemptat calumpnia novercari. Noverint igitur universi filii sancte matris Ecclesie presentes et posteri ad quos presens scriptum pervenerit, quod nos Boleslaus Dei gratia dux Polonie Maioris, revolventes in animo pia facta avi nostri felicis memorie ducis Wladislai, que fecit domui sancte Marie in Lubin et fratribus in ea manentibus Ordinis sancti Benedicti, ob salutem etiam anime nostre, ad instantiam viri providi et honesti domini Iacobi abbatis, omnem libertatem et donationem, velut in privilegio a prefato duce dato, in hunc modum continentem confirmamus. *(Sequitur diploma Nr. 119).*

He sunt ville sepe memorati monasterii: ipsum Lubin cum omnibus sortibus circumquaque adiacentibus, Chuscovo post unum centurionem et omnes ville ad eum pertinentes, cum solutione strosa, stan, naraz, povoz cum aliis exactionibus. He

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

sunt ville prefati centurionis: ipsa supra dicta, Mostesici cum lacu ex integro et alio quod vulgariter Besan nuncupatur; Varla cum omnibus sortibus, Luscovo, Gluchovo, Chusevo, Sdunovo, Revuch, Vescovo cum omnibus sortibus ad molendinum, Cyrmino, Zubovo, Popino, Coslovich, Chosovo, Posepsco, Scodrochov, Stusicha, Slub, Dobrochov, Stupovo, Slavchovo, Gyrcha, Mechinevo, Garlochov, Cychov, Gorcha, Peczino, Svecechov cum theloneo et taberna et omni venatione tam magna quam parva, Radlevo, Machtino, Nechlod, Drencevo, Chochice, Crirovo, Osov, Stanchovo, Dalevo, Virchrecha, Tresceochovo, Smolici, Lusno, Malpino, Iarine, Grodovo, Semovo, et centurio cum hominibus et sortibus eorum circumquaque adiacentibus et prefata solutione. Insuper Starigrod cum theloneo et tabernis et omni iure forensi et sortibus circum adiacentibus. Psachovo et Opathovo, Cryvin et Radomicsk cum tabernis et theloneo et omni iure forensi. Lacus magnus cum piscatoribus qui inter Mostesich, Cychovo, et Manclino adiacet. In Kalis locum et thabernam cum theloneo pontis minoris. Vanesch cum hominibus et omnibus sortibus et solutione supra nominata, Gnevovo. Hec omnia pro redemptione peccatorum nostrorum, in remedium animarum parentum nostrorum prefate domui contulimus. In cuius rei thestimonium, ne aliquis tam sollempni donationi simulque nostre confirmationi ausu themerario valeat contraire, presentem paginam sigilli nostri munimine confirmamus. Datum in Posnan anno Domini nostri M.CC.L octavo, in Cathedra sancti Petri, presentibus his testibus: Dirsicraio palatino, Iarostio iudice, comite Bogutha, Vincentio subcamerario, Mathia notario curie.

Lubin, *Lubin.* Chuscovo, *Kuszkowo.* Mostesici, *Mościszki.* Besan lacus, *t. j. de Bieżyn.* Varla, *nie odgadnione.* Luscovo, *Łuszkowo.* Gluchovo, *Głuchowo.* Chusevo, *Kuszewo.* Sdunovo, *Zduny?* Revuch, *Rochy?* Vescovo, *Wieszkowo.* Cyrmino, *Czermin.* Zubovo, *Zębowo.* Popino, *Popowo polskie.* Coslovich, *Kozłowo.* Chosovo, *Kosowo.* Posepsco, *nie odgadnione.* Scodrochov, *Szczodrochow.* Stusicha, *Stężyca.* Slub, *Słupia.* Dobrochov, *Dobra.* Stupovo, *Stępocin.* Slavchovo, *nie odgadnione.* Gyrcha, *Irka.* Mechinevo, *Mechlin.* Garlochov, *Gierlachow.* Cychov, *Cichowo.* Gorcha, *Gorka Lubinska.* Peczino, *Pieczyska?* Svecechov, *Święciechowa.* Radlevo, *osada znikła p. m. Święciechowa.* Machtino, *Machcin.* Niechłod, Drzenczewo, *dziś tak samo.* Chochice, *Chocicza.* Crirovo, *Krerowo.* Osow, Stankowo, Dalewo, *dziś tak samo.* Virchrecha, *Wyrzeka.* Tresceochovo, *Trzecianowo.* Smolice, *dziś tak samo, lub też Smolno.* Lusno, *nie odgadnione.* Malpino, *Małpin.* Iarine, *Garzyn.* Grodovo, *Grodzisk.* Siemowo, Starygrod, *dziś tak samo.* Psachovo, *Psary.* Opathovo, *Opatówko.* Cryvin, *Krzywin.* Radomicsk, *Radomicko.* Manclino, *Mączyn.* Kalis, *Kalisz.* Vanesch, *Wonieść.* Gnevovo, *Gniewowo.*

Nr. 369.

Boleslaus dux Polonie 1258 s. d. et l.; confirmat privilegia, ecclesiae Poznaniensi a Wladislao et Przemysl quondam ducibus Poloniae concessa.

Pergam. orygin. Gruby sznur jedwabny czerwony, pieczęci nie masz.
Poznań. Arch. Capituli, I, 5.

In nomine Domini amen. Nos Boleslaus Dei gratia dux Polonie notum facimus universis hanc paginam inspecturis, quod ob remedium anime nostre et parentum no-

[illegible]

[illegible]

[redacted]

strorum, et maxime ob reverentiam beatorum Petri et Pauli apostolorum innovamus et confirmamus omnes libertates datas et concessas beati Petri ecclesie in Poznania per dilectum quondam patrem nostrum Wladislaum filium Odonis, et fratrem nostrum Premislium, quondam duces Polonie: tales videlicet, ut omnes homines habitantes in villis ecclesie predicte, quas nunc habet vel obtinuerit in futurum, omnimode sint liberi ab omni exactione et vexacione, hoc est a poradlne, a podvorove, a strosa, a naras, a prevod, a podvoda, a vacca et a bove, et ab omnibus exaccionibus qualitercunque dicantur, nec a quoquam nisi coram episcopo vel suis dominis in ius evocentur: exceptis eis qui in traditione castri convicti fuerint, aut eduxerint familias nostras, vel hostes in terram traxerint: quorum iudicium, presentibus dominis vel nunciis eorum, coram nobis agatur, et penam inflictam, si fuerit pecuniaria, ipsorum domini percipient ex integro. Nec ad constructionem novorum castrorum eos cogi volumus, sed ad reedificationem antiquorum tenebuntur, ita ut episcopus cum suo Capitulo unam istbicam ponat, ut alii terre nostre nobiles facere consueverunt. Eciam si quando contributionem vel exaccionem per terram nostram nos facere contigerit, episcopus et canonici sui similem accipere poterunt et ad usus sue convertere voluntatis. Et ut hec perpetue robur obtineant firmitatis, ecclesie Poznaniensi presentem litteram fecimus nostri sigilli munimine roborari. Anno Domini M.CC.L octavo, presentibus Iohanne cancellario, Mathia filio Alberti, Bogufalo Potricovic, Milessa de Gorca, Martino Sedlimovic, Mathia curie nostre notario et aliis multis.

Potricovic, *może jest patronymicum, lub też znaczy: haeres de Piotrkowice.* Gorca, *później i aż do XVI wieku: Mileszyna Górka, dziś Targowa Górka.* Sedlimovic, *zamiast: haeres de Siedlimowo.*

Nr. 370.

Alexander Pp. IV 1258 Jul. 6, Viterbii; concedit ad ecclesiam monasterii Fr. Praedicatorum in Poznań in singulis festis b. Mariae virginis, s. Dominici et s. Petri martyris accedentibus, indulgentiam 100 dierum.

Poznań. Königl. Staats Arch. Liber privileg. eccles. Fratrum Praedicatorum Poznaniens. pag. 3. (Z pergam. orygin., u którego była przywieszona bulla: Alexander Pp. IIII).

Alexander episcopus servus servorum Dei, universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Vite perennis gloria, qua mira benignitas Conditoris omnium beatam coronat aciem civium supernorum, a redemptis pretio sanguinis fusi de pretioso corpore Redemptoris, meritorum debet aquiriri virtute: inter que illud esse pregrande dignoscitur, quod ubique, sed precipue in sanctorum ecclesiis maiestas Altissimi collaudetur. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur in Domino in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus ad ecclesiam dilectorum filiorum prioris et fratrum Ordinis Predicatorum Posnaniensium, que in honorem beati Dominici confessoris noscitur esse constructa, imploraturi a Domino delictorum veniam, in humilitate spiritus accedatis. Nos enim, ut Christi fideles quasi per premia salubriter ad merita invitemus, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

vere penitentibus et confessis, qui ad ecclesiam ipsam in singulis festivitatibus gloriose Marie virginis et ipsius beati Dominici confessoris ac Petri martyris, eiusdem Ordinis professoris, et septem diebus immediate sequentibus causa devotionis accesserint, annuatim centum dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Viterbii II Nonas Iulii, pontificatus nostri anno quarto.

Nr. 371.

Bolezlaus dux Polonie Maioris 1258 s. d., in Pobodis; confirmat monasterio de Kolbacz donationem et libertatem villarum Treben, Duperpol et Warsin, a patre suo, quondam duce Wladislao, adeptas.

Stettin. Königl. Staats Archiv. Colbatzer Matrikel fol. 24, Nr. 96. — Dreger, Cod. Pomeraniae etc. Nr. 303.

In nomine Domini amen. Inter cuncta opera que de karitatis fonte procedunt, elemosina celebrius commendatur, quia ipsa est per quam fit abolicio scelerum, et contra omnia mundi pericula, firmamentum hec est illa preambula suffragatrix, que nos excusat propicialiter de commissis et gratiam nobis assidue reddit plasmationis. Inde est quod nos B. Dei-gratia dux Polonie Maioris, animadvertentes pia gesta W. patris nostri pie memorie que fecit domui sancte Marie de Colbas Ordinis Cisterciensis, omnem donationem et libertatem quam ab ipso sunt adepti, scilicet villas Treben et Duperpol et Warsin cum omnibus attinenciis suis, pratis, aquis, silvis, sicud in eorum privilegiis continetur, perpetualiter confirmamus. Ut autem hec nostra confirmacio inviolabiliter observetur, presens scriptum sigilli nostri munimine roboramus. Datum in Pobodis anno gracie Domini M.CC.L.VIII, presentibus istis: Iohanne cancellario nostro, Nicolao preposito Kalisiensi, Bogomelo preposito Gneznensi, Sandivogio castellano de Croba.

Colbas, *dziś z niemiecka Colbatz.* Treben, *osada znikła.* Duperpol, *dziś z niem. Dobberphul.* Warsin, *dziś tak samo.* Pobodis, *Pobiedziska.* Croba, *Krobia.*

Nr. 372.

Bolezlaus dux Polonie 1259 Febr. 11, in Poznan; confirmat donationem terrae Kościerzyn et lacuum Bothscowe et Ostowiz, a patre suo b. m. duce Wladislao fratribus Militiae Templi factam.

Pergam. orygin. Na sznurze jedwabn. żółt. przywieszona pieczęć Bolesława księcia; (pieczęć XVI).

Berlin. Königl. Geheim. Staats Arch. — Riedel, Codex diplomatic. Brandenburg A 19, p. 5.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Operacionis sancte propositum nulla debet occasio inpedire. Ego igitur Bolezlaus dux Polonie tenore presentium recognosco, quod clare memorie Lodezlaus dux Polonie pater meus, matris mee Hadewigis nomine ac fratris mei Prymyzlonis simul et meo accedente consensu, pro

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

mea parentumque meorum animabus totam terram Custeryn vulgariter nuncupatam, cum agris, villis, aquis, ac omni utilitate ad eandem terram pertinentibus, Terre sancte Jerosolimitane fratribusque Milicie Templi contulit perhenniter et quiete possidendam; theloneo nobis dumtaxat de magnis navibus, allecia deportantibus reservato, a quorum solucione homines eorundem fratrum voluit esse liberos et immunes. Termini vero predicte terre, a Myzla et Nezze fluviis ad Odram et usque ad limites Pomerannie protenduntur. Addidit preterea fratribus antedictis duos lacus, Bothscowe et Ostovyz, ad castrum Zantoch olim pertinentes, alias ipsis conferens donaciones prout in ipsorum litteris super hoc confectis plenius continetur; quas omnes de certa scientia confirmavi, et ne aliqua proinde in posterum oriri possit calumpnia, subscripcione testium et presentis sigilli munimine roboravi. Testes igitur sunt: Pretpolcus palatinus, Boguphalus castellanus Poznaniensis, Nycholaus prepositus in Zantoch, et alii quam plures clerici ac laici fide digni. Datum in Poznan anno Domini millesimo CC.LIX, III Ydus Februarii.

Terra Custeryn, *t. j. de Koscierzyn, dziś z niemiecka Küstrin.* Myzla fluv., *dziś z niem. Mietzel Fl.* Nezze fluv., *Noteć rz.* Lacus Bothscowe et Ostovyz, *z pomiędzy licznych jezior téj okolicy nie odgadnione.* Zantoch, *Santok.*

Nr. 373.

Boleslavus dux Polonie 1259 Apr. 16, in Rogosna; roborat compositionem inter monasterium de Łekno et filios Zlavenici, propter lacus Belsko et Stekelin factam.

Pergamina dwa oryginalne i dosłownie równobrzmiące. U pierwszego pozostały z dwóch pieczęci pierwotnie przywieszonych, z pierwszéj tylko jedwabne czerwone nici przewleczone przez dwie dziurki; druga, Sławnika, przywieszona na niciach lnianych białych, skręconych w sznurek; (pieczęć XVIII). *U drugiego pergaminu obu pieczęci nie masz.*

Kurnik. Biblioteka. Diplomata, Nr. 5, Nr. 6.

In nomine Domini amen. Nos Bolezlavus Dei gracia dux Polonie notum esse volumus tam presentibus quam futuris et omnibus hanc paginam intuentibus, quod causa que inter Th. abbatem et Conventum de Luckna et heredes dicte ecclesie filios Zlavenici, videlicet Petrum, Zlavenicum et Troianum, super requisicione duorum lacuum, Belsko et Stekelin, et sortium adiacentium, videlicet Slosin, Dvorove, Crovekir, Cavciles, Sviniblota et Cycino cum nemoribus et silvis, agris, pratis et aquis iam dudum vertebatur, coram nobis honestorum virorum ordinacione mediante in hunc modum est sopita racionabiliter et terminata. Predictus vero abbas prefatis filiis Zlavenici pro resignacione prefatorum lacuum perpetua contulit has hereditates, Oserene et Raccove, iure hereditario libere perpetuo possidendas. Et quia pium est ut preces bonorum locum exaudicionis optineant, volumus ut memorata ecclesia Lucknensis predictos lacus cum suis pertinenciis optineat nemine inpediente. Ut autem hec coram nobis facta firmitatis robur valeant optinere, dedimus memorato abbati et Conventui presentem paginam nostro ac prefatorum heredum munimine roboratam. Datum in Rogosna anno Domini M.CC.L.IX, XVI Kalendas Mai. Cum hec fierent

hii testes astiterunt: comes Pretpolc palatinus Poznaniensis, Symon castellanus Gneznensis, Zbylutus de Dambrowe, Henricus de Crolecowe, Iacobus de Sorave, Henricus procurator et alii quam plures fide digni.

Luckna, *Łekno.* Belsko et Stekelin, *jeziora, zapewne dziś Durowskie i Kobyleckie.* Slosin, *nie odgadnione.* Dvorove, *Durowo.* Crovekir, *nie odgadnione.* Cavciles, *dziś pewnie Kobylec.* Sviniblota, Cycino, *nie odgadnione.* Oserene, *dziś pewnie Starczyn.* Raccove, *Rakowo.* Rogosna, *Rogożno.* Dambrowe, *Dąbrowa.* Crolecowe, *Królikowo.* Sorave, *Żorawia.*

Nr. 374.

Boleslaus dux Polonie 1259 Apr. 20, s. l.; protestatur, Iohannem de Skoki villam Grodzisk monasterio Paradyż dedisse.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. Nr. 39.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie notum esse volumus tam presentibus quam futuris Christi fidelibus, tam simplicibus quam honestis, presentem paginam inspecturis, quod Iohannes de Scocov filius quondam Iohannis, a quo nomen patronimicum est sortitus, villam que Grottische dicitur domui de Gostichov dedit iure hereditario possidendam. Sed que geruntur in tempore ne simul labantur cum tempore, munimine testium et sigilli nostri robore fecimus perennari, ne ex vetustate temporum et per versuciam malorum hominum in periculum vergerent oblivionis. Super his vero confirmandis testes sunt hii: comes Bedigostius, comes Petrus filius Zlavnici, Tomislaus filius Virbyte, Mirozlavus filius Visemiri, Venceslaus filius Laurencii, Zlavnicus filius Zbiluty. Acta sunt hec anno Incarnacionis Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, XII Kalendas Maii, Indiccione II.

Scocov, *Skoki.* Grottische, *Grodzisk.* Gostichov domus, *klasztor Paradyż.*

Nr. 375.

Bolezlaus dux Polonie Maioris 1259 s. d., Pozenan; confirmat donationem haereditatis Mascowe, a Bozata et Nassil, filiis Iohannis quondam castellani in Międzyrzecz, monasterio de Dobryług factam.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabn. czerwon. przywieszona pieczęć Bolesława księcia; (pieczęć XVI).

Poznań. Königl. Staats Archiv. Blesen 2.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Cum tempora pretereant more fluentis aque, necesse est ut ea que geruntur, in tanta certitudine fiant, ne de ipsorum gestione ab aliquibus possit dubitatio exoriri. Noscat igitur presens etas et futura, presentes et posteri ad quos presens cartula pervenerit, quod nos Dei gratia Bolezlaus dux Polonie Maioris protestamur, quod Bozata et Nassil, filii Iohannis

quondam castellani in Meseriz, domui sancte Marie virginis sanctique Heinrici in Doberluch, Ordinis Cysterciensis, hereditatem que vocatur Mascowe cum omnibus terminis suis pro animarum suarum nec non parentum suorum remedio in elemosinam contulerunt. Ut autem fratres in domo supradicti (sic) plenius consolentur et ampliori gaudeant libertate, volumus ut famuli Christi ibidem habitantes, omnibus utilitatibus, videlicet lacubus, silvis, pratis, et si que alie utilitates sint vel erunt, libere perfruantur. Contulimus etiam eisdem fratribus in predicta hereditate villas locare Teuthonicas, quocumque iure ipsi fratres fuerint decreti, ita ut omne iudicium ad claustrum ipsorum pertineat illesum. Ut autem hec donatio firma et inconvulsa permaneat, presentem paginam sigilli nostri munimine dignum duximus roborandam. Acta sunt hec in Pozenan anno gracie M.CC.LIX. Huius rei testes sunt: dominus Iohannes curie nostre cancellarius, frater Vitalis, frater Petrus et Mathias notarius et comes Martinus.

Meseriz, *Międzyrzecz.* Doberluch, *Dobryług.* Mascowe, *nazwisko osady dziś znikłéj w pobliżu m. Bledzew.*

Nr. 376.

Boleslaus dux Polonie Maioris 1259 s. d., Poznan; confirmat donationem totius dąbrowa quae spectat in haereditatem Mascowe, a Bozata et Nazel monasterio de Dobryług factam.

Pergam. orygin. Na sznurze jedwab. czerwon. przywieszona pieczęć Bolesława księcia; (pieczęć XVI.)

Poznań. Königl. Staats Arch. Blesen 3.

In nomine Dei venturi et individue Trinitatis amen. Cum tempora pretereant more fluentis aque, necesse est ut ea que geruntur, in tanta certitudine fiant, ne de ipsarum gestione ab aliquibus posset dubitatio exoriri. Noscat igitur presens etas et futura, presentes et posteri ad quos presens cartula pervenerit, quod nos Dei gratia Boleslaus dux Polonie Maioris protestamur, quod Bozata et Nazel filii Iohannis quondam castellani in Mesereize, domui sancte Marie virginis sanctique Heinrici in Doberluch Ordinis Cisterciensis dambroam totam que spectat in Mascowe pro animarum suarum nec non parentum suorum remedio in elemosinam contulerunt. Ut autem fratres in domo supradicta plenius consolentur et ampliori gaudeant libertate, volumus ut famuli Christi ibidem habitantes, omnibus utilitatibus, videlicet lacubus, silvis, pratis, et si que alie utilitates sint vel erunt, libere perfruantur. Contulimus etiam eisdem fratribus in predicta dambroa villas locare Teuthonicas, quocumque iure ipsi fratres fuerint decreti, ita ut omne iudicium ad claustrum ipsorum pertineat illesum. Ut autem hec donatio firma et inconvulsa permaneat, presentem paginam sigilli nostri munimine dignum duximus roborandam. Acta sunt hec anno gracie M.CC.LIX. Testes sunt: dominus Iohannes curie nostre cancellarius, frater Vitalis, frater Petrus et Mathias notarius et comes Martinus. Datum in Poznan.

Mesereize, *Międzyrzecz.* Doberluch, *Dobryług.* Mascowe, *nazwisko osady znikłéj w pobliżu wsi Zemsko.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 377.

Bolezlaus dux Polonie Maioris 1259 Jun. 29, in Poszna; confirmat monasterio de Kolbacz possessionem villarum Treben et Doperpul, a patre suo b. m. duce Wladislao collatarum, et terminos earundem fingit.

Stettin. Königl. Staats Archiv. Colbatzer Matrikel fol. 25, Nr. 103. — Dreger, Cod. Pomeranie etc. Nr. 310.

In nomine Domini amen. Quoniam longi tractus temporum pariunt antiquitatem, antiquitas oblivionem, oblivio vero rerum actarum exinanitionem, eapropter necesse est ut res digna memorie scripti testimonio confirmetur, quo canescens antiquitas crebrius valeat renovari. Agnoscat presens igitur etas et sciat postera, quod nos Bolezlaus Dei gracia dux Polonie Maioris, revolventes in animo piam et dignam donacionem patris nostri felicis memorie ducis Wladizlai, quam fecit ecclesie sancte Colbacensi Ordinis Cisterciensis et fratribus ibidem Deo famulantibus, ob remedium anime nostre eandem donacionem perpetualiter confirmamus. Hec est autem: Treben et Doperpul cum stagno Zovina et cum omnibus terminis et attinenciis suis, agris, pratis, pascuis, silvis, cultis et incultis, aquis, stagnis, rivis, piscacionibus, in semitis, viis, et omni utilitate que est vel in futurum haberi potest, nec non ab omnium decimarum vel cuiuslibet servitii exactione liberas, perpetuo possidendas. Preterea contulimus eidem domui, ut iure *(vacuum)* civitatem cum foro libero in districtu istorum bonorum locent ubicumque velint. Ne igitur in predictis possessionibus succedentibus temporibus predictos fratres cuiuscunque malignitas iure debeat inquietare, terminos predictarum possessionum propriis nominibus censuimus exprimendos. A Treben versus Teplin stagnum quod dicitur Stuke, inde recurrunt in directum ad montem longum qui adiacet Neribne, abhinc super stagnum Virke, et sic per mediam paludem usque ad fossatum quod est inter Cluken et Sovin, de fossato per solitudinem super rivulum Zlonice qui fluit in Ynam, et sic per descensum Yne ex altera parte ad arbores pomiferas. Inde recurrunt in stagnum Linzina, et sic ad rivulum Diadin kir. De rubo super paludem Smardin, et sic per mediam paludem usque in Clambeck. Inde percurrunt in directum super monticulos Svinerova glatis, hinc usque in rivulum Rutniza qui fluit in Ynam, de Yna usque ad Stuke. Ut hec autem nostra donacio cum predictis possessionibus et supradictis terminis rata et inconvulsa sepedictis fratribus monasterii de Colbas perpetuo perseverent, sigilli nostri appensione cum testium subscripcione presentem paginam roboramus. Testes sunt: dominus abbas de Belboc Bavo, Hescellinus eius capellanus, prior Poznaniensis Petrus, Nicolaus prepositus de Santok, Mathias notarius, et alii quam plures huic negocio dum fieret affuerunt. Datum anno gracie Domini M.CC.LIX in Poszna, die apostolorum Petri et Pauli.

Colbacensis, *de Kolbacz.* Treben, *osada znikła.* Doperpul, *Dobberphul.* Stagnum Zovina, *Stawin See.* Teplin, *mylnie zam. Replin, (cnfr. Nr. 145).* Stagnum Stuke, *Stutz See.* Neribne, *(Tribene?) może dziś jezioro pod wsią Petznick.* Stagnum Virke, (*Cartzke?*) *może dziś Plage See.* Cluken, *Klücken See.* Rivulus Zlonice, *może strumyk wpadający do rz. Mała Ina pod wsią Billerbeck.* Yna, *scilicet parva, Faule Ihna.* Sta-

[illegible]

[redacted]

gnum Linzina, *(Brizina?) może jedno z jezior pod wsią Falkenberg*. Rivulus Diadin kir, *zapewnie mylnie zam. rubus Dziadzin kierz* (*cnfr. Nr. 145*). Palus Smardin, *zapewne błota około wsi Dobberphul*. Clambeck, *jezioro Głąbek*. Svinerova glatis, *(Swiniarowa gać?) pewnie wzgórza w pobliżu wsi Dölitz*. Rivul. Rutniza, *(Rutilza?) strum. wpadający do rz. Mała Ina pod wsią Blumberg*. Belboc, *Belbuck*. Santok, *Santok*. Poszna, *Poznań*. *Obszar tu określony, leży na północ-zachód od miasta Choczno (Arnswalde)*.

Nr. 378.

Boleslaus dux Polonie Maioris 1249 (sic) Aug. 21, in Poznan; adiudicat haereditatem Kiełpin Ycconi palatino Legnicensi et fratri ipsius Michaeli, contra petitionem Hurostlae et Iohannis, fratrum.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 10 v.

In nomine Dei eterni amen. Labentibus curriculis temporum, res quanticunque ponderis facillime a memoria dilabuntur si auctorabili et firmo scripto non fuerint commendate; eapropter necesse est, ut res digna memorie certis titulis debeat intitulari, quibus inspectis frequencius, cadens memoria possit sublevari. Nos igitur Boleslaus Dei gracia dux Polonie Maioris, filius Wladislai filii Odonis bone memorie quondam ducis eiusdem Polonie, notum facimus tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis, quod honestis dominis Yccone palatino Legnicensi et fratre suo Michaele, filiis comitis Mirononis, causam agentibus pro hereditate que vulgariter Kelpino nuncupatur, in cestellania de Cbasim iacente, contra filios Ywonis, Hurostlam videlicet et contra fratrem eius Iohannem, coram nobis et coram quibusdam nostris baronibus certantibus, visis fortibus probacionibus et legittimis attestacionibus adiudicavimus iam dictam hereditatem militibus supra memoratis, Ycconi scilicet et fratri suo Michaeli, cum integris terminis et cum omnimoda libertate, sic ut pater eorum habuit integre et quiete possedit. Et ut hoc factum firmius robur obtineat, presens scriptum sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum in Poznan anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo (sic) nono, feria quinta ante festum sancti Bartholomei, presentibus hiis testibus: Boguphalo castellano Poznaniensi, Heustacio iudice curie, comite Beniamin castellano de Premant, comite Scedricone castellano de Crivim, comite Cechoslao dapifero de Calis, Andrea subcamerario et pluribus aliis.

Legnicensis, *de Lignica*. Kelpino, *Kiełpin*. Cbasim, *Zbąszyń*. Premant, *Przemęt*. Crivim, *Krzywin*. Calis, *Kalisz*.

Nr. 379.

Boleslaus dux Polonie 1259 Nov. 6, s. l.; confert ecclesiae sancti Adalberti in Międzyrzecz, ratione compositionis inter civitatem praedictam et rectorem eiusdem ecclesiae, quasdam possessiones et privilegia.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 54. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 44.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter ocurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum memorie commendamus. Hinc est quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris presentem litteram inspecturis, quod inter Iohannem rectorem ecclesie sancti Adalberti de Medzirzecz, et Iacobum advocatum et cives eiusdem loci facta composicione super capella civitatensi, racione composicionis contulimus ecclesie prefate sancti Adalberti mansum unum super aquam Obram ex adverso eiusdem ecclesie cum prato, et a prato per viam que ducit in civitatem usque ad rivulum procedentem in Obram, cum omni iure et utilitate et libertate sibi et suis successoribus iure hereditario perpetuo possidendum. Concedentes insuper, pro bono pacis et supradictorum nostrorum civium pro necessaria libertate, predicte Ville ecclesie sancti Adalberti et omnibus eandem inhabitantibus plenam et omnimodam libertatem, ita quod nec ad constructionem nec ad reparacionem nec ad custodiam castri Medzirzecensis seu alius alterius teneantur, et nec castellano eiusdem vel alicui officialium nostrorum obedire teneantur, nisi ad nostram presenciam specialiter evocati et ad penam per nos solummodo iudicati, solucioni dictate subiaceant, sepedicto Iohanni suisque successoribus, nobis non contradicentibus, respondentes. Concedimus eciam et damus antefato Iohanni et suis successoribus plenum arbitrium in predicta Obra venandi castores, a ponte civitatis in utraque rippa fluvii usque ad limites et terminos qui dividunt Villam sancti Adalberti et villam Goriere volentes nichilominus, ut nostri venatores castorum per aquam per transeant limites nominatos nullam inde facientes questionem, et homines eiusdem ville in nullis eis obsecundent, et, ut brevius dicatur, volumus et promittimus bona fide, ut sepe nominata Villa sancti Adalberti et homines eam inhabitantes ea gaudeant libertate, qua villa et homines episcopi de Pczew, salva supradicta composicione. Hanc donacionem promittimus firmiter observare. Ut autem hec composicio et donacio firma et stabilis perpetuo perseveret, presentem litteram conscribi fecimus et nostri sigilli ac venerabilis patris domini Boguslai (sic) Poznaniensis episcopi nec non Capituli sui munimine roborari. Actum anno Domini M.CC.L nono, octavo Ydus Novembris.

Medzirzecz, *Międzyrzecz.* Obra, *Obra rzeka.* Villa ecclesie sancti Adalberti, *dziś Wojciechowo.* Goriere, *pewnie zamiast Goric magna, to jest Gorzyce wielkie.* Pczew, *Pszczew.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 380.

Volpertus abbas in Obra 1259 s. d., in Obra; protestatur, se haereditatem sui monasterii dictam Miłostowo, fratribus de Paradyż vendidisse.

Rogalin. Biblioteka. Paradis. Lib. privil. Nr. 38.

In nomine Domini amen. Quoniam mundus caducus est et diversis casibus quotidie variatur, idcirco necesse est, ut legittime acciones que indigent memoria, sub scripti testimonio teneantur. Noverint ergo universi tam presentes quam futuri presens scriptum inspecturi, quod ego Volpertus dictus abbas in Obra, cum consensu omnium fratrum meorum ob necessitatem domus nostre fratribus de Paradiso hereditatem que Milostow vulgariter nuncupatur pro decem marcis vendidimus perpetuo possidendam. Et ut hec vendicio perpetue firmitatis robur obtineat, presentem eis paginam nostri et domini abbatis Luknensis et Cenensis sigillis duximus munimine roborandam. Testes huius rei sunt: Henricus prior Luknensis et Lambertus portarius eiusdem domus, Frater Henricus de Veteri monte et frater Henricus infirmarius de Cenna, et frater Hermanus camerarius de Lynda, et frater Martinus superior de Paradiso, et frater Ervinus qui hanc paginam scripsit. Datum in Obra anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono.

Obra, *Obra.* Paradisus, *Paradyż.* Milostow, *Miłostowo.* Luknensis, *de Łekno.* Cenensis, *de Zinna.* Mons vetus, *Altenbergen.* Lynda, *Ląd.*

Nr. 381.

Bolezlaus dux Polonie Maioris 1259 s. d., in Usce; confirmat donationem quingentorum mansorum circa rivulum Ponikwa, monasterio Ordinis Cisterciensis in Dobryług a patre suo p. m. duce Wlodezlao factam.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabn. czerwon. przywieszona pieczęć połamana Bolesława księcia; (pieczęć XVI.)

Poznań. Königl. Staats Archiv. Blesen 1. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 45.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Cum, proh dolor, humane condicionis sit omnia sinistre intelligere et peius interpretari, et cum unusquisque rem proximi licet illicite concupiscat, necesse est ut res digna memorie scripto confirmetur, quo canescens antiquitas crebrius valeat renovari. Noverint igitur universi Christi fideles presentes et posteri ad quorum presenciam presens scriptum pervenerit, quod nos Bolezlaus Dei gracia dux Polonie Maioris, revolventes in animo piam et dignam donacionem patris nostri felicis memorie ducis Wlodezlai quam fecit ecclesie et Conventui in Doberluch Ordinis Cysterciensis, videlicet in mansis quingentis circa rivulum Poniqua et Socola dambroa et sicut circuitus est, prefatis fratribus in Doberluch eandem donacionem cum omni utilitate, scilicet agris, pratis, silvis et aquis, cum omni libertate et pleno iure tam proprietatis quam possessionis

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

tranquille possidendos, velut eciam in privilegio a patre nostro re . . *(4 lit. del.)* contineatur, confirmamus. Preterea villam forensem in bonis prefatis iure Teuthonico, et omnes villas alias eis concedimus locandas quocumque iure ipsi fratres fuerint decreti, ita ut omne iudicium magnum vel parvum ad claustrum ipsorum pertineat illesum. Ut igitur hec donacio simulque nostra confirmacio prefate ecclesie rata et inconcussa permaneat, presentem paginam sigilli nostri impressione fecimus communiri. Acta hec sunt in castro nostro Usce anno gracie Domini M.CC.LIX, Indictione prima.

Doberluch, *Dobryług*. Rivul. Poniqua, *Ponikwa rz.* Socola dambroa, *okolica m. Bledzew.*

Nr. 382.

Bolezlavus dux Polonie Maioris 1259 s. d., in Gnezna; confert Domui s. Sepulchri lacum de Dziechowo et mericam circa Czarnonosec et Witkowo.

Pergam. orygin. W dolnym założonym brzegu wcięcia poprzeczne od przywieszenia pieczęci.

Biblioteka X. X. Czartoryskich. Diplomata. — Nakielski, Miechovia f. 179.

In nomine Domini amen. Cum ad instar fluentis celeriter irreditura tempora deffluant, temporales illi deserviunt actiones; minus enim capiunt memorie minusque fidei, nisi robur accipiant a testimonio personarum vivencium, aut vivaci saltim a littera firmamentum. Inde est quod nos Bolezlavus Dei gracia dux Polonie Maioris notum facimus universis Christi fidelibus presentibus et posteris ad quorum presenciam presens scriptum pervenerit, quod perspecto fideli et utili servicio rectoris nostri fratris Andree Cruciferi, ad petitionem suam contulimus Domui sancti Sepulcri quendam lacum qui vulgariter Dechovo nuncupatur, et mericam circa Carnonosec et Vittovo versus Pomoraniam ex illa parte lacus nominati, pro remedio anime nostre et nostrorum predecessorum iure hereditario cum omnibus utilitatibus perpetualiter possidendum. In cuius rei testimonium, ne aliquis huic nostre donationi ausu temerario in posterum valeat contraire, presens scriptum sigilli nostri munimine confirmamus. Datum in Gnezna anno gracie Domini M.CC. quinquagesimo nono, presentibus istis: Nicholao preposito Kalisiensi, Mirostio cappellano ducis, Mathia scriptore, qui eciam de precepto ducis nominati hec conscripsit.

Lacus Dechovo, *t. j. pod wsią Dziechowo.* Carnonosec, *osada znikła.* Vittovo, *Witkowo.*

Nr. 383.

Boleslaus dux Polonie Maioris 1260 s. d., in Gnesna; confirmat collationem haereditatis Młodawsko a comite Mlodola, et silvae cum duobus lacubus Linia dictis, a milite Petro de Konin monasterio Paradyż porrectarum.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia pieczęci Bolesława księcia, która osobno zachowana; (pieczęć XVI.)

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B, 11. — *Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 48.*

In nomine sancte Trinitatis et individue Unitatis amen. Propter multimodas quibus mens humana inflectitur occupationes, earum rerum que gesta sunt sepius non meminit, et ne ad quod robur debet perpetuitatis sortiri veniat in oblivionem, necesse est idem scripturarum testimonio roborari. Nos igitur B. Dei gratia dux Polonie Maioris notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris scriptum presentis pagine inspecturis, quod comes Mlodola filius quondam Mlodole considerans se moriturum, sue anime ac posterorum suorum in perpetuum providens, ob spem mercedis vite eterne Deo et beate Marie in Gostichov, que et Paradysus dicitur, ac fratribus inibi conversantibus Cysterciensis Ordinis contulit hereditatem que vulgariter Mlodavsco nuncupatur, cum omnibus attinenciis suis iure hereditario absque ulla retractatione in perpetuum possidendam; quam donationem filius ipsius Iacobus nomine post obitum patris coram nobis et nobilibus nostris supradictis fratribus sollempniter sancxivit. Preterea eidem connectimus privilegio, quod miles noster Petrus de Cunin comuni usus consilio filiorum ac nepotum suorum, pro adipiscenda eterne beatitudinis gloria sepe nominate domui contulit quandam silvam cum lacubus duobus qui Lynya dicuntur, similiter hereditario iure in perpetuum possidendam; que silva predictorum fratrum adiacet hereditati que Milostovo vocatur. Ut igitur predictorum militum donacio ac nostra confirmatio propter frivole obviancium proterviam rata et inconvulsa perpetuo perseveret, sigilli nostri appensione dignum duximus roborandam ac baronum nostrorum qui interfuerunt testimonio, quorum hec sunt nomina: Predpelcus palatinus noster, Bogufalus castellanus Poznaniensis, Iohannes cancellarius noster, Sandivogius filius Falonis, Beniamin castellanus de Premunt, Nasan filius Bogute. Acta sunt hec in Gnesna anno Domini M.CC. sexagesimo, Indictione tercia.

Paradysus, *Paradyż.* Mlodavsco, *Młodawsko.* Cunin, *Konin.* Lynya, *Linie.* Milostovo, *Miłostowo.* Premunt, *Przemęt.*

Nr. 384.

Boleslaus secundus (sic) dux Polonie 1260 Apr. 24, Gnesne; confert comiti Nicolao suo succamerario haereditatem Wysoka cum pertinentiis, eamque plurimis privilegiis munit.

Warszawa. Archiw. główne. Ks. M. 84. fol. 34.

In nomine Domini amen. Ab humana facilius elabuntur memoria, que nec scripto nec voce testium confirmantur; ideo necesse est, ut res digna memorie scripto

perhenniter roboretur. Agnoscant igitur universi presentem chartam inspecturi, quod nos Boleslaus secundus (sic) Dei gracia dux Polonie, comiti Nicolao nostro succamerario hereditatem nostram que vulgariter Visoka nuncupatur cum villis seu prediis ad eam spectantibus, et superfluitate nemorum usque ad locum ubi fluvius Chuda appellatur in vulgari Valim, directe per metas infrascriptas, scilicet in Quieczko, in Lokovo, in Sczodre, in Klacino, in Piskorzdol, in Klepaczewlas, in Kamionki, in Paliecznicżam, in Radecznicżam, in Plocziczam, directe in Okuczite usque ad prefatum fluvium Chuda: considerantes ipsius servicia fidelia et nobis utilia, contulimus sibi suisque successoribus legittimis cum omnibus utilitatibus, solucionibus et serviciis que nunc sunt et processu temporis possunt exoriri, et cum omni iure vel dominio prout ad nos pertinebat, iure hereditario in perpetuum possidendam. Dantes eidem insuper et successoribus suis exactiones et servicia que nostro dominio dinoscuntur pertinere, videlicet naras, powos, przewod, podworowe, poradlne, bovem, vaccam, et alia eiusmodi necessaria in bonis predictis, sicut sibi circumferencialiter limitibus eadem assignamus. Concedimus eciam eidem et posteritati sue plenam libertatem municiones vel firmaciones quascunque edificari et construere in bonis nominatis. Preterea volumus, ut ampliori nostra gracia utatur idem Nicolaus cum posteritate sua, annuo servicio sint penitus liberi et soluti de bonis pretactis. Ceterum volumus, ut omnibus fluviis, stagnis, lacubus, lignis, pratis, pascuis, molendinis integraliter perfruatur, prout sibi et sue posteritati utilius videbitur expedire. In cuius rei testimonium presentem chartam sigilli nostri munimine duximus roborandam presentibus his testibus: comite Zegota venatore Calissiensi, magistro Petro archidiacono Poznaniensi, comite Gnewomiro castellano de Cbasin aliisque plurimis dominis. Datum Gnesne sequenti die beati Adalberti, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo.

Miejscowości powyższego dokumentu, wyraźnie nader błędnie w Metrykach odpisane, zaledwie z małem prawdopodobieństwem dają się odgadywać. Visoka, *jeżli jest wieś Wysoka p. m. Kiszkowo, wtenczas jest* fluv. Chuda, *rz. mała Wełna;* Valim, *a w prawie równobrzmiącem nadaniu Kazimierza króla r. 1366 d. 21 Marca z Gniezna, w téj saméj księdze Metryk odpisanem, nazwana* Valny, *rzeczka Wełna.* Quieczko, *może Raczkowo.* Lokovo, *może Skokowo, dziś Skoki.* Sczodre, *może Szczodrochowo.* Klacino, *może Kłodzin.* Piskorzdol, Klepaczewlas, *nie odgadnione.* Kamionki, *może Kamieniec.* Palieсznicza, *może Bliżyce.* Radecznicza, Plocziсza, Okuczite, *a w nadaniu Kazimierzowskiem* Ococite, *nie odgadnione. Jeżli zaś* Visoka *jest miasteczko Wysoka p. m. Wyrzyska, wtenczas byłaby* Fluv. Chuda, *rz. Łobżonka.* Valim, *czy* Valni, *nie odgadnione, lub może nazwa tegoż strum. po połączeniu się z strum. Rudna.* Quieczko, *może Skieczno.* Lokovo, *może Luchowo.* Sczodre, *nie odgadnione.* Klacino, *może Kleszczyn.* Piskorzdol, Klepaczewlas, Kamionki, Palieсznicza, *nie odgadnione.* Radecznicza, *Radzice.* Plocziсza, *nie odgadnione.* Okuczite, *czy* Ococite, *może Osiek. Wreszcie:* Cbasin, *Zbąszyń. Być też może, że* Visoka *jest dziś już nie istniejąca osada pomiędzy miastami Wieleń i Człopa; wtenczas* Fluv. Chuda *byłby Kotten Fliess,* Valim *zaś Buckow Fliess, strumień wpadający do rz. Noteć o 1 milę poniżéj m. Wieleń; następne miejscowości nie odgadnione, wyjąwszy* Okuczite, *które mogłoby być dziś Gr. Kotten. Dodać należy, że familia Guntersberg, na rzecz któréj nadanie Kazimierzowskie zostało wystawione, w XIII w. w téj okolicy była osiadłą.*

Nr. 385.

Comes Eustachius 1260 Jul. 1, Pozennan; confert una cum fratre suo com. Voyzesckone monasterio de Dobryług haereditatem Zemsko, ad construendum ibidem monasterium Ordinis Cisterciensis.

Pergam. orygin. Na sznurku jedwabn. czerwon. przywieszona pieczęć Eustachiusza; (pieczęć XIX).

Poznań. Königl. Staats Arch. Blesen 4.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Quoniam mortalium equa est conditio et hoc est in lege mortis, quod non plus diviti parcitur quam pauperi, nec vera sunt hominis bona que secum auferre non potest, ideoque nos, qui pre ceteris temporalium a Domino benedictionem accepimus, studio misericordie invigilare debemus, que sola comes fidelis est defunctorum. Eapropter nos comes Eustachius notum facimus tam futuris quam presentibus Christi fidelibus universis, quod una cum fratre nostro comite Voyzesckone, de bona voluntate ac pari consensu omnium heredum nostrorum, ad placandam nobis superni iudicis severitatem et animarum nostrarum remedium, ac coniugum nostrarum et filiorum nostrorum simul et progenitorum nostrorum salutem, ecclesie et Conventui de Doberluch Cisterciensis Ordinis hereditatem que vulgariter Zambercz vocatur: que quondam iure hereditario ad progenitores nostros pertinebat, ac iterato, presidente iudicio felicis memorie domino duce Primizlone, coram comitibus terre propter damna et iniurias nobis a comite Stephano de Wirbena et filiis suis illatas, Polonicali iure post trinam citationem per sentenciam comitum requisivimus et in possessionem introducti fuimus, ac eandem longo tempore tranquilla pace possedimus: cum omni utilitate in agris, pratis, silvis, aquis, piscationibus, mellificiis, et cum omni libertate et pleno iure tam proprietatis quam possessionis tranquille possidendam contulimus in hunc modum, ut in predicta hereditate claustrum Ordinis eorum construatur, ubi Deo omnipotenti die noctuque divina obsequia secundum statuta et consuetudinem Ordinis eorum persolvantur. Ut igitur hec nostra donatio prefate ecclesie de Doberluch rata permaneat et inconvulsa, presentem paginam sigillorum nostrorum munimine fecimus insigniri, suppositis eciam testibus fidedignis quorum nomina sunt hec: comes Predeploc palatinus, comes Herkenboldus palatinus, comes Goslavus castellanus de Sanctoch, comes Andreas castellanus de Vilenen, comes Beniamin castellanus de Premunt, comes Svantemir castellanus de Mezeriz, comes Iheroslavus de Corsike, Mathias notarius curie et alii quam plures. Acta sunt hec in Pozennan anno Domini M.CC. sexagesimo in octava Iohannis Baptiste.

Doberluch, *Dobryług.* Zambercz, *Zemsko.* Wirbena, *dziś z niemiecka Würben.* Sanctoch, *Santok.* Vilenen, *Wieleń.* Premunt, *Przemęt.* Mezcriz, *Międzyrzecz.* Corsike, *Kursko.*

[illegible]

Nr. 386.

Kazimirus dux Landchicie etc. 1260 Jun. 13, in Tusine; confirmat monasterio de Sulejów possessionem villae Straszkow, quam contulerat eidem monasterio: **Wlodislaus pie recordacionis Odonis filius dux Polonie 1232 Jul. 3, in Posnania.**

Rzyszczew, Muczkow. Cod. diplomatic. Polon. I, Nr. 48. (Z pergam. orygin., u którego pozostał sznurek jedwabny czerwony od przywiesz. pieczęci).

Noverint universi ad quos presentes littere pervenerint, quod nos Kazimirus Dei gracia dux Landchicie et Cuiavie, ordinacione facta cum nobili viro B. duce Polonie de villis vel hereditatibus pertinentibus ad naaroch de Wilem, possessores earum omnes fecimus coram nobis comparere, scire volentes, quo modo vel qua ratione ad eos possessiones devenissent. Inter quos venerabilis pater dominus abbas de Syliov comparuit, privilegium pie recordacionis Wlodiszlavi filii Odonis ducis Polonie integrum et illesum de villa que Strasewiz dicitur, que ad dictum naaroch pertinebat, nobis offerens sub hac forma: (*Sequitur diploma Nr. 138*).

Et quia donaciones et vota fidelium a successoribus legittimis debent teneri fideliter et servari, dictam villam domui supradicte confirmamus et sigilli nostri munimine roboramus. Acta sunt hec anno Domini M.CC.LX. Idus Iunii, in Tusine. Testes: Wictco thesaurarius noster, Benedictus subiudex, Thomas subdapifer.

Wilem, *Wieleń, lub też nazwa dawna zamku nad rz. Warta p. m. Koło, którego grunta były r. 1520, jak się to okazuje z: Liber beneficiorum Ioh. de Lasko, przyległe wsi Gozdów.* Strasewiz, *Straszkow.* Tusine, *Tuszyn.*

Nr. 387.

Boleslaws dux Polonie Maioris 1260 Jul. 1, Pozennan; confirmat donationem haereditatis Zemsko, a comitibus Eustachio et Voyzesckone monasterio de Dobryług ad construendum ibidem monasterium Ordinis Cisterciensis factam.

Pergam. orygin. Na sznurku jedwabnym czerwon. ułamki przywieszonéj pieczęci Bolesława księcia; (pieczęć XVI).

Poznań. Königl. Staats Arch. Blesen 5. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 47.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Cum, proch dolor, humane sit conditionis omnia sinistre intelligere et peius interpretari, et cum unusquisque rem proximi licet contra preceptum Domini concupiscat, necesse est ut res digna memorie scripto confirmetur, quo canescens antiquitas crebrius valeat renovari. Noverint igitur universi Christi fideles presentes et futuri ad quorum noticiam presens scriptum pervenerit, quod nos Boleslaws Dei gracia dux Polonie Maioris presentibus protestamur, quod comes Eustachius et comes Voyzescko frater eius, de bona voluntate ac pari consensu omnium heredum eorum, hereditatem que vulgariter Zambercz vo-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

catur, quam in presencia felicis memorie fratris nostri ducis Primizlonis propter damna et iniurias a comite Stephano de Wirbena et filiis suis eis illatas, que eciam predecessorum ipsorum fuerat, post trinam citationem Polonicali iure per sententiam comitum requisierunt et per nuncios ipsius introducti tranquilla pace possederunt, ecclesie et Conventui in Doberluch Cisterciensis Ordinis pro animarum suarum et parentum nec non heredum suorum remedio, in elemosinam cum omni libertate et pleno iure tam proprietatis quam possessionis tranquilla pace possidendam contulerunt in hunc modum, ut in predicta hereditate claustrum Ordinis eorum construatur, ubi Deo omnipotenti die noctuque divina obsequia secundum statuta et consuetudinem Ordinis eorum persolvantur. Ut autem fratres qui ad supradictam hereditatem transmittendi sint plenius consolentur et ampliori gaudeant libertate, volumus ut famuli Christi ibidem habitantes, omnibus utilitatibus, videlicet aquis, silvis, agris, pratis, pascuis, piscationibus, mellificiis et si que alie utilitates sint vel erunt, libere perfruantur. Contulimus eciam eisdem fratribus in sepe dicta hereditate villas locare Tetunicas quocunque iure ipsi fratres fuerint decreti, ita ut omne iudicium ad claustrum ipsorum pertineat illesum. Ut autem hec donatio firma et inconvulsa permaneat, presentem paginam sigilli nostri munimine in testimonium et firmamentum dignum duximus roborandam, suppositis eciam testibus fidedignis quorum nomina sunt hec: comes Predeploc palatinus, comes Herkenboldus palatinus, comes Gosslavus castellanus de Sanctoch, comes Andreas castellanus de Vilenen, comes Beniamin castellanus de Premunt, comes Svantemir castellanus de Mezeriz, comes Iheroslavus de Corsike, Mathias notarius curie et alii quam plures. Acta sunt hec in Pozennan anno Domini M.CC. sexagesimo in octava beati Iohannis Baptiste.

Zambercz, *Zemsko.* Wirbena, *dziś z niemiecka Würben.* Doberluch, *Dobryług.* Sanctoch, *Santok.* Vilenen, *Wieleń.* Premunt, *Przemęt.* Mezeriz, *Międzyrzecz.* Corsike, *Kursko.*

Nr. 388.

Kazimirus dux Lancicie et Cuiavie 1260 Aug. 3, in Lancicia; confirmat donationem fluvii Warta iuxta Uniejow, paulo ante ecclesiae Gneznensi pro tempore factam.

Pergam. orygin. Na sznurku jedwabn. czerwon. przywieszona pieczęć Kazimierza, księcia Łęczyckiego, przedstawia męża zbrojnego zwróconego w lewo, który mieczem przebija smoka; po za niem wieża.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 29.

In nomine Domini amen. Quoniam propter tractum temporis longevi sepius deficit sufficiencia probacionis, et sic veritas, falsitatis inimica, plurimum in dubium revocatur si litterarum testimonio vel testium subscriptione lucidius non roboratur, noverint igitur universi tam presentes quam futuri hanc paginam inspecturi, quod nos Kazimirus Dei gracia dux Lancicie et Cuiavie, donacionem fluvii iuxta Uneov, quam olim pro tempore venerabili patri Fulconi pie memorie Gneznensi archiepiscopo feceramus, nunc presentibus innovantes, reverendo in Christo patri domino Ianussio miseracione divina Gneznensi archiepiscopo cum castoribus et aliis utilitatibus con-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

ferimus et confirmamus, sibi, ecclesie Gneznensi suisque successoribus hereditario iure pacifice ac quiete in perpetuum possidendam, quam eciam ad maiorem rei evidenciam gadibus fecimus comuniri. Et quia probacionum copia scpius subtrahitur et veritas obscuratur, presentem litteram in huius rei perpetuam memoriam sigilli nostri caractere fecimus roborari. Datum in Lancicia in die Invencionis sancti Stefani protomartiris, anno Verbi incarnati M.CC. sexagesimo, Indictione tercia, III Nonas Augusti.

Fluvius iuxta Uneov, *t. j. Warta rz.* Uneov, *Uniejow.*

Nr. 389.

Boleslavus dux Polonie 1260 Nov. 14, Kalis; vendit civitati Kalisz pascua Mecwade.

Pergam. orygin., u którego przez dwa wcięcia poprzeczne pasmo nici jedwabn. żółt. przewleczone.

Kalisz. Arch. Rządowe. Diplomata.

In nomine Domini amen. Licet acta hominum evidenti noticie subiaceant singulorum, consveverunt tamen processu temporis, cum testes defuerint, calumpnia novercari; ideoque necesse est, acciones legittimas per scripti continenciam et testium subnotacionem transmitti in noticiam posterorum. Notum igitur facimus universis presentibus et futuris ad quos pervenerit presens scriptum, quod nos Boleslavus Dei gracia dux Polonie, ad communem civitatis nostre Kalis civiumque omnium ibidem utilitatem, pro pascuis decem mansos, sitos inter viam Thorunensem et eam que ducit in Cocanino protensosque usque ad limites de Cocanin et Borcow, pro XIIcim marcis argenti vendidimus, ab eis et ab omni posteritate eorundem iure hereditario libere in perpetuum possidendos: vulgari autem nomine eadem pascua Mecwade nuncupantur. Si quid quoque decem numerum mansorum excedens residuum fuerit, illud redimere tenebuntur. Ut hec igitur vendicio effectum perpetuum sortiatur, nec a nobis nostrisque successoribus aliquatenus infringatur, hanc litteram nostri sigilli munimine fecimus communiri. Datum Kalis anno Domini M.CC.L.X, XVIII Kalendas Decembris, domino Mathia nostro notario existente.

Cocanin, *Kokanin.* Borcow, *Borków.*

Nr. 390.

Bolyslaus dux Polonie Maioris 1261 s. d., Poznanie; confert monasterio de Lubiąż lacus Dominik et Buszkowo.

Transsumpt oryginalny potwierdzony przez: Georgius Fulschussil 1396 Jan. 31, in Consistorio in Summo Wratislavie; *z pergam. orygin., u którego na niciach jedw. czerwon. była przywieszona pieczęć Bolesława księcia;* (pieczęć XVI).

Wrocław. Königl. Staats Arch. Leubus 376. — Poznań, Königl. Staats Arch. Leubus 2, (kopja).

In nomine Domini amen. Ut in nostris gesta temporibus perpetue stabilitatis robur obtineant et ad nasciture posteritatis noticiam pertingant, salubriter maturo

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

consilio provisum est, res sollempniter gestas sigillatis apicibus eternari. Nos igitur Bolyslaus Dei gracia dux Polonie Maioris notum facimus universis tam presentibus quam futuris ad quorum audienciam presens scriptum deferetur, quod ob Domini nostri Ihesu Christi glorioseque virginis Marie matris eius reverenciam et honorem: quibus semper obsequiosos esse cupimus et nostram eis tot totam offere devocionem, quam de ipsorum mereri valemus benignitate et gracia: in salutem nostram ac in remedium peccaminum nostrorum et progenitorum nostrorum, lacus nostros Dominicz et Luchowo vulgariter nuncupatos in districtu Premantensi situatos, cum omnibus pertinenciis suis videlicet silvis, agris, pratis, pascuis, paludibus et rubetis prout ad dictos lacus antiquitus pertinebant, claustro sancte Marie in Lubens et domino abbati et fratribus ibidem Ordinis Cisterciensis Wratislaviensis dyocesis, de bona et mera voluntate nostra nec non de consensu ac de maturo consilio nostrorum baronum, sine omni lesione nostra nostrorumque successorum dedimus, donavimus et contulimus, damus, donamus et conferimus presentibus, libere et pacifice in perpetuum iure proprietatis tamquam bona ecclesiastica possidendos, tenendos et in usus beneplacitos convertendos, prout predicto domino abbati suisque fratribus prefati monasterii Lubens videbitur utilius expedire. Ut igitur nostra donacio inconvulsa presanetur, eandem hic conscriptam principatus nostri auctoritate duximus roborandam et nostro sigillo nichilominus muniendam. Acta sunt hec Poznanie anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo primo, presentibus hiis testibus: domino Iohanne cancellario, comite Pretpolkone palatino Poznaniensi, comite Boguphalo castellano Poznaniensi, comite Iankone castellano Kalisiensi, comite Andrea iudice curie, comite Bozata castellano de Sbansin, et aliis quam pluribus fide dignis.

Lacus Dominicz, *jezioro Dominik.* Lacus Luchowo, *pewnie mylnie zam. Buchowo, czyli Buszkowo.* Premantensis, *de Przemęt.* Lubens, *Lubiąż, z niemiecka Leubus.* Sbansin, *Zbąszyń.*

Nr. 391.

Boleslaus dux Polonie Maioris 1261 Jun. 30, in Poznan; confirmat donationem hereditatis Sroczewo, a comite Jarostio filio quondam Falonis, monasterio Paradyż certa conditione collatae.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia pieczęci Bolesława księcia, która osobno zachowana; (pieczęć XVI).

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B, 12. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 49.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Propter varias quibus mens humana inflectitur occupationes, earum rerum que gesta sunt, que eciam memoria indigent sepius non meminit; unde, ne id quod robur debet perpetuitatis sortiri veniat in oblivionem, necesse est idem scripto aut probabilium virorum testimonio roborari. Nos igitur B. Dei gracia dux Polonie Maioris notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspicientibus, quod comes Iarostius filius quondam Falonis, tempore vite sue propria ac bona voluntate sua sue anime et posterorum suorum in perpetuum providens, Deo et beate Marie in Go-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

stichov, que etiam Paradysus dicitur, ac fratribus inibi conversantibus Cysterciensis Ordinis contulit hereditatem que Srocevo vulgariter nuncupatur, post obitum suum cum lacubus compertinentibus et ceteris omnibus attinentiis iure hereditario absque ulla retractacione possidendam; ita tamen, ut si post obitum eius uxor ipsius voluerit in viduitate sua permanere nec se alias transtulerit, in ipsa hereditate permanebit usque ad diem mortis sue, omnibus utilitatibus predicte hereditatis fruendo. Post cuius migrationem ex hac vita, sepius nominata hereditas supradicte domui iure perpetuo cedet, nullo umquam obstante vel contradicente. Ut igitur hec nostra confirmacio ac predicti comitis donatio rata et inconvulsa maneat perhenniter, presentem paginam sigilli nostri appensione, ac baronum nostrorum qui interfuerunt testimonio dignum duximus roborandam; quorum hec sunt nomina: Predpelcus palatinus, Harkemboldus palatinus, Martinus castellanus de Mazirecs, Venceslaus filius Laurentii, et alii quam plures incliti Polonie. Acta hec sunt in Poznan sequenti die apostolorum Petri et Pauli, anno autem gratie millesimo ducentesimo sexagesimo primo, Indictione quarta.

Paradysus, *Paradyż*. Srocevo, *Sroczewo*. Mazirecs, *Międzyrzecz*.

Nr. 392.

Boleslaus dux Polonie Maioris 1261 s. d., in Ovensco; confirmat collationem haereditatis Kamionka, monasterio Paradyż a militibus Ninogneo et Vislao, filiis quondam Raciborii, factam.

Rogalin. Biblioteka. Paradis. Lib. privil. Nr. 41.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Quoniam acta mortalium sepe oblivione obfuscantur nisi scriptis autenticis et fideli testimonio insigniantur, eapropter nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie Maioris notum esse volumus tam presentibus quam futuris presentem paginam inspicientibus, quod milites nostri Ninogneus et Vislaus filii quondam Raciborii, communi utentes consilio, propria ac bona voluntate sua ob remedium animarum suarum ac posterorum suorum, Deo et beate Marie virgini in Gostichov que et Paradisus dicitur ac fratribus inibi conversantibus Cisterciensis Ordinis contulerunt hereditatem que vulgariter Camonca nuncupatur, cum omnibus attinentiis suis iure hereditario et absque ulla retractacione possidendam, que sita est in districtu Camone et adiacet terminis sylve predictorum fratrum, quam a fratre nostro pie memorie duce Premislo in concambium susceperunt. Ut igitur hec nostra confirmacio ac predictorum militum fidelis donacio rata et inconvulsa maneat perpetuo, nullo unquam obstante vel contradicente, presentem paginam sigilli nostri munimine dignum duximus muniendam, presentibus nichilominus baronibus nostris quorum hec sunt nomina: Predpelcus palatinus noster, Beniamin castellanus de Premant cum fratre suo Wenceslavo, Vincencius filius Nemere, Dobrogostius filius Vincentii, Matthia notario nostro. Acta sunt hec in Ovensco anno gracie millesimo ducentesimo sexagesimo primo, Indiccione IIII.

Paradisus, *Paradyż*. Camonca, *czyli Zawłostowo, niegdyś osada pod wsią Kamionna, dziś znikła*. Camona, *Kamionna*. Premant, *Przemęt*. Ovensco, *Owińska*.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 393.

Bolezlavus dux Polonie 1261 Dec. 10, in Sechowa; confirmat collationes haereditatum et libertatum, monasterio de Ląd a Meschone duce Poloniae a. 1145 occasione fundationis ipsius factas, eisque pro sua parte novas adiicit.

Poznań. Königl. Staats Archiv. Ląd, Lib. privil. B, Nr. 4. (cnfr. diploma Nr. 10, i Ryszczew. Muczkow. Codex diplom. Poloniae I, Nr. 1).

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Quoniam factum omne modernorum haberi solet dubium quod non litterarum apicibus roboratur, ideo nos Bolezlavus dux Dei gracia Polonie mandavimus fratribus domus Landensis Ordinis Cisterciensium, ut nobis super fundacione eiusdem domus sua privilegia exhiberentur. Quibus cum qua diligencia decet examinatis, certo cercius comperimus in eisdem, quod proavus noster Mescho, magnus Dei gracia dux Polonie, premissa domo fundata anno Domini M.C.XL.V, pro sustentacione fratrum ibidem Deo famulancium, ad honorem Domini nostri Iesu Christi et gloriose genitricis eiusdem semper virginis Marie, erogavit predicte domui has hereditates cum hominibus simul et cum omnibus utilitatibus tam presentibus quam futuris: videlicet Koscol ubi concessit esse forum omni libertate plenum, Dolan, Moscho, Cloba, Gocszene. Istarum vero villarum homines tenentur singuli solvere in festo sancti Michaelis LX manipulos siliginis, modium avene, mensuram tritici, tres urnas brasei, quinque capecia annone metere, tria plaustra feni totidemque lignorum, duos truncos de pino; per tres continuos dies cum tota familia segetes purgare, per unum diem singuli triturare, tres kitas lini dare. Contulit et has subnotatas hereditates cum hominibus et omnibus utilitatibus tam presentibus quam futuris: Szethowo cum cocis, Rzgowo cum sanctuariis et stabulariis, Grabienice cum camerariis, Slavsko cum piscatoribus, Wiramowo, Kwaskowo, Chozen, Staralanka, Swiniarowo. Homines vero predictarum villarum tenentur rete trahere inter Seradz et Wladislav; per totam Poloniam, cum necessitas fratrum exegerit, tam equestres quam pedestres, mandata eorum dirigere. Indulsit eciam ut piscatores et venatores predictorum fratrum, piscatores et venatores suos ac posterorum suorum ubique piscando ac venando libere sequantur. Dedit eciam ad lumina acquirenda prefatis fratribus tria fora cum tabernis, videlicet Glev, Thur et Sobotka. Voluit eciam tabernarios predictarum villarum nusquam citari, nisi coram abbate. Quia vero donum Deo collatum legibus principum subiacere non debet, absolvit omnes homines in premissis villis commorantes a powoz, ab omni prewod, a stroza, a dan, naraz, podworowe, targowe, mostne, a castrorum edificio seu poncium quorumlibet, a recepcione vel custodia aut conductu castorariorum, a custodia et solucione erodiorum quod sokol dicitur, a vicinia quod opole vulgariter nuncupatur, ab omni exactione sive collecccione, a vecturis et expedicionibus, et ab omnibus iuribus in Polonia constitutis, quibuscunque censeantur nominibus. Nulli ergo iudicum aut castellanorum scitandi seu iudicandi in prefatis hominibus vel villis eorum ius aliquod reservans. Verum, quia temporis antiquitas res que servando servari nequeunt non sinit statu persistere in eodem, verendumque foret ne, predicto privilegio proavi nostri nimia vetustate consumpto, in posterum iam dicte domui preiudicium generaretur, nos ergo progenitorum nostrorum devocionem pio affectu prosequentes, premissas hereditates cum hominibus ac libertatibus super scriptis confirmamus, in nostram

[illegible]

[redacted]

preterea defensionem suscipientes hereditates per nobiles Polonie ipsis hereditario iure collatas, scilicet Skarbossewo, Marcinkowo, Iarossyno, Gorzyza, Zagorowo, Skokom, Olcszyno. Et ob remissionem nostrorum peccaminum absolvimus omnes homines in prefatis villis commorantes, asscripticios, liberos, ac mercenarios in curiis eorum servientes, ab omni iure Polonicali et a colleccione quod powolne (sic) dicitur. Contulimus eciam fratribus sepedictis aquam Wartam cum rivulis adiacentibus, a terminis antiqui castri usque in Dretino episcopi et in alia parte usque in Capayn, cum piscationibus, utilitatibus et castoribus iure hereditario possidendam. Ut autem hoc nostrum factum in honorem Dei sancteque genitricis eiusdem semperque virginis Marie ratum inviolabiliter observetur, presentem cedulam sigilli nostri munimine duximus roborandam, ita videlicet, ut si, quod absit, aliquis posterorum nostrorum vel eciam alienorum huic nostro facto ausu temerario contraire presumpserit, indignacionem Dei omnipotentis nec non beatorum apostolorum Petri et Pauli atque omnium Sanctorum se noverit incursurum. Actum in Sechowa anno Domini M.CC.LXI, quarto Idus Decembris. Adest et fidelium testium astipulacio: Iohannes Dei gracia archiepiscopus Gnezdnensis, Iohannes cancellarius, Erkenboldus Gnezdnensis palatinus, Simon castellanus Gnezdnensis, Matheus Landensis castellanus, Matheus noster notarius, qui et presentem cedulam sigillavit.

Landensis, *de Ląd.* Koscol, *Kościół św. Mikołaja, miejsce, na którem późniéj stanęło. m. Lądek.* Dolan, *Dolany.* Moscho, *w Nr. 10* Morsk, *Mokra, osada znikła p. m. Kazimierz, lub też Mokre p. m. Rychwał.* Cloba, *Kłobia.* Gocszene, *jak się późniéj okazuje Choceń.* Szethowo, *Szetlewo.* Coci, *t. j.* Villa coquorum, *Kuchary Kościelne.* Rzgowo, *Rzgów.* Sanctuarii, *t. j.* Villa Sanctuariorum, *Świątniki.* Stabularii, *może znikła osada Obory.* Grabienice, *Grabienice.* Camerarii, *może znikła osada Komorniki.* Slavsko, *Sławsk.* Piscatores, *może osobna, znikła osada Rybitwy.* Wiramowo, Kwaskowo, *nie odgadnione.* Chozen, *Chorzeń.* Staralanka, Swiniarowo, *nie odgadnione.* Seradz, *Sieradz.* Wladislav, *Władysławów.* Glev, *pewnie Galewo.* Thur, *Tury.* Sobotka, *Sobotka.* Skarbossewo, *Skarboszewo.* Marcinkowo, *późniéj zmienione na Kowalewo.* Iarossyno, *Jaroszyn.* Gorzyza, *Gorka.* Zagorowo, *Zagurów.* Skokom, *Skokum.* Oleszyno, *pewnie Oleśnica.* Antiquum castrum, *stało obok klasztoru Ląd.* Dretino episcopi, *Drążyn.* Capayn, *Kopojno.* Sechowa, *Czechowo, lub też Szetlewo.*

Nr. 394.

Bolezlaus Maioris Polonie dux 1262 Jan. 29, in Ivanovich prope Dancov; confert monasterio s. Clarae in Zawichost haereditates Mykanow, Rybno et Pławno, easque pluribus libertatibus munit.

Fr. Piekosiński, Kod. dyplomat. Małopolski, Nr. 56. (Z pergam. orygin., u którego na paśmie jedwab. żółt. przywieszona Bolesława księcia pieczęć XVI.)

In nomine Domini amen. Quia condicionis humane inminente necessitate ac mortis casu, cunctis obeuntibus et gubernacionis beneficio aliis succedentibus, quantumcunque publice vel sollempniter acta, temporis invitabilitate et plurima distancia futurorum evadunt memoriam si non instrumentorum serie fuerint declarata, hinc est quod nos Bolezlaus Dei gracia Maioris Polonie dux universis Christi fidelibus in



omne seculum, presens pariter et futurum, presentibus facimus manifestum, quod dum in conspectu nostro semper proponentes a quo paternorum principatuum gubernaculo possidemus, et predecessorum nostrorum pio affectu devotis inherentes vestigiis, monasterio Ordinis sancte Clare in Zavichost, fundato pro sustentacione sororum et specialiter pro solacio illustris domine sororis Salomee Ordinis eiusdem, quam tamquam matrem pio veneramur affectu, hereditates in nostro ducatu sitas, que Micanov, Ribna, Plavanov nuncupantur, cum omni iure ducatus perpetuo contulimus possidendas, volentes quod homines dictarum villarum, et si que plures locate fuerint ibidem, a nostrorum palatinorum, castellanorum et aliorum iudicum presencium et futurorum iudiciis sint exempti. Quos eciam ab omnibus exactionibus et solucionibus terre inflictis, seu pro aliqua necessitate vel utilitate postmodum inflingendis excipientes, a strosa et stan et povoz et prevod et povolove, et aliis servitutibus, quocumque nomine heedem servitutes censeantur, liberos facimus et inmunes: adicientes, quod predictas hereditates locandi iure Thetonico, construendi molendina, thabernas edificandi, venandi castores et omnes alias bestias capiendi, plenam habeant facultatem. Ne igitur huiusmodi nostra donacio tractu temporis in oblivionem possit deduci, in robur et memoriam supradictorum presentem litteram nostro sigillo duximus communiendam. Acta sunt autem hec in Ivanovich prope Dancov, anno Domini M.CC.LXII, Indictione quinta, IIII Kalendas Februarii, presentibus testibus hiis: domino Bolezlao Cracoviensi et Sandomiriensi duce, domino Ianusio archiepiscopo Gnezdnensi, Iohanne cancellario Polonie, Herkebolto palatino Kalisiensi, Iohanne castellano Kalisiensi, Symone castellano Gnezdnensi, Fulcone cancellario Cracoviensi Adam castellano Cracoviensi, Sulcone palatino Cracoviensi, et aliis quam pluribus clericis et laycis.

Zavichost, *Zawichost.* Micanov, *Mykanow.* Ribna, *Rybno.* Plavanov, *Pławno.* Ivanovich, *Iwanowice.* Dancov, *Dankow.*

Nr. 395.

Boleslaus dux Polonie 1262 Apr. 24, in Gnezna; confirmat commutationem hereditatis comitis Blisborii dictae Wierzbno, quam amplissimis munit privilegiis, pro hereditatibus monasterii de Ląd, dictis Twardowo et Bielejewo.

Poznań. Königl. Staats Arch. Ląd, Lib. privil. A, Nr. 5.

In nomine sanctissime et individue Trinitatis amen. Sicut fragilitas conditionis humane mortem nequit vitare temporalem, sic nec ullum actum qui in fluctuoso geritur tempore robur firmitatis valet obtinere, nisi scripto confirmetur et sigilli munimine roboretur. Hinc est quod ego Boleslaus divina gratia dux Polonie notum facio tam presentibus quam futuris, me commutasse hereditatem comitis Blisborii que Virbena dicitur cum omnibus attinentiis suis, de bona voluntate et consensu ipsius Blisborii, que iacet iuxta metas fratrum domus Landensis, pro duabus hereditatibus ipsorum fratrum, quarum una Twardowo alia Beleicvo dicitur. Ego autem affectum quem circa prefatam domum semper habui augere cupiens, et abundantiori cautela predictis fratribus in longinquum providens, volo prefatam villam cum incolis eiusdem, propriis sive liberis, exemptam fore et liberam a powoz, ab omni prewod, a stroza,

[illegible]

[redacted]

a dan, naraz, podworowe, targowe, mostne, castrorum edificio seu pontium quorumlibet, a receptione seu custodia vel conductu castorariorum, a vicinia quod opole dicitur vulgariter, a custodia vel solutione crodiorum quod sokol populariter nuncupatur, et ab omnibus exactionibus, solutionibus, expeditionibus vel iuribus in Polonia constitutis, quibuscunque censeantur nominibus. Iudiciorum nichilominus omnium, ut est de contentione, percussione, membrorum mutilatione, sive etiam capitis abscisione, ut maiorem circa Deum in tremendo iudicio fiduciam habeam, prefatis fratribus per suum iudicem hec exequenda liberam auctoritatem trado; nulli ergo castellanorum aut iudicum sive scitandi seu iudicandi in ipsa villa ius aliquod reservans. Et ut hoc factum meum in honorem Dei sancteque genitricis eiusdem semper virginis Marie robur perpetue firmitatis obtineat, presentem paginam in huius rei testimonium sigilli mei appensione feci roborari. Datum et actum in Gnezna in crastinum sancti Adalberti anno Domini M.CC. sexagesimo secundo. Adest et fidelium testium astipulatio: Iohannes cancellarius ducis, palatinus Prodpolko, comes Simon Gneznensis castellanus, Iohannes Calisiensis castellanus, ipse comes Blisborius, Matheus maior (sic), notarius, Henricus procurator Gneznensis et alii quam plures.

Virbena, *Wierzbno.* Landensis, *de Ląd.* Twardowo, Bielejewo, *dziś tak samo.*

Nr. 396.

Boleslaus dux Polonie 1262 Apr. 26, in Gnezna; concedit Ianussio archiepiscopo Gneznensi liberam potestatem locandi villas seu civitates iure Theutonico.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Regestr. privilegior. Vladislai canonici Gnezn. fol. 9a.

In nomine Domini nostri Iesu Christi amen. Quoniam mundus caducus est et in diversis cottidie casibus variatur, idcirco necesse est acciones legitimas que memoria indigent, per scripti continentiam in notitiam transmitti posterorum. Noverint igitur universi presentes et posteri, quod nos Boleslaus Dei gratia dux Polonie predecessorum nostrorum idonei imitatores cupientes fieri, presertim in hiis que ad honorem Dei et ecclesiasticam utilitatem facta seu data esse noscuntur, ob reverentiam Dei et beati Adalberti, pro nostra nostrorumque salute, inspecto etiam erga nos venerabilis patris Ianussii Gneznensis archiepiscopi fideli servicio, eidem archiepiscopo contulimus et confirmamus liberam potestatem locandi villas seu civitates iure Theotonico, quarum coloni ab omni nostra et nostrorum iurisdictione sint exempti. Ut autem hec nostra donatio perpetue firmitatis robur optineat, presentem paginam nostri munimine sigilli fecimus roborari. Datum in Gnezna in crastino beati Marci ewangeliste anno gracie millesimo CC. sexagesimo secundo, Indictione quinta, in ecclesia beati Adalberti, et Ffalanta decano Gneznensi, fratre Petro, fratre Vitali de Ordine Predicatorum presentibus.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 397.

Boleslaus dux Polonie 1262 s. d., in Gnezna; confirmat venditionem hereditatis Zodyn, quam miles Mistigneus, filius quondam Mistignevi, monasterio de Obra resignaverat.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia pieczęci Bolesława księcia, która osobno zachowana; (pieczęć XVI).

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B. 14. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 50.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Quoniam acta mortalium sepe oblivione obfuscantur nisi scriptis authenticis et fideli testimonio insignientur, eapropter nos Boleslaus Dei gratia dux Polonie notum facimus tam presentibus quam futuris hoc scriptum cernentibus, quod miles noster Mistigneus nomine, filius quondam Mistignevi, communi usus consilio fratrum suorum, scilicet Sandivogi et Visslavi, venerabili viro domino Petro abbati de Obra nec non et Conventui eius hereditatem vendidit que vulgariter Sodine nuncupatur, cum adiacente quadam sorte que Moravce nominatur, pro summa quadraginta duarum marcarum, que sibi a progenitoribus suis iure successerant, cum omnibus attinenciis earum iure hereditario absque ulla retractatione vel redemptione perpetuo possidendas; quam venditionem coram nobis publicavit. Una, prefati milites et abbas in presencia nostra constituti, ad confirmationem huius venditionis tali vadimonio se ad invicem oppignarunt: ut si quis ex ipsis vel cognatis eorum hanc venditionem vel emtionem temeraria presumptione infringere attemptaverit, aggrediens prius nobis quadraginta, et aggresso similiter quadraginta marcas persolvet argenti, et post hec ad initiandam litem pro requirenda hereditate vel summa pecunie, scilicet quadraginta duarum marcarum, admittetur. Ut igitur hec nostra confirmatio et predicti militis venditio ac supra nominati abbatis emptio rata et inconvulsa maneat perpetuo, ad sepe nominati militis petitionem hanc paginam iussimus conscribi et sigilli nostri appensione communiri. Acta sunt hec in Gnezna anno Domini M.CC. sexagesimo secundo, Indictione quinta.

Obra, *Obra.* Sodine, *Zodyń.* Moravce, *niegdyś osada okolicy miasta Wolsztyn, dziś znikła.*

Nr. 398.

Urbanus Pp. IV 1262 Apr. 27, Viterbii; personas et bona sororum monasterii de Ołobok sub protectionem beati Petri et suam suscipit.

Transsumpt orygin. potwierdzony przez: Philippus Firmanus episcopus etc. 1282 Jun. 2, apud Velun.

Poznań. Towarzystwo Przyjac. Nauk. Diplomata.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus.. abbatisse ac monialibus monasterii de Olebech Cisterciensis Ordinis Gneznensis dyocesis salu-



tem et apostolicam benedictionem. Iustís petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, et vota que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter dilecte in Domino filie, vestris iustis petitionibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipate, cum omnibus bonis que in presentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum iustis modis prestante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostram protectionem suscipimus. Specialiter autem terras, possesiones, redditus ac alia bona vestra, sicut ea iuste ac pacifice possidetis, vobis et per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Viterbii quinto Kalendas Maii, pontificatus nostri anno primo.

Olebech, *Ołobok.*

Nr. 399.

Boleslavus dux tocius Polonie 1262 s. d., in Gnezna; libertates, villae monasterii de Lubin dictae Krzywin concessas, confirmat.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B. 13. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 51.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Ne igitur quod agitur in tempore cum evolutione temporis a memoria evanescat, apicum caracteribus solet eternari. Quam ob rem presentibus et futuris presentem paginam inspecturis innotescat, quod nos Boleslavus divina miseratione dux tocius Polonie salubriter cogitantes de salute anime nostre, et sperantes de misericordia Dei nos in celis metere quod seminaremus in terris, pro reverencia beate Marie semper virginis et preclaris meritis domini Iacobi abbatis de Lubin et omnium fratrum ibidem Deo servientium, confirmamus libertatem in villa que Crivin vulgariter nuncupatur, ut videlicet nullus in ea nomine nostro vel etiam alicuius nomine nostri castellani, seu nomine alterius cuiusquam potestatis iudiciariam sibi usurpet auctoritatem, aut sub aliquo pretextu thelonei, aut homicidium sive aliquam aliam sibi vendicet solutionem aut exactionem: sed in horum et aliorum omnium iurium perceptione de Lubin plene gaudeat cenobium possesione libertatis. Damus autem ob specialem reverentiam predicto claustro ac domino Iacobo eiusdem abbati et in ipso suis successoribus, ut in villa prefata advocet et locet Theutonicos, sicut eos advocaverit et locaverit, de concessione nostra ius et fructum in eis percepturus cum hac libertate, ut incole predicte civitatis a theloneo in terra nostra, excepta civitate Posnaniensi, septem annis liberi sint et inmunes. Ut autem nostra donatio firma et inconvulsa permaneat, presentem paginam sigilli nostri impressione dignum duximus roborandam. Datum in Gnezna anno gratie M.CC. sexagesimo secundo.

Lubin, *Lubin.* Crivin, *Krzywin.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Nr. 400.

Bolezlaus dux Polonie Maioris 1262 Jun. 7, in loco contra Dancov; absolvit civitatem Sarnov et villas adiacentes, monasterio de Trzebnica pertinentes, per decennium ab omnibus suis iuribus.

Pergam. orygin., u którego na paskach pergamin. dwie pieczęcie przywieszono; pierwsza Bolesława księcia, (pieczęć XVI); *druga podługowata zatarta, napis:* S. Kunegundis Ducisse Cr... e e. Sando....

Wrocław. Königl. Staats Archiv. Trebnic Nr. 97. — Mosbach, Wiadomości, p. 25.

In nomine Domini amen. Nos Bolezlaus Dei gracia dux Polonie Maioris notum facimus omnibus presencium inspecturis, quod ad peticionem venerabilis domine K. ducisse Cracoviensis matris nostre dulcissime, nec non et ob reverenciam domine Agnetis filie felicis memorie ducis Henrici Zlesie, sororis de Trebnichia, civitatem nomine Sarnov et omnes villas adiacentes eidem, in districtu nostri dominii constitutas, pertinentes iam dicto cenobio, ab omnibus nostris iuribus per decennium absolvimus; videlicet ut solucionem annalem que vulgo poradlne nuncupatur non solvant incole dicte civitatis et villarum, nec ad edificia castrorum vel civitatum nostrarum venire teneantur, nec angariis vel perangariis secundum terre consuetudinem aliquibus astringantur, tantummodo nos dominum et patronum suum in omnibus recognoscant. Ut autem hec nostra liberalis donacio robur firmitatis optineat et ut nulli hominum liceat eandem infringere, presentem litteram nostri sigilli autentici munimine roboramus. Acta sunt hec anno gracie Domini M.CC.LXII. in colloquio habito per duces, Bolezlaum videlicet ducem Cracoviensem et Henricum Wratislaviensem et Wladislaum de Opol, in loco contra Dancov in litore Hystvarte. Datum per manus Sobezlai canonici Sandomiriensis nostra auctoritate, VII Idus Iunii.

Trebnichia, *Trzebnica.* Sarnov, *może Sarnowa, lub też miejscowość nie odgadniona lub znikła, może w okolicy m. Swiebodzin.* Opol, *z niemiecka Oppeln.* Dancov, *Dankow.* Hystvarta, *Liszwarta rz.*

Nr. 401.

Bolezlaus dux Polonie 1262 Jun. 29, in Poznan; dat Rinero et Iohanni civitatem Kcyń iure Theutonico locandam.

Pergam. orygin. Na czworograniej plecionce nici jedwabn. czerwon. zawieszona pieczęć Bolesława księcia; (pieczęć XVI).

Poznań. Königl. Staats Archiv. Kcynia 1. — Towarzystwo przyj. nauk, (Fotografia dyplomatu i pieczęci z innego, równobrzmiącego oryginału.)

In nomine Domini amen. Evanescunt simul cum tempore que geruntur in tempore, nisi recipiant a scripti vel sigilli memoria firmamentum. Noverint universi presentes et posteri ad quorum presenciam presens scriptum pervenerit, quod nos Bolezlaus Dei gracia dux Polonie perspecta fidelitate bonorum virorum, videlicet Rineri et Iohannis, dedimus eis civitatem nostram que Kcina nominatur iure Teuptonico locandam, eo videlicet iure, quo civitates nostre Poznan et Gnezna in eorum

[illegible]

legibus pociuntur. Preterea addidimus eis duas hereditates que Bobrownici et Pelgrinovo nuncupantur. Pratis vero in Pocepnicz incole civitatis dicte libere utentur. Molendinum ibidem sculteti nominati et eorum posteritas possidebit. Mansus autem ibidem dedimus eis octuaginta; sed racione locacionis Rinerus et Iohannes et eorum posteritas sextum mansum libere possidebunt et curiam sextam. Tercium vero denarium libere tenebunt de re qualibet iudicata. Evolutis autem tribus annis a festo sancti Martini proximo venturi, de quolibet manso fertonem argenti nobis solvent. Cives vero antiqui eadem libertate qua et novi perfruentur. Volumus autem, ut nec castellanus nec palatinus nec aliquis miles ad eos se intromittat. In cuius rei testimonium presentem paginam sigilli nostri munimine confirmamus. Datum in Poznan in festo sancti Petri per manum Mathie nostri notarii, anno gracie Domini m.cc.lx. secundo.

Kcina, *Kcyń*. Bobrownici, Pelgrinovo, Pocepnicz, *nie odgadnione.*

Nr. 402.

Ianussius Gneznensis archiepiscopus 1262 Sept. 17, in Syradz; innovat quaedam vetera statuta Synodalia, et nova, per ecclesiam Poloniae observanda, edit.

Transsumpt potwierdzony przez: Iaroslaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscop. 1357 Jan. 10, in Kalis.

Helcel, Starodawne prawa Polsk. pomniki I, p. 358. — R. Hube, Antiquissimae Constitutiones Synodal. p. 50.

Hec sunt constituciones domini Ianussii, quondam archiepiscopi Gneznensis.

In nomine Domini amen. Nos Ianussius miseratione divina Gneznensis archiepiscopus, una cum suffraganeis nostris, Cracoviensi videlicet, Wratislaviensi, Lubucensi, Cuiaviensi, Poznaniensi et Mazoviensi episcopis ac aliis nostris et eorum inferioribus prelatis et subditis in Syradz in Synodo congregati, ad honorem Dei et salutem animarum ac profectum Ecclesie renovantes et firmiter observari precipientes synodales constituciones predecessorum nostrorum, aliqua inferius adnotata, seu declaranda sive de novo constituendo (sic), prefatis predecessorum nostrorum constitutionibus duximus adnectenda.

Constituentes, ut quicunque vendicionem decimarum liberam, manifeste vel occulte, quacunque machinacione vel dolo inpediverit, seu decimas iniuriose detinuerit, convictus, pro unoquoque aratro parvo quod radlo dicitur, lapidem cere, pro magno autem quod plug nominatur, duos lapides cere persolvat; et tamdiu excommunicacionis sentencia innodatus teneatur, si que prediximus in termino sibi assignato facere contempserit, donec omnia ex integro persolvat.

Item statuimus, ut si quis in villa sua decimam colligendam seu collectam locari prohibuerit, cuius villa fuerit tamdiu excommunicetur in sua parochiali et aliis vicinis ecclesiis, et ipsa villa sit ecclesiastico supposita interdicto, donec dampnum quod ex huiusmodi prohibicione dominus decime sustinuerit, ipsius domini vel eius procuratoris iuramento declarandum, ad plenum fuerit ei ad quem decima pertinet solutum.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Ad hec statuimus et sub pena excommunicacionis iam prolate prohibemus, ut nullus in villis ecclesie, seu apud homines earundem villarum adscriptos vel liberos, podwodas accipere presumant nisi in tribus casibus: si videlicet tradicio ducis vel alicuius castri subita timeatur, vel si exercitus in terram ingrediens fuerit nunciandus. Et his scriptis casibus qui ipsas podwodas acceperit, prima opportunitate sibi occurrente sine qualibet fraude permutet, et in eo loco relinquantur, ubi ab hiis quorum fuerint, absque difficultate possent recuperari. Qui autem preter hos casus in villis vel ab hominibus prefatis ipsas receperit, vel in casu licito acceptas detinuerit vel alienaverit, vel usibus propriis aliquo tempore deputaverit, tamdiu in locis in quibus dyocesano expedire videbitur denuncietur excommunicatus, donec ipsis podwodis restitutis, dampnum quod inde domini passi fuerint, eis fuerit ex integro persolutum.

Ad hec firmiter prohibemus, ne quis clericos ad iudices pertrahat seculares; statuentes, quod iudex qui ad suam presenciam ipsos scienter citari preceperit, et actor qui citacionem procuraverit, tamdiu excommunicacionis sentencia subiecti detineantur, donec de iniuria et dampnis que ex huiusmodi citacione ipsi citato evenerint, iuxta arbitrium dyocesani satisfaciant.

Item inhibemus, ne quis in detrimentum vel fraudem decimarum, quascunque villas seu terras eo iure: ne decime manipulatim in campis persolvantur: locare seu locatas retinere presumat, donec cum domino decime, de consensu episcopi dyocesani, infra duorum mensium spacium plenarie a publicacione huiusmodi constitucionis componat. Alioquin dominus et scoltetus ville excommunicacioni, et ipsa villa ecclesiastico interdicto subiciatur, donec vel decimam in campo persolvi faciat, vel prout premisimus cum domino decime componat.

Statuimus insuper, ut ad quemcunque, terre decimam in gonythwam solventes quocunque tytulo devenerint, possessor et cultor ipsarum terrarum ei de ipsis terris decimam persolvat, cui ab antiquo solvi consueverunt, nulla consuetudine vel privilegio nobilitatis obsistente.

Item statuimus et districte omnibus episcopis precipimus, ut quociescuuque aliquis principum excommunicato contumaciter communicaverit, in ipsius curia, donec ipsum excommunicatum a curia et a sua familiaritate eiecerit, divinum officium et ecclesiastica Sacramenta interdicantur.

Ad hec statuimus sub anathemate prohibentes, nequaquam dzevycze, wdovyne, et pasterne (sic) rapiantur.

Actum anno Domini M.CC.LXII in die beati Lamperti episcopi et martiris.

Nr. 403.

Urbanus Pp. IV 1262 Oct. 2, apud montem Flasconem; confirmat collationem juris patronatus in ecclesia et hospitali s. Sepulchri in Gniezno quondam a duce Gneznensi et matre ipsius, nec non donationem ipsius ecclesiae et hospitalis, quondam ab archiepiscopo Gneznensi ecclesiae s. Sepulchri de Miechów factam.

Nakielski. Miechovia, pag. 191.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et fratribus ecclesie sancti Sepulcri de Miechovia, ad Hierosolymitanam ecclesiam pleno iure spe-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

ctantis, Ordinis sancti Augustini, Cracoviensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Consuevit Sedes apostolica precibus condescendere devotorum et eorum votis favorem benivolum impertiri. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod quondam dux Gneznensis et mater ipsius, ius patronatus quod in ecclesia et in hospitali sancti Sepulcri Gneznensis habebant vobis pietatis intuitu contulerunt, et bone memorie archiepiscopus Gneznensis sui Capituli ad id accedente consensu, ecclesiam et hospitale predicta cum iuribus et pertinenciis suis vobis in usus proprios deputavit. Nos itaque vestris precibus inclinati, quod pie ac provide in hac parte factum est ratum habentes ac firmum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus; ita tamen, quod vicario in eadem ecclesia perpetuo servituro congrua de ipsius proventibus portio assignetur, de qua commode sustentari valeat, iura episcopalia solvere, et alia eiusdem ecclesie onera subportare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum apud Montem Flasconem VI Nonas Octobris, pontificatus nostri anno secundo.

Miechovia, *Miechow.*

Nr. 404.

Boleslaus dux Polonie 1262 Novemb. 25, in Poznan; confirmat donationem hereditatis Reklin, a comite Pribislao de Lutomie monasterio de Obra factam.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. pag. 16.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera et actio commissa littere, eius assertio nutrit memoriam et nutrita suscipit incrementum. Hinc est quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie coram universis presens scriptum visuris publice protestamur, quod constitutus in nostra presencia comes Pribisslavus dictus de Lutome, hereditatem suam dictam Reschelin, cum silvis, virgultis, pratis, pascuis, lacubus, paludibus ceterisque quibuslibet suis attinenciis, pro sue anime ac suorum parentum remedio, in honorem Dei sueque genitricis Marie, venerabilibus fratribus ac monasterio in Obra contulit iure hereditario perpetualiter possidendam. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Testes huius rei sunt: Iohannes cancellarius, Iarostius iudex, Andreas advocatus de Pizdr, Bogusa filius Cesslavi. Acta vero sunt hec in Poznan anno Incarnacionis dominice millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, in festo beate Katharine virginis, per manus Mathie notarii curie nostre.

Lutome, *Lutomie.* Reschelin, *Reklin.* Obra, *Obra.* Pizdr, *Pyzdry.*

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 405.

Wilhelmus episcop. Lubucensis 1262 .s. d., Gnezne; commutat villas ecclesiae suae dictas Niemysłow, Petrykozy, Dobieszewice et theloneum in Dąbie, cum villa ecclesiae Gneznensis dicta Manina, et decimis in villis Gadów et Kozarzew.
Gniezno, Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 35.

Wilhelmus Dei gracia episcopus Lubucensis, omnibus in perpetuum. Cum plerumque ea que temporaliter aguntur, vetustate que mater oblivionis est interveniente, simul cum processu temporis a memoria hominum elabuntur nisi litterarum apicibus cum testium subscripcione et sigillorum testimoniis roborentur, noverint itaque universi presentem litteram inspecturi, quod inter venerabilem patrem in Christo dominum Iohannem sancte ecclesie Gneznensis archiepiscopum et Capitulum ipsius ex una, et inter nos et Capitulum nostrum ex parte altera talis ordinacio intervenit. Nos de voluntate bona et consensu Capituli nostri cessimus domino archiepiscopo predicto et ecclesie sue hereditates ecclesie nostre, Nimisloviczi et Petrocose et Dobeschoviczi vulgariter nuncupatas, et theloneum in Dambe, cum omnibus hominibus, utilitatibus et singulis pertinenciis suis in perpetuum cum pleno proprietatis dominio possidendas feliciter et quiete. In quarum recompensam idem dominus archiepiscopus versa vice, similiter de voluntate et consensu Capituli sui, cessit nobis et ecclesie nostre hereditatem ecclesie ipsius sitam in diocesi Cracoviensi, que Manina vulgariter nuncupatur, cum omnibus villis ad ipsam pertinentibus, et silvis et decimis villarum que nunc sunt vel in posterum infra districtum et terminos eiusdem hereditatis locari poterunt, in perpetuum cum pleno proprietatis dominio et singulis utilitatibus possidendam, nullum sibi et ecclesie sue in eadem proprietatis dominium retinendo. Et cum ipsa hereditas per infelicem paganorum insultum est adeo desolata, et adhuc utpote in ore ipsorum consistit, quod non sine magna difficultate ad aliquem fructum et ad statum utilem poterit reformari, idem dominus archiepiscopus superaddidit duarum villarum nostrarum decimas, videlicet de Gadoviz et de Cozarow nobis et ecclesie nostre in perpetuum possidendas pacifice et quiete; in cuius rei perpetuam memoriam presentes litteras nostro et Capituli nostri sigillis fecimus communiri. Actum Gnezne presentibus venerabilibus fratre nostro domino Volimiro episcopo Wladislaviensi, domino Conrado preposito Gneznensi, domino decano eiusdem ecclesie, domino Bartholomeo scolastico Lubucensi, domino Henrico, domino Conrado notario nostro canonicis ecclesie Lubucensis, et aliis multis perhibentibus testimonium veritatis. Anno Domini M.CC.LX. secundo.

Lubucensis, *de Lubusz, z niemiecka Lebus.* Nimisloviczi, *Niemysłów.* Petrocose, *Petrykozy.* Dobeschoviczi, *Dobieszewice.* Dambe, *Dąbie.* Manina, *osada w bliskości miasta Sandomierz, dziś znikła, cnfr. Diploma Nr. 7.* Gadoviz, *Gadów.* Cozarow, *Kozarzew.*

[illegible]

[redacted]

Nr. 406.

Conventus Virginum Machabearum in Colonia 1263 Jun. 23, Colonie; confert Andreae canonico Gneznensi caput unius sanctae virginis de collegio Undecim millium virginum cum aliis multis reliquiis.

Pergam. orygin. Skrawek pergaminu, z którego pieczęć znikła.
Poznań. Archiv. Capituli. I, 5 a.

Omnibus Christi fidelibus ad quoscunque presens scriptum pervenerit, Conventus virginum dictarum Machabearum in Colonia salutem in eo, qui est primus et novissimus, principium et finis. Notum sit universis tam presentibus quam futuris, quod nos ad petitionem domini Andree canonici Gnesnensis et amicorum suorum, caput unius sancte virginis de collegio Undecim millium virginum cum aliis multis reliquiis duximus conferendum, rogantes attentius, ut quibuscunque dictus A. predictas reliquias portaverit vel mittendas decreverit, honor eis debitus impendatur. Sed, ne quippiam in posterum dyabolica concitati versucia huic nostre donationi contraire presumant, presentem paginam sigilli nostri Conventus munimine roboramus. Datum Colonie anno Domini M.CC.LXIII, in vigilia Iohannis Baptiste.

Colonia, *Köln a/R.*

Nr. 407.

Bolezlaus Cracoviensis Sandomiriensis dux 1263 Jun. 27, Cracovie; protestatur, b. m. Ratzlavam relictam comitis Clementis, coenobio de Ołobok dimidiam haereditatem Uszew et partem salis in Bochnia certis sub stipulationibus contulisse.

Pergam. orygin. bez śladu przywieszenia pieczęci, na którym ręką XIII wieku 4 dokumenta odpisano.
Poznań. Königl. Staats Arch. Ołobok 1.

In nomine Domini amen. Quoniam omnes moriuntur et quasi aque dilabuntur, ne gestarum rerum memoria processu temporis per exortam oblivionis caliginem apud posteros nostros evanescat, digne solet instrumentorum munimine cum expressione testium perhennari. Inde est quod nos Bolezlaus Dei gratia Cracoviensis Sandomiriensis dux hac nostra littera memorie commendamus presentium et in notitiam deferimus futurorum, quod felicis recordationis domina Ratzlava relicta comitis Clementis, sororibus Ordinis Cisterciensis in Oloboc Deo famulantibus, pro remedio anime sue et debito quod contraxerat in recepcione cuiusdam pecunie eisdem exsolvendo, contulit dimidiam hereditatem que Usva nuncupatur cum omnibus suis utilitatibus et pertinentiis, videlicet molendinis, piscationibus, nemoribus, pratis et aliis commodis habitis et habendis perpetuo iure possidendam, adiciens pro sustentatione earumdem sororum salis quam in Bochna possidebat medietatem; reliquam vero partem filie sue ancille Christi sorori Visenege magistre de Stanetek contulit possidendam, post cuius decessum totum supradictarum sororum usibus proficiet et utilitati.

[redacted]

Nos vero attendentes prefate domine merita preclara et devotionem sepe nominatarum sororum considerantes, donationem huiusmodi confirmavimus eisdem, volentes, quod eisdem libertatibus et immunitatibus gaudeant in sua quiete possessione predicte hereditatis, quibus sepe memorata domina, prout in nostre mansuetudinis privilegio a nobis eidem olim dato plenius continetur. Hoc tamen adicimus, quod supra nominate sorores monasterii Olobocensis vel earum prepositi sive procuratores, si unquam habuerint propositum vel necessitatem alienandi, commutandi vel vendendi memoratam partem hereditatis, nulli presumant vendere vel concedere ad tempus vel perpetuo, nisi sororibus domus de Stanetek. In robur igitur et perpetuam memoriam supradictorum, presentem litteram nostro sigillo duximus consignandam. Datum Cracovie anno Domini M.CC.LXIII, quinto Kalendas Iulii, presentibus testibus hiis: Paulo cancellario curie et canonico Cracoviensi, Iacobo filio Pacozlai iudice Cracoviensi, Pelca castellano de Cechow, Laurentio subcamerario Cracoviensi, Iohanne dicto Bobino dapifero ducisse, Mirozlao filio Mscivugii et aliis quam pluribus clericis et laycis.

Oloboc, *Ołobok.* Usva, *Uszew.* Bochna, *Bochnia.* Stanetek, *Staniątki.* Cechow, *Czechów.*

Nr. 408.

Boleslaus dux Polonie 1263 Jul. 2, in Poznan; protestatur, se monasterio Paradyż dedisse haereditates Grodzisk et Słocin, et pro eis modo commutationis haereditates Chrząstów, Kotowo et Olbrachtowo recepisse; libertates quoque eiusdem monasterii confirmat.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. Nr. 43.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Cum omnis legitima actio autentica scriptura indigeat ut sua firmitate convalescat, eam testamentaria voluntas maxime necessariam habet, per quam ipsius libera ordinacio semper comprobata perseveret. Ideo notum facimus omnibus tam presentibus quam futuris Christi fidelibus universis ad quorum audienciam presens scriptum pervenerit, quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie, cum venerabili viro domino Henrico abbate de Gostichov, que et Paradisus dicitur, et confratribus ipsius talem inter nos commutacionem hereditatum fecimus. Nam ab ipsis tres hereditates, quas a fundatore eorum quondam comite Bronisio proprietatum ipsius in edificacionem monasterii sui perceperant, que vulgariter Chrastovo, Quottovo et Olbrachtovo nuncupantur, cum omnibus attinentiis ipsarum perpetuo possidendas suscipientes, predicto abbati ac domui sue in concambium duas hereditates, que vulgariter Grodisce et Suhcino dicuntur, cum omnibus attinentiis ipsarum similiter iure hereditario et absque ulla retractacione vel revocacione perpetualiter contulimus possidendas. Heredes vero predictarum hereditatum, quas prenominato abbati et domui sue contulimus, quicunque hactenus fuerant, nullum omnino respectum, nec ipsi nec successores eorum, poterunt habere in futurum, eo, quod in presencia nostra et baronum nostrorum de bona voluntate ipsorum nobis resignantes, omni proprietati abrenunciaverunt. Eapropter predictus abbas ac monasterium ipsius plena et pacifica gaudeant possessione. Insuper in sepedicta commu-

[illegible]

[redacted]

tacione annectimus, quod paci et tranquilitati prefati monasterii in futurum hoc modo prospicientes, omnia privilegia et omnes libertates quas a nobis et a fratre nostro pie memorie duce Premislo in omnibus hereditatibus nunc habitis, aut in futuro ex donacione bonorum hominum habendis obtinuerant, fideliter cuncta confirmantes, presenti autentico solemniter sanxivimus eidem. Ut igitur nullus in posterum ausu temerario frivole obviando sepe nominatum monasterium de hoc cambio et confirmacione libertatum ac iudiciorum presumat molestare, presens scriptum super eo iussimus conscribi et sigilli nostri inpressione roborari, testibus nichilominus adhibitis quorum hec sunt nomina: Eustachius iudex, Andreas iudex, Iohannes cancellarius noster, Martinus castellanus de Starigrod, comes Bedigostius, Iohannes filius Hiconis et alii quam plures. Acta sunt in Poznan anno dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo sexagesimo tercio, sexto Nonas Iulii, Indiccione sexta.

Paradisus, *Paradyż*. Chrastovo, *Chrząstowo*. Quottovo, *Kotowo, osada znikła w okolicy m. Zaniemyśl, dziś objęta w Olendry Dąbrowskie*. Olbrachtovo, *osada znikła w okolicy m. Książ*. Grodisce, *miasto Grodzisk*. Suhcino, *Słocin*. Starigrod, *Starygród*.

Nr. 409.

Urbanus Pp. IV 1263 Dec. 9, apud Urbem veterem; confirmat concessionem iuris patronatus in hospitali Gneznensi quondam a duce Boleslao, et ipsius hospitalis cum possessionibus eiusdem a b. m. Fulcone archiepiscopo Gneznensi, ecclesiae dominici Sepulchri in Miechów factam.
Nakielski. Miechovia pag. 192.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis preposito et fratribus Domus Miechoviensis ad ecclesiam dominici Sepulcri Hierosolymitani spectantis, Ordinis sancti Augustini, Cracoviensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, et vota que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Cum igitur, sicut petitio vestra nobis exhibita continebat, nobilis vir Boleslaus et quondam frater Premislai ducis Gneznensis de consensu bone memorie Fulconis archiepiscopi Gneznensis ius patronatus quod habebant in hospitali in Gnezna, et idem archiepiscopus dictum hospitale cum decimis, terris, possessionibus, hominibus ibidem in Zdechova morantibus, redditibus et aliis iuribus et pertinentiis suis prout spectabat ad eum, sui Capituli ad id accedente consensu, vobis et per vos Domui vestre pia et provida deliberatione duxerint concedenda, sicut in literis inde confectis dicitur plenius contineri: nos vestris supplicationibus inclinati, concessionem huiusmodi, sicut pie ac provide facta est, ratam ac firmam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, salva in predictis moderatione Concilii generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum apud Urbem veterem V Idus Decembris, pontificatus nostri anno tertio.

Miechoviensis, *de Miechow*. Zdechova, *Zdziechowo*.

Nr. 410.

Urbanus Pp. IV 1264 Jan. 10, apud Urbem veterem; confirmat donationem villarum Mykanów, Rybno et Pławno, monasterio s. Clarae in Zawichost a Boleslao duce Poloniae factam.

Fr. Piekosiński. Kod. dyplomat. Małopolski, Nr. 65. (Z pergam. orygin., u którego na pasmie żółtego i pąsowego jedwabiu przywieszona bulla: Urbanus Pp. IIII).

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus.. abbatisse et Conventui monasterii de Cavchost, Ordinis sancti Damiani, Cracoviensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sane exhibita nobis vestra petitio continebat, quod nobilis vir Bolezlaus dux Polonie, Mitanev, Ribna et Plavanev, villas ad eundem ducem spectantes, vobis et dicto monasterio intuitu pietatis contulit, prout in litteris inde confectis, ipsius ducis sigillo munitis, plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem duce super hoc pie ac provide factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum apud Urbem veterem IIII Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno tertio.

Cavchost, *Zawichost.* Mitanev, *Mykanów.* Ribna, *Rybno.* Plavanev, *Pławno.*

Nr. 411.

Bolezlaus dux Polonie 1264 Febr. 9, in Kalis; concedit civitati Kalisz de singulis curribus hospitum sal portantium, quartale salis.

Pergam. orygin. Wcięcia poprzeczne od przywieszenia pieczęci.

Warszawa. Biblioteka prywatna. Diplomata. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Poloniae 52.

In nomine Domini amen. Quoniam hominum labilis est memoria et ea perdit de facili ad que non respicit, ideo est necesse, ut que fragilis tradit memoria, scripture testimonio confirmetur. Inde est quod nos Dei gracia Bolezlaus dux Polonie notum esse volumus tam presentibus quam futuris qui presens scriptum inspexerint, quod intuentes fragilitatem et defectus nostre civitatis Kalis, bona deliberacione habita et salubri inclita Regina uxore nostra karissima ducissa Polonie, nostrorumque baronum usi consilio, quod pro reformacione nostre prenotate civitatis, de singulis currubus hospitum adveniencium salque portancium, quartale salis perpetualiter concedimus et donamus. Ne igitur super hys ab aliquibus questio dubitacionis emergat in futurum, presentem paginam nostro attentico sigillo et de nostra bona voluntate fecimus consignari. Datum in Kalis anno Domini M.CC. sexagesimo quarto

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

in octava beate Marie Purificacionis, hiis presentibus: inclita Regina prenotata ducissa Polonie, comite Syxto venatore, comite Matheo castellano Lendensi, comite Cecozlao pincerna, et aliis plurimis nostre curie viris providis et honestis.

Lendensis, *de Lqd.*

Nr. 412.

Boleslaus dux Polonie 1264 Jun. 3, in Kalis; confert Theodorico sculteto villam Pniewo (?) iure Theutonico locandam.

Warszawa. Archiw. Główne, ks. M. 91, fol. 619 v.

In nomine Domini eterni amen. Quia preteritorum non possumus semper (sic), ideo ad eterne rei memoriam notum facimus presens scriptum omnibus Christi fidelibus inspecturis, quod nos Boleslaus dux Polonie Theodorico scolteto nostro villam contulimus iure Theutonico locandam nostram, que vulgariter Pniewo nuncupatur, in districtu Rudensi, usque ad LXX mansos parvos, eo iure ut habent inhabitantes Novum forum in districtu Slesie; eo pacto, ut dominus Theodoricus noster scoltetus et sui posteri sextum et septimum mansum liberum haberent, ab omni nostra exactione et solucione perpetuo absoluti: dantes itaque eidem ac villanis quos in predicta villa locaverit, a proximo festo sancti Martini XV annos libertatem ab omni solucione et exactione. Cum autem elapsi fuerint dicti anni, inhabitatores predicte ville quicunque fuerint, fertonem argenti et duodecim mensuras bladi ad mensuram Wrathislavensem, videlicet quatuor tritici et quatuor siliginis et quatuor avene, nobis in festo sancti Martini annis singulis solvent, ita tamen, quod venerabilis pater dominus archiepiscopus Gneznensis ecclesie, duos scottos et bladi percipiat medietatem. Item concessimus eidem, ut omnes venientes ad memoratam villam, cuiuscunque racionis sint hospites causa morantes, sive transeunt cum mercimoniis sive cum utensilibus domus per districtum nostrum, non dent teloneum infra spacium libertatis. Insuper sepedicto nostro sculteto, cum bona voluntate venerabilis patris nostri archiepiscopi Gneznensis, in eadem villa licenciam dedimus ad ecclesiam construendam, cui duos mansos pro dote assignamus, nobis ius patronatus relinquentes in eadem. Addidimus eciam eidem et posteris ipsius molendinum liberum, tabernam, macellum pistoris et macellum carnificum, calcipariorum et fabrorum: hec omnia libere et pacifice, et venacionem capriolorum, leporum, vulpium, in ambitu dicte hereditatis absque omni impedimento omnibus in eadem villa morantibus licenciam. Iudicia causarum omnium secundum ius Novi fori iudicanda, exceptis ultimis suppliciis et mutilacione membrorum quorumlibet, non presente nostro nunctio sentenciabuntur. Nos vero de omni iudicio duos denarios percipiemus, scoltetus cum suis posteris tercium. Ut autem hec nostra donacio rata et firma permaneat, presentem paginam nostri sigilli munimine fecimus roborari. Actum in Kalis anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, intrante Iunio feria tercia, presentibus comite Sixto, Friderico advocato de Ruda, Conrado scolteto, Rithwino advocato Calissiensi, Stiborio canonico Poznaniensi.

Pniewo, *zapewnie mylnie, może zam. Bieniec.* Rudensis, *de Ruda.* Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szląsku.*

[illegible]

[redacted]

Nr. 413.

Boleslaus dux Polonie 1265 Jan. 1, in Kalis; confert Nicolao filio quondam Cosmae villam Swiączyn, amplis privilegiis munitam.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny, czerwony, z którego pieczęć znikła. Poznań. Königl. Staats Arch. Person. 1.

In nomine Domini amen. De gestis humanis grandis emergeret questio et dura calumpnia, nisi causa memorie rerum oblivio per eternam scripti memoriam auferretur. Innotescat ergo presentibus et futuris, quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie considerantes fidele servicium Nicholai nostri fidelis filii quondam Cosme, villam que Svencez nuncupatur sibi et suis liberis contulimus hereditario iure perpetuo possidendam, in presenti pagina statuentes, quod incole eandem villam inhabitantes, a solucione stroze, bodvorove, a naraz, a bove, a citatione castri, ita quod coram nullo castellano respondeat et posteri eius (sic). Insuper iam dictam hereditatem et incolas eius deliberamus, quod cum vicinia nec homicidium nec septuaginta marcas et predationes non solvant, et breviter ab omnibus (sic) sint liberi et immunes. Addimus etiam eidem Nicolao, quod nullus qui sibi aliqua linea generationis fuerit astrictus, inquisitionem super eandem nostram donationem, particeps esse desiderans, facere presumebit (sic); sed solummodo memoratus Nicolaus et sua posteritas eam pacifice possidebunt. Astiterunt enim cum fieret ista donatio: comes Scedricus castellanus de Criwin, comes Syxtus dapifer Calisiensis, comes Iohannes filius Richardi, dominus Iacobus abbas Lubiensis. Acta sunt hec anno gracie Domini M.CC. saxagesimo quinto. Insuper, ut res ista maneret stabilis et magis integra, presens instrumentum super hoc conscriptum apensione nostri sigilli fecimus roborari. Datum in Kalis in die Circumcisionis Domini, per manum domini prepositi Mathie.

Svencez, *Swiączyn*. Criwin, *Krzywin*. Lubiensis, *de Lubin*.

Nr. 414.

Janussius Gneznens. ecclesie archiepiscop. 1265 Febr. 28, in ecclesia Gneznensi; commutat villas ecclesiae suae dictas Sweprawicze et Swierczewo, cum villa Vincentii filii Alexandri dicta Ostrowite Prymasowskie.

Gniezno, Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. II, fol. 24.

In nomine sancte Trinitatis amen. Quia vergente deorsum condicione corporea nichil est in humanis rebus quod reprehensioni subiaceat, ad stabilitatem negociorum sive tractatuum ea que aguntur in tempore necessarium est testimoniis et litterarum apicibus memorie commendare. Noverint igitur tam presentes quam futuri, quod nos Ianussius Dei gracia Gneznensis ecclesie archiepiscopus, de communi consensu et voluntate nostri Capituli cum Vincencio filio Alexandri et filiis ipsius Petrone, Petro et Iohanne, de villis infra positis talem fecimus permutacionem. Recepimus siquidem a predictis Vincencio et filiis eius nomine Gneznensis ecclesie vil-

[illegible]

[redacted]

lam ipsorum Ostrovithe, conterminam ville nostre ecclesie que Ostrovithe nuncupatur, ipsis autem et ipsorum posteris villas ecclesie nostre, Sweprawicze videlicet sitam in districtu de Zneyna et Swircevo sitam circa Cirekvicham Martini, contulimus iure perpetuo possidendas. Et ne futuris temporibus super premissis permutacionibus aliquis dubitacionis scrupulus oriatur, presens scriptum nostro et nostri Capituli sigillis duximus roborandum. Actum in ecclesia Gneznensi anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, secundo Kalendas Marcii.

Ostrovithe, *Ostrowite Prymasowskie.* Sweprawicze, *osada znikła, cnfr. Dipl. Nr. 7.* Zneyna, *Żnin.* Swircevo, *Świerczew.* Cirekvicha Martini, *Cerekwica.*

Nr. 415.

Boleslaus dux Polonie 1265 Oct. 14, in Kalis; restituit monasterio de Ląd medietatem fluvii Warta, per viciosam assertionem viciniae a villa Sławsk ablatam.

Pergam. orygin. Pasek pergaminowy, z którego pieczęć znikła.

Kalisz, Archiw. Rządowe. (Wszyty w: Relation. Castrens. Koninens. a. 1758 Nr. 31, fol. 309 b.)

In nomine Domini Dei eterni amen. Quoniam acta et voluntates hominum sepe solent variari, necesse est quod ea que in perpetua volumus permanere stabilitate, litterarum diligencia faciamus annotari. Noverint igitur universi presentes et futuri quorum presencie presens scriptum deferetur, quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie, pro amore Dei et nostrorum remissione peccaminum, fratribus in cenobio Lendensi Deo militantibus, Ordinis Cisterciensis, medietatem aque que Warta dicitur, que per viciosam assercionem vicinie ab hereditate eorundem fratrum que Slavsco vulgariter nuncupatur fuerat ablata, cum littore et silva nec non omni utilitate, preter castores quos pro nobis venandos reservamus, restituendo elargimur hereditario iure perpetuo possidendam: huius autem medietatis aque, usque in hereditatem que Mancosice nominatur termini extenduntur. Actum anno gracie Domini M.CC.LX quinto, presentibus viris nobilibus: Iohanne castellano de Calis, Simone castellano Gneznensi, Cechoslao castellano de Premunt, Syxto castellano de Starogrod, Zegota dapifero Kalisiensi, Iohanne filio Simonis. Et ne factum nostrum quod fecimus in posterum impediretur calumpnia, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam. Datum in Kalis II Idibus (sic) Octobris in die beati Calyxti episcopi, per manum Andree clerici curialis.

Lendensis, *de Ląd.* Slavsco, *Sławsk.* Mancosice, *nie odgadnione.* Premunt, *Przemęt.* Starogrod, *Starogród.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 416.

Boleslaus dux Polonie 1265 s. d. et l.; dat Rithwino sculteto de Kalisz villas Tyniec et Kobilnic iure Theutonico locandas.

Warszawa, Archiw. główne. Ks. M. 65 fol. 207. — Biblioteka X. X. Czartoryskich, Pstrokoński, Dissoluta.

In nomine Domini amen. Quoniam longa temporis revolutio et misera conditio mortalium rerum vite, actorum quoque sepius parit oblivionem nisi fuerint in verba veritatis testibus firmati vel literarum titulis annotati, ea propter nos Boleslaus Dei gratia dux Polonie notum facimus omnibus presentibus et futuris hoc scriptum lecturis, quod nos respecta fidelitate Rithvini sculteti nostri in Calis, villas nostras que vulgariter Thincza et Cobilnic nuncupantur, et sex mansos interiacentes de quibus commutationem fecimus cum cenobitis sancti Laurencii, iure Theutonico dedimus locandas, eo scilicet iure quo utuntur ville et cives Novi fori, sub hac forma, quod scultetus pro sua locacione sextum mansum et tercium in iudicio denarium cum suorum heredum successione in perpetuum libere possidebit. Molendinum etiam liberum, in eadem locacione, ubi sine impedimento aliorum molendinorum facere poterit, dedimus edificandum. Incole etiam prefate ville a festo beati Martini proxime venturo octo annorum gaudebunt libertate, quibus transactis solvent de quolibet manso pro censu et decima fertonem argenti et medietatem triplicis annone, liberi ab omnibus exactionibus quibus impediuntur Poloni. Acta sunt hec anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, presentibus his: Erkenboldo palatino nostro, Iohanne castellano Calisiensi, Simone castellano Gneznensi, Meslao pincerna, Sixto dapifero et aliis quam pluribus. Ut igitur hec donatio in posterum malorum altercacionibus altercata nullis modis possit adnullari, nos presentem paginam exinde conscriptam in testimonium veritatis sigilli nostri appensione fecimus assignari.

Thincza, *Tyniec.* Cobilnic, *nie odgadnione.* Cenobite s. Laurencii, *sc. in Kościelna wieś.* Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szlązku.*

Nr. 417.

Lestko dux Syradiensis 1265 Dec. 30, in Glinna; ratam habet commutationem partis hereditatis Mauritii Wseborii, dictae Ubysław, cum villa ecclesiae Gneznensis dicta Sendów.

Pergam. orygin., w którego dolnym założonym brzegu pasmo nici jedwabn. czarnych, przez dwa wcięcia poprzeczne przewleczone. Pieczęci nie masz.
Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 30.

In nomine Domini amen. Quoniam secundum varietatem temporum voluntates sive ordinationes hominum sepius variantur, dignum est ut materia discordie litterarum testimonio amputetur. Noverint igitur universi, quod in nostra Lestkonis Dei gracia ducis Syradiensis et nostrorum baronum presentia constitutus venerabilis pa-

[illegible]

[redacted]

ter noster Ianusius Dei gracia Gneznensis ecclesie archiepiscopus et Mauritius Wseborii, de mera et libera voluntate de villis infra positis talem fecerunt permutationem. Recepit siquidem predictus pater noster a prefato Mauritio nomine Gneznensis ecclesie tres partes ville de Ubislaw, que ad ipsum hereditario iure pertinebant, in perpetuum possidendas; Mauritius autem pro se et suis posteris ab eodem patre nostro recepit villam ecclesie memorate sitam iuxta fluvium Nyr, que Sandowo nuncupatur, iure perpetuo possidendam. Quam permutationem gratam et ratam habentes, de voluntate baronum nostrorum tunc nobis assidentium duximus confirmandam, ipsam, ne processu temporis per aliquorum versutias depravetur, nostri sigilli munimine roborantes. Actum in Glinna super rippam Warte in glatie, presentibus Mystuyone cancellario nostro Gneznensi archydiacono, et baronibus nostris: Predvoyo Syradiensi castellano, Ubyslao iudice, Zandywoyo pincerna, Myroslao agazone, ac officialibus curie nostre: Benedicto subiudice, Iacobo subdapifero, Nycolao subagazone et aliis multis, anno Domini M.CC.LXV, III Kalendas Ianuarii.

Ubislaw, *Ubysław.* Fluv. Nyr, *Ner rz.* Sandowo, *Sędów.* Glinna, *Glinno.*

Nr. 418.

Boleslaus dux Polonie 1266 Mai. 31, in Kalis; concedit villae ecclesiae Poznaniensis, dictae Rogalin, libertatem antiquarum villarum eiusdem ecclesiae.
Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 178. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 54.

In nomine Domini amen. Quia preteritorum non semper possumus recordari, ideo ad eterne rei memoriam notum facimus presens scriptum omnibus Christi fidelibus inspecturis, quod nos Boleslaus Dei gratia dux Polonie, ob amorem ecclesie sancti Petri quem erga ecclesiam Poznaniensem habemus, et pro remissione peccatorum nostrorum villam eiusdem ecclesie nomine Rogalino in eadem libertate ponimus, qua utuntur ville collate predicte ecclesie ab antiquo. In cuius rei testimonium, presentem paginam per Andream clericum nostrum plebanum de Kczina conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Datum in Kalis secunda feria post dominicam Factus est, anno Domini M.CC.LX. sexto, Indictione nona.

Rogalino, *Rogalin.* Kczina, *Kcyń.*

Nr. 419.

Boleslaus dux Maioris Polonie 1266 Jun. 30, in Poznania; vendit Antonio sculteto villas Jerzeń, Jerzykowo et Siemianowo, iure de Sroda locandas.
Warszawa. Archiw. główne ks. M.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurimus, cum etatis nostre negotia litterarum ac testium munimine roboramus. Nos igitur Boleslaus

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

dux Maioris Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis, quod meliorationi et reformationi terre nostre prout decus est intendere cupientes, villas nostras Gyrzyno, Iurzykowo et Semyanowo vulgariter nuncupatas, coniunctas in unam, sculteto nostro Ianthoni pro duodecim marcis argenti usualis vendidimus iure Novoforensi locandas, constituentes ipsum et ipsius successores dicte scultetie legitimos heredes. Ratione sue locationis contulimus sibi sextum mansum liberum et tertium denarium de re qualibet iudicata. Mansos proprios quantos colere potest, colat et in propriam agriculturam convertat: residuos vero mansos liberos quos colere noluerit, pro suo libito voluntatis aliis agricolis locabit, qui sibi et successoribus eius solutiones et servitia, prout cum eisdem ordinaverit, exhibebunt. Septem vero mansos liberos dictus scultetus et sui posteri in predictis bonis iure hereditario possidebunt. Preterea damus sibi tabernam liberam, macellum pistoris et aliud carnificis, utrumque liberum, pensaticum salis, fabrum et sutorem: omnia libera. Licitum etiam sit dicto sculteto et successoribus eius pannos omnis generis emere, et ipsos in domo propria et in civitate nostra Pobedisc vendere integros, vel incidere ulnatim. Liberum sit dicto sculteto et suis posteris pisces in lacubus nostris, in Prosiss et Gyrzyno, piscari cum rete estivali, quod przywloka dicitur in vulgari, et cum aliis instrumentis inferioribus, slampnycza, wyzscha, seu quibuscumque nominibus vocitentur; et quotienscunque magnam sagenam nos trahere contigerit, dictus scultetus cum suis posteris tertium piscem obtinebit. Villani vero dicte ville Gyrzyno, cum reti, cloma et hamo piscabuntur. Fluvios vero utriusque lacus, antenominati una cum usczie (sic) scultetus et sui posteri cum omnibus utilitatibus que in dictis fluviis fieri poterun tobtinebunt. Molendinum vero in via versus Pobedisc, quod iam factum est et perfectum, habeat liberum; et locum pro molendino aptum cum aliis locis pro molendinis aptis obtineat in fluvio qui Glowna dicitur in vulgari, secundum fluctus contingunt, pro sua voluntate edificando locet; nec aliquis alius presumat in dicto fluvio aliquod molendinum construere sine auctoritate et permissione dicti sculteti speciali. Liberum sit etiam dicto sculteto cum suis posteris inter terminos dicte ville capriolos, lepores, et omne genus volantium venari. Insuper omnes causas magnas et parvas, ut decolationes et suspensiones, membrorum mutilaciones, durante libertate, sine nostro assessore qui alio nomine Lanthwoyd dicitur, habeat iudicare, fructus iudicii prout ipsum contingunt percipiendo. Ius si dubium fuerit, in civitate nostra Pobedisc requiratur. Scultetus vero et villani de dicta villa Gyrzyno, etiam si in civitate Pobedisc deliquerint, per suos seniores in villa eadem iudicentur. Dum vero libertas evulsa fuerit, assessor noster in tribus colloquiis ter in anno interesse debebit. Durante huiusmodi colloquio, scultetus ville, irrequisito nostro assessore, gratiam quam voluerit faciet cum deliquente. Ecclesiam etiam dictus scultetus construet dum sibi videbitur expedire, cui adiungimus duos liberos mansos, quos nemo porrigere habeat nisi dictus scultetus cum sua posteritate. Mellificiorum preterea tertiam partem habeat scultetus et sui posteri in hereditate predicta. Cuiuscunque conditionis homo et cuiuscunque (sic) in bonis ville sepedicte excesserit, ibidem iudicabitur et punietur; non obstante eo quod sepedicta villa Gyrzyno prope civitatem Pobedisc est sita, cum nostre ita complacuerit voluntati, et hec omnia sepedicta ex permissione fidelis nostri sculteti universorumque civium in Pobedisc sunt diffinita. Preterea, si scultetus et sui posteri in aliquo deliquerint, curia iudicialis eis in bonis dicte scultetie assignetur. Ubi vero in sepedicta villa agri fieri non poterunt, scultetus et villani pro pascuis et lignis, pratis et aliis utilitatibus que ibi

[illegible]

[redacted]

fieri poterunt obtinebunt. Et ut dictam villam facilius et libentius valeat dictus scultetus locare, damus sibi libertatem infra spatium duodecim annorum, qua elapsa villani dicte ville annis singulis in festo beati Martini de mansis solubilibus quatuor mensuras tritici, quatuor siliginis, quatuor avene et fertonem argenti solvere tenebuntur usualis, ad mensuram tria cribra continentem. Dictum vero censum nullas ducere tenentur, sed in domibus colligetur villanorum, et per eos ad quos spectabitur deducetur. Expeditionem vero cum nos facere contigerit, currum unum cum duobus equis, nichil superponendo, nobis mittere tenebuntur. Ratione vero mansorum suorum liberorum quos obtinet dictus scultetus et sui posteri, ad expeditiones ire seu etiam mittere minime tenentur. Ne vero super hiis in posterum dubitetur, presentem paginam conscribi fecimus sigilli nostri munimine roborando, presentibus hiis testibus, comitibus Predpelkone palatino Poznaniensi, Archamboldo palatino Calisiensi, Bogufalo castellano Poznaniensi, Iankone castellano Calisiensi, Preslao castellano de Usczie. Datum in Poznania in crastino apostolorum Petri et Pauli beatorum anno gratie Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, per manus Mathie notarii curie nostre.

Gyrzyno, *Jerzeń*. Iurzykowo, *Jerzykowo*. Semyanowo, *Siemianowo*. Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szląsku*. Pobedisc, *Pobiedziska*. Lacus Prosiss, *jezioro p. w. Jerzykowo*. Fluv. Glovna, *Główna rz.* Usczie, *Ujście*.

Nr. 420.

Boleslaus dux Polonie 1266 s. d., in Dlusco; confirmat Conventui de Lubin adiudicationem hereditatis Popowo polskie, contra petitionem Thomae quondam filii Dyrsicragii de Waliszewo decretam.

Pergam. orygin. Brzegi bardzo obcięte; bez śladu przywieszenia pieczęci.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B, 15. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 53.

In nomine Domini amen. De gestis hominum grandis emergeret questio et dura calumpnia, nisi causa memorie rerum oblivio per eternam scripti memoriam auferretur. Ideo nos Boleslaus Dei gratia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod cum in nostra presentia et nostrorum baronum inter dominum Iacobum abbatem de Lubin ex una parte, et inter Thomam quondam filium Dyrsicragii de Volisevo ex altera, super ea parte hereditatis Popino domus sancte Marie de Lubin, quam idem Thō. non de iusto iure sibi usurpaverat, exorta fuisset materia questionis: tandem per partes hinc inde propositis racionibus et allegacionibus diversis, quibus omnibus et singulis discussis et conclusis, dicto domino abbati et ipsius monasterio finaliter adiudicata dignoscitur supra nominata hereditas ex integro cum omnibus utilitatibus et pertinenciis, iure hereditario in perpetuum possidenda. In cuius rei testimonium, ne aliquis tam solemni nostre confirmacioni ausu themerario valeat contraire, presentem paginam nostri sigilli munimine confirmamus. Actum et datum in Dlusco anno Domini

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

M.CC.LX.VI. presentibus hys: comite Iancone castellano de Kalis, comite Boguphalo castellano Poznaniensi, comite Iaracio castellano de Srem, domino Petro cancellario.

Lubin, *Lubin*. Volisevo, *Waliszewo*. Popinô, *Popowo polskie*. Dlusco, *Dłusk*. Srem, *Śrem*.

Nr. 421.

Boleslaus dux Polonie 1266 Dec. 6, in Kalis; forum septimanale in Lubnice, villa coenobii de Ołobok, de sabbato in feriam quartam transponit.

Transsumpt potwierdzony przez: Stanislaus Augustus rex Poloniae 1776 Octob. 11, Varsaviae; *w zeszycie pergaminowym, podpisem własnoręcznym i pieczęcią tegoż króla opatrzonym.*

Poznań. Königl. Staats Archiv, Ołobok Nr. 9. — Kopia równobrzmiąca w: Ołobok, Acta non foliata.

In nomine Domini amen. Acta mortalium delet oblivio, preter ea que commendantur memorie posterorum litterarum stabili munimento. Hinc est quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie notum esse volumus universis presentibus et futuris tenorem presencium inspecturis, quia libertatibus domui de Olobok Cisterciensis Ordinis a nostris progenitoribus ante datis vel a nobis liberaliter confirmatis nullum preiudicium fieri cupientes aut facere intendentes, forum in Lubnica, villa videlicet dicte domus, quod sabatho hactenus est habitum et servatum, sed racione civitatis nostre Boleslaviensis transpositum non ablatum, feria quarta, omni iure salvo primitus consueto, liberum perpetuo concessimus frequentari, ne damno vel dispendio aliorum, nostrum commodum seu profectum efficere videamur. In cuius rei testimonium et tutelam conscribi fecimus presens scriptum, sigilli nostri munimine roboratum. Actum in Kalis millesimo ducentesimo sexagesimo sexto in die beati Nicolai, uxore nostra domina Helena mediante, domina Helisabeth abbatissa predicte domus presente cum Conrado procuratore domus eiusdem. Hii eciam affuerunt: frater Iohannes guardianus et frater Boguslaus lector Fratrum minorum domus Calisiensis, et dominus Mathias, et ceteri.

Olobok, *Ołobok*. Lubnica, *Lubnice*. Civitas Boleslaviensis, *Bolesławiec*.

Nr. 422.

Fr. Guido presbit. cardinalis, apostol. Sedis legatus, 1266 Dec. 7, Magdeburgi; confirmat ordinationem limitum inter dioeceses de Lubusz et de Kamień, ab archiepiscopo Livoniae, apostol. Sedis legato factam.

Dreger. Cod. Pomeraniae Nr. 414.

Venerabili patri Dei gracia episcopo Caminensi, frater Guido miseracione divina tituli sancti Laurencii in Lucina presbiter cardinalis, apostolice Sedis legatus,

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

salutem in Domino sempiternam. Cum a longe retroactis temporibus super limitibus Lubecensis et Caminensis diocesis discordia haberetur, et ipsa per venerabilem patrem et archiepiscopum Livonie, Estonie et Prutzie, apostolice Sedis legatum, per modum pacis, amoto iuris strepitu concordata fuerit et sedata, ita quod terram Costerin deinceps ecclesia Lubucensis possidere debeat, et terram Thuitz cum suis attinenciis integre Caminensis ecclesia possidebit, quibusdam in eadem terra Thuitz exceptis decimis, uni duntaxat prebende pertinentibus, Capituli Lubecensis: supplicasti nobis humiliter, ipsam concordiam, ordinacionem seu sedacionem, a nobis qua fungimur autoritate confirmari. Nos autem eandem prout iuste facta est confirmamus et tenore presencium communimus. Datum Magdeburgi septimo Ydus Decembris, pontificatus domini Clementis Pape IIII anno secundo.

Caminensis, *de Kamień (na Pomorzu).* Lubecensis, *mylnie zam. Lubucensis, de Lubusz.* Terra Costerin, *de Kościerzyn, z niemiecka Küstrin.* Terra Thuitz, *de Tuczno.*

Nr. 423.

Fr. Guido, tit. s. Laurencii in Lucina presb. cardinalis, apostol. Sedis legatus, s. a. d. et l. — (1267 Febr. 2, in Concilio Wratislaviensi); edit Statuta Synodalia, excessus laicorum contra libertatem Ecclesiae in Polonia reprimentia, et alia in eadem Ecclesia observanda.

R. Hube, Antiquissimae Constitution. Synodal. p. 56. — Helcel, Starodawne prawa Polskiego pomniki. (Transsumpt potwierdzony przez: Iaroslaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscop. 1357 Ian. 10, in Kalis).

Guido miseratione divina tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis, apostolice Sedis legatus in provincia Polonie, ad perpetuam memoriam.

Postquam Deus formavit hominem ad imaginem et similitudinem suam in etate virili, cum ipso eciam ius naturale produxit; ius enim naturale originem a creature rationalis cepit exordio. Quod quidem ad dispositionem omnem mundi nascentis et temporis motum sufficeret, si non sibi mortem, quam Deus non fecit, rationalis creatura propriis manibus et pedibus quesivisset. Hec iuris instituta primevi protinus iustitia positiva subsequitur, ab eodem regulariter procedens, qui sub mortis interminatione morsum pomi noxialis prohibuit; qua prochibitione contempta, maledictionis sententia prodiit ab Auctore: ut non tantum ultio inferretur in auctores scelerum, verum etiam in progenies damnatorum. Exhinc usu hominum exigente et dominio rerum introducto, quod iuris primevi regula nesciebat, ex humanis necessitatibus quedam sibi iura homines condiderunt. Tradite sunt etiam ad nos per Moysen iustitie leges quarum singulis pene syllabis Christus includitur; deinde prophete insequuntur et reges qui Christi preconia evidentiore sermone describunt; donec temporis plenitudine veniente, impleta veritate figurisque cessantibus, Rex noster in eternum iura mansura disposuit. Date sunt enim Petro claves perpetue, a quo tocius iuris ecclesiastici pulchritudo manavit, que ad singulas provincias, ad vindictam in nationibus et increpationes in populis faciendas, nunc per summorum pontificum, nunc per Sedis apostolice legatorum statuta, tamquam per quosdam rivulos demana-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

tur, ut hominum quotidie crescente malitia et effrenata cupiditate, que nova litigia non cessant generare, sub discretione iurium coartata, discat honeste vivere, alterum non ledere, ius suum unicuique tribuere. Hinc est, quod cum pater noster sanctissimus dominus Clemens Papa quartus ad Gneznensem provinciam cum plene legationis officio nos duxerit transmittendos, officii nostri debitum libenter exequimur, evellendo scilicet evellenda, plantando recta, gerendo et dirigendo salubriter in Domino.

1. Verum, quia expedit ad profectum et robur fidei Christiane, ut Sacramenta ecclesiastica, in quibus tamquam in vasis medicinalibus populus devotus et humilis antidotum gracie recipere consuevit, in honore et reverentia ab omnibus habeantur: cum ea plerumque contingat effici vilia propter vilem et abominabilem ministrorum ecclesie conversationem; universis personis ecclesiasticis provincie Gneznensis districte precipimus, ut in victu, gestu et aliis operibus ac circumstanciis status sui, sic honeste se habeant et decenter, ne propter ipsos nomen ecclesiasticum inter laicos blasphemetur. Eisdem imprimis districtius iniungimus inhibentes, ne de patrimonio Crucifixi inimicos se faciant crucis Christi, sicut illi quorum deus venter est, qui terrena sapiunt et non divina; ut in conviviis suis modestiam et mediocritatem observent superfluitatem indebitam resecantes, ebrietatem, omnium viciorum fomitem et nutricem, devitent; prelati vero a gravaminibus abstineant subditorum: et maxime cum ecclesias visitant moderentur expensas, coerceant evectionum numerum, prout in generali Concilio extitit definitum. Presentis igitur Concilii approbatione precipimus, ut clerici continenter et caste vivere studeant, quatenus puro corde et mundo corpore Deo possint in officio ecclesiastico ministrare. Si qui vero de cetero deprehensi fuerint detinere concubinas publice, nisi infra mensem se ab eis et earum consortio separaverint, ita quod in domibus ipsarum aut propriis aut aliis quibuscumque non cohabitent nec ad illas accedant, extunc omni beneficio ecclesiastico sint privati, et per eos ad quos eorundem beneficiorum spectat collatio, personis idoneis conferantur. Episcopos vero et archidiaconos qui huiusmodi concubinarios, ex quo de ipsorum crimine sibi constiterit, in beneficiis toleraverint contra sententiam antedictam, extunc suspendimus a divinis. Eisdem nichilominus sub eadem pena firmiter iniungentes, ut ecclesias, quarum ad ipsos pertinet visitatio, per se vel vicarium idoneum usque ad triennium visitent bis in anno, a termino trienni vero semel: ne pretextu alicuius ignorantie se valeant excusare.

2. Item, cum in plerisque locis quorundam iniquitas invaluerit, quod in rebus ecclesie furtum reputatur sagacitas, rapina probitas et violencia fortitudo: synodali iudicio diffinimus, ut qui bona ecclesiarum scienter detinent occupata, nisi infra instans Pascha eadem restituerint et de dampnis ac iniuriis satisfecerint conpetenter, extunc introitum ecclesie sibi noverint interdictum, nec ab episcopis aut aliis ecclesiarum prelatis ad communionem dominici Corporis admittantur. Qui vero obstinata mente dum vixerint satisfacere non curaverint, nullus clericus, secularis vel regularis, sepulture ipsorum interesse presumat. Adicientes, ut singulis annis in synodo, illi qui clericos capiunt, verberant vel occidunt, aut alias in ipsos manus iniciunt violentas, excommunicati denuncientur, et nominatim illi, de quibus constiterit manifeste. Quicunque vero personam ecclesiasticam enormiter vulneraverit, mutilaverit vel occiderit aut captivaverit, non nisi per Sedem apostolicam absolvatur; et ipso facto, si quid tenebant ab ecclesia, illud perdant, et in utilitatem ecclesie convertatur. Adicientes, quod in illa dyocesi in qua aliquem canonicum cathedralis ecclesie vel in dignitate ecclesiastica constitutum capi contigerit vel captum detineri, usque

[illegible]

[redacted]

ad liberationem ipsius et exhibitionem debite satisfactionis cessetur generaliter a divinis. Similiter et in illa parochia in qua res clericis violenter ablatas capi vel detineri contigerit, usque ad restitutionem et satisfactionem condignam a divinis cessetur.

3. Item, cum matrimonii Sacramentum non sit incontinentie precipitium sed magis remedium contra illud, non absque dolore cordis audivimus, quosdam in hac provincia sic a sue carnis voluptate vel terrena cupiditate deceptos, quod in gradu prohibito de facto temere contrahentes quod non tam matrimonium quam contubernium debet dici, se in incestuose luxurie vilitatem immergere, et Sacramentum matrimonii quantum in ipsis est polluere non verentur. Nos itaque tantum excessum conniventibus oculis pertransire nolentes sub pena excommunicationis districtius prohibemus, ne absque dispensatione Sedis apostolice tale deinceps matrimonium seu contubernium contrahatur, alioquin sacerdotes qui tales coniunxerint, sacerdotali officio noverint se suspensos; illi vero qui sic scienter permiserint se coniungi, ipso facto ab ingressu ecclesie suspendantur. Sub eadem quoque pena illis qui iam absque dispensatione tale matrimonium contraxerint districte precipimus, ut ab cohabitatione invicem abstinentes, diocesano suo vel alii prelato, ad quem de iure vel consuetudine pertinere dinoscitur talium cognitio causarum, rei veritatem insinuare non tardent, qui vocatis qui fuerint evocandi et causa diligenter examinata, quod canonicum fuerit statuat, faciens quod decreverit per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. Episcopi vero seu alii prelati de causis matrimonialibus cognoscentes omnino caveant, ne cupiditate devicti non solum non dirimenda dirimant, verum etiam separanda reintegrari pretextu pecunie vel etiam temporalis alterius commodi presumant. Si autem contra hoc venire presumpserint interdictum, eo ipso se noverint officio beneficiisque privatos.

4. Item, cum detentores plurium personatuum vel dignitatum seu beneficiorum cum cura, sine dispensatione, sint sacrorum canonum transgressores et fructus talium beneficiorum percipiendo furtum committere dinoscuntur, presenti decreto statuimus: ut omnes qui huiusmodi dignitatum seu personatuum seu beneficiorum cum cura pluralitatem retinent, super hec secus dispensatos fuisse, coram nobis infra mediam Quadragesimam doceant manifeste: alioquin extunc ultimo beneficio recepto sint contenti; et alia que prius habuerint, nostre collationi reservamus, decernentes irritum et inane si secus a quoquam fuerit attentatum. Si vero utrumque retinere contenderint, hos ipsos et primis et ultimis decrevimus extunc manere privatos.

5. Item ad aures nostras quorundam laicorum gravis excessus pervenit, qui contra ecclesiasticam libertatem quedam statuta, que leges inique possunt verius appellari, introducere non verentur; et licet contra huiusmodi presumptores per summos pontifices olim processum exstitit, nos tamen propter transgressorum audaciam, non tam nova cudentes quam vetera renovantes, omnes illos qui in Gneznensi provincia de cetero servari fecerint statuta edita et consuetudines introductas contra libertatem ecclesiasticam, excommunicamus in scriptis, nisi ea de capitularibus ipsorum infra instans Pascha fecerint amoveri. Excommunicamus eciam statutarios et scriptores statutorum ipsorum, nec non consules et rectores ac consiliarios locorum in quibus de cetero huiusmodi statuta et consuetudines edite fuerint vel servate, nec non et illorum qui secundum eas presumpserint iudicare vel in formam publicam scribere iudicata. Sub eadem districtione principibus secularibus inhibentes, ne ecclesias vel ecclesiasticas personas, vel homines ecclesiarum seu in ecclesiarum prediis commorantes, talliis vel collectis aggravare presumant. Verum, si quando episcopus simul cum



clericis suis tantam necessitatem vel utilitatem prospexerint, ut absque ulla coactione ad relevandas utilitates vel necessitates communes, ubi laycorum non suppetunt facultates, subsidia per ecclesias duxerint conferenda, nullatenus hoc presumant nisi prius Romanus Pontifex consulatur, cuius interest communibus utilitatibus providere. Quicumque vero episcopus vel prelatus in contrarium venire presumpserit, tam ipse quam illi qui in hoc facto sibi consilium dederint, quousque per Sedem apostolicam absolvantur, suspensi maneant a divinis.

6. Item, cum Levitis seu ecclesiasticis personis iure divino decime debeantur, dolentes referimus, quod quorundam laicorum cupiditas ius huiusmodi quod sibi Deus in signum generalis dominii retinuit nititur abolere, et pro sua voluntate de his que ad ipsos non pertinent, aliter ordinare, imo pocius deordinare presumunt, quasi a se iugum divini servicii velint excutere quod in baptismate sunt professi. Huius igitur approbacione Concilii districte precipimus, ut iuxta laudabilem consuetudinem patrie, decime in agro persolvantur; nec liceat alicui laico nobili vel ignobili, cuiuscunque dignitatis vel principatus existat, consuetudinem memoratam propria temeritate infringere; quin eciam ipse de propriis terris que suis sumptibus excoluntur decimas integraliter persolvat, nec propria voluntate, immo pocius presumpcione, eas cuiquam alteri ecclesie vel persone conferat; sed illas absque ulla contradictione percipiat qui de eodem loco decimas percipere consuevit. Si vero terras suas aliis tradiderunt colendas, eos nec in toto nec in parte a solucione decimarum presumant absolvere: cum non sit iustum, ut ea que Dei sunt et ministrorum ecclesie, personis conferant alienis; sed tam de sexto manso quam de omnibus partibus aliis, ipsi coloni decimas integraliter persolvere non omittant. Alioquin tam ipsos colonos quam defensores seu fautores eorum, ab hac presumpcione que furtum vel rapina non immerito dici potest, per denegacionem ecclesiastice sepulture et subtractionem Sacramentorum ecclesiasticorum precipimus coherceri. Adicientes et sub pena excommunicacionis prohibentes, ne aliqui prelati vel ecclesiastice persone solucionem decimarum, in hac provincia tam laudabiliter observatam, commutare presumant in pecuniariam pensionem. Ipsas tamen decimas, ipsis a colonis redditas, vendere poterint prout utilitati ipsorum et ecclesiarum viderint expedire. Et quicunque laicus, nobilis vel ignobilis, huiusmodi vendicionem clam vel palam impedire presumpserit, quousque digne satisfecerit de tali commisso, introitum ecclesie sibi noverit interdictum. Verum, sicut laicos circa preceptum de decimis persolvendis esse volumus obedientes, sic eos a gravamine ecclesiasticarum personarum, quod eis inferre dicuntur super dilacione vel mora percipiendi decimas, relevare volentes presenti decreto statuimus, ut non obstante aliqua constitucione, ordinacione seu composicione, postquam segetes in agro collecte fuerint, ei cui decime debentur sub testimonio competenti et per intervalla congrua, quorum quodlibet ad minus duos dies contiget, trina fiat denunciacio ut decimam suam tollat; ne propter eius dilacionem vel moram ipsi coloni in suis novem partibus sustineant detrimentum: alioquin, elapso triduo a tempore denunciacionis ultimo facte, novem partes suas libere ipsis liceat ubi voluerint collocare. Nos enim sentencias excommunicacionis vel interdicti quas hac occasione fieri contigerit in colonos, decernimus irritas et inanes.

7. Item irrefragabili constitucione sancimus, ut nullus clericus clericum in civili vel criminali causa, relicto suo pontifice, ad iudicium pertrahat seculare: alioquin ipso iure causam amittat in negotio civili, et in criminali causa deposicionis sentenciam non evadat. Preterea, cum nullus falcem in messem mittere debeat alienam,

districtius inhibemus, ne laici clericos super quacunque causa, presertim super homicidio vel aliis criminibus, condempnare presumant. Quod si quisquam id deinceps attemptaverit, eius sententiam esse nullam decernimus, et ipsum ab ingressu ecclesie usque ad beneplacitum dyocesani episcopi decernimus manere suspensum. Simili quoque pene subiaceat laicus, qui clericum super rebus ecclesiasticis ad iudicium traxerit seculare. Et ne forte, propter occupationem et absenciam episcoporum, querulantes seu conqueri volentes invenire non possint in foro ecclesiastico iustitie complementum, archiepiscopo Gneznensi et eius suffraganeis precipimus, ut unusquisque eorum infra mediam Quadragesimam officialem in civitate sua iuxta ecclesiam cathedralem constituat, cui in causis audiendis et censura ecclesiastica exercenda committat plenarie vices suas; et infra eundem terminum aliquem virum discretum et honestum, constitutum in ordine sacerdotis, cui similiter vices suas committat in confessionibus audiendis et penitentiis iniungendis: ut in utroque foro populus Christianus apud sanctam Ecclesiam inveniat remedium salutare. Quicunque vero hec infra terminum pretaxatum non adimpleverit, ab officii episcopalis executione ipsum decernimus extunc manere suspensum.

8. Item sub pena suspensionis quam exnunc ferimus in rebelles statuimus, quod ipsi episcopi suppleant archidiaconorum negligentiam in clericorum visitationibus faciendis, consuetudine qualibet non obstante. Pro visitatione vero facienda seu procuratione nullus recipiat pecuniam, sed cum per ipsum vel per ydoneum vicarium ad visitandum accedat, necessariorum administracione sumptuum sit contentus; et ipsi archidiaconi cum visitant, septenarium evectionum numerum non excedant.

9. Item, cum ad aures nostras frequens clamor pervenerit, quod quidam nobiles et potentes, tam clerici quam laici, sub specie hospitalitatis bona monasteriorum et ecclesiarum seu ecclesiasticarum personarum devorant et devastant nimis frequenter, et cum effrenata multitudine hospitantur, ut longioris temporis victum brevis hora consumat: sub pena excommunicationis districte precipimus, ut omnes de provincia Gneznensi, tam clerici quam laici, ab huiusmodi monasteriorum et ecclesiarum gravaminibus abstineant; qui vero non abstinuerint, sed a predictis monasteriis vel ecclesiis contra religiosorum vel secularium clericorum voluntatem quidquam extorserint, vel ex vana seu simulata confidencia annonas seu res alias clericorum absque eorum mandato contractare presumpserint, eisdem usque ad satisfactionem condignam introitus ecclesie denegetur. Episcopi tamen et alii quibus de iure vel approbata et prescripta consuetudine procuracio debetur, ipsam poterunt recipere, servato moderamine Concilii generalis.

10. Item, omnibus Christianis huius provincie sub pena excommunicationis districtius inhibemus, ne Iudeos vel Iudeas secum ad convivandum recipiant, vel cum eis manducare vel bibere audeant, aut etiam cum ipsis in suis nuptiis vel in conviviis saltare vel tripudiare presumant, ne Christiani carnes venales seu alia cibaria a Iudeis emant: ne forte per hoc Iudei Christianos, quos hostes reputant, fraudulenta machinatione venenent. Adiicientes ut de cetero, quocumque pretextu Iudei a Christianis graves seu immoderatas usuras extorserint, Christianorum eis participium subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisfecerint competenter. Unde Christiani, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam compellantur ab eorum commerciis abstinere. Principibus autem iniungimus, ut propter hoc non sint Christianis infesti, sed potius a tanto gravamine Iudeos studeant cohibere.

[illegible]

[illegible]

[redacted]

11. Volumus autem sub pena excommunicationis precipientes, ut dominus archiepiscopus Gneznensis et eius suffraganei has constitutiones nostras sigillo nostro habeant sigillatas, easque singulis annis in synodis episcopalibus et in provinciali Concilio faciant recitari et diligentius observari, et ea que tangunt laicos, faciant per parochiales ecclesias suorum diocesanorum publicari.

12. Item, cum adhuc terra Polonica sit in corpore Christianitatis nova plantatio: ne forte eo facilius populus Christianus a cohabitantium Iudeorum superstitionibus et pravis moribus inficiatur, quo levius atque citius Christiana religio in fidelium cordibus in his partibus est plantata: districte precipimus, ut Iudei in hac provincia Gneznensi commorantes, inter Christianos permixti non habitent; sed in aliquo sequestri loco civitatis vel ville domos suas sibi contiguas sive coniunctas habeant, ita quod a communi habitatione Christianorum, sepe, muro, vel fossato Iudeorum habitatio separetur. Precipimus autem, ut per episcopum diocesanum et per dominum temporalem, tam Christiani quam Iudei quorum domus intermixte sunt, ut ad venditionem seu permutationem earum ad arbitrium bonorum virorum, censura qua convenit compellantur. Quod si hec separatio infra proximum festum natale sancti Iohannis Baptiste non fuerit adimpleta, tam diocesanus loci quam dominus temporalis ingressum ecclesie extunc noverit sibi interdictum, si iurisdictionis seu interdictionis officium exercere distulerint in rebelles. Interim autem si Sacramentum altaris ante domos Iudeorum deferri contingat, ipsi Iudei audito sonitu primo, intra domos suas se recipiant et fenestras ac ostia sua claudant. Postquam autem hec separatio facta fuerit, decrevimus ut Iudei in una civitate vel villa unicam tantum habeant synagogam.

13. Item statuimus atque ordinavimus, ut Iudei cornutum pileum, quem quondam in istis partibus consueverunt deferre et sua temeritate deponere presumpserunt, resumerent, ut a Christianis discerni valeant evidenter, sicut olim in generali Concilio fuit definitum. Quicumque autem Iudeus sine tali signo deprehensus fuerit incedere, ad morem terre pena pecuniaria puniatur.

14. Item precipimus, ut Iudei sacerdoti parochiali, infra cuius parochie terminos manserint, pro eo quod loca in quibus Christiani habitare deberent occupant, iuxta quantitatem damni quod ei ex hoc inferunt ad arbitrium diocesani loci, omnes proventus refundere compellantur. Prohibemus etiam, ne stubas et balnea seu tabernas Christianorum frequentent, nec servos aut ancillas aut nutrices seu quecumque mancipia die noctuque in suis domibus retinere presumant, nec ad recipiendum theloneum seu aliud publicum officium aliquatenus assumantur. Si quis vero Iudeus cum aliqua Christiana fornicationis vitium deprehensus fuerit commisisse, quodusque decem marcas ad minus pro emendatione solverit, districto carceri mancipetur; et mulier Christiana que tam damnatum coitum peregerit, per civitatem fustigata, de ipsa civitate sine spe redeundi penitus expellatur.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 424.

Boleslaus filius Vladislai dux Polonie 1267 Febr. 16, in Dankow; commutat pro villa ecclesiae de Wrocław dicta Morawin, villas suas Zduny et Dziatkow, et in eis civitatem et forum iure Theutonico locare concedit.

Dogiel, Codex diplomatic. I, 537.

In nomine Domini amen. Quoniam ab humana facilius elabuntur memoria que nec scripto nec voce testium firmiter perennantur, ideoqne res digna memorie in scriptum redigit, ne quod canescens contraxit antiquitas, de facili valeat per etatem posteram infirmari. Nos igitur Boleslaus filius Vladislai Dei gratia dux Polonie notum facimus universis presentibus et posteris, quod concurrente consensu nostro et baronum nostrorum ex una parte, nec non venerabilis patris domini Thome Dei gratia Vratislaviensis episcopi et sui Capituli ex altera, placuerat nobis pro commutatione ville beati Iohannis et ecclesie Vratislaviensis Murmon, quam ex eadem commutatione in nostram proprietatem recepimus et possessionem, conferre et assignare in perpetuum prefato episcopo et ecclesie Vratislaviensi villas ducatus nostri sitas circa Milich, quarum una vocatur Zdunki et alia Zdatkowo, et dedimus ei licentiam villas easdem locandi iure Theutonico, cum libertate que sibi visa est competere. Novissime a beato Iohanne meritum et gratiam sperantes, ex plena nostra liberalitate quam ad prefatum dominum episcopum habemus, qui puro affectu nos diligens nostra semper negotia fideliter procuravit, contulimus ei facultatem omnimodam in eisdem villis locandi forum et civitatem liberam cum tabernis et macellis liberis, et cum pleno iure penitus et libertate fori et civitatis. Excipientes homines civitatis et villarum earundem a prewodi, powoz et strosza, nec non a potestate castellanorum et camerariorum et a iudiciis eorundem, et ab omnibus servitutibus que in iure Polonico fieri consveverunt, seu que foro et iuri civitatis possent contraire videri; nichil nobis omnino in eis relinquentes, excepta moneta, in qua nichil habebit dominus episcopus dictus, et eo salvo, quod ubi agetur de causis sangvinis, videlicet decapitationis vel membri amissionis, in talibus duntaxat causis per iudicem domini episcopi Vratislaviensis nobis ratione dominii pars tertia placationum fideliter presentabitur, relique vero due partes secundum arbitrium domini episcopi remanebunt. Ut autem dicte civitatis et fori libertates in perpetuum illibate permaneant et inconcusse, presentem chartam sigilli nostri munimine confirmamus. Datum in Dankow anno gratie M.CC.LXVII, quartodecimo Calendas Martii, presentibus his testibus: Predpolco palatino Posnaniensi, Simone castellano Gnesnensi, Iohanne castellano Calisiensi, comite Cecoslao, Roscone succamerario, Mathia secretario nostro.

Murmon, *może Morawin.* Milich, *Milicz.* Zdunki, *Zduny.* Zdatkowo, *Dziatkowo.* Dankow, *Danków.*

[illegible]

[redacted]

Nr. 425.

Clemens Pp. IV 1267 Mai. 22, Viterbii; Nicolaum ecclesiae Poznaniensi praeficit in episcopum et duci Poloniae commendat.
Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 156.

Clemens episcopus *(etc.)*, venerabili fratri Nicolao episcopo Poznaniensi salutem *(etc.)*. Assumpti quamvis immeriti disponente Domino in plenitudinem potestatis, cum inter primas sollicitudinis nostre curas hec debeat esse propensior, ut ad Christi pascendas oves tales nobis consulentibus persone procedant, in quibus per vite ministerium et prerogativam scientie fidelis dispensatio commendetur: litteratos viros quos morum et conversationis decorat honestas libenter in partem iniuncte nobis sollicitudinis advocamus, quoniam per tales et ecclesiarum utilitas et salus provenit animarum. Olim siquidem ecclesia Poznaniensi vacante, Capitulum eiusdem ecclesie dilectum filium P.. ipsius ecclesie prepositum in eorum episcopum elegerunt, cuius electionem venerabilis frater noster.. archiepiscopus Gneznensis metropolitanus ex certis causis auctoritate metropolitica iustitia suadente cassavit, et venerabilem fratrem nostrum V.. episcopum quondam Poznaniensem, tunc decanum Gneznensem, ipsi Poznaniensi ecclesie auctoritate predicta preficiens in episcopum et pastorem, munus ei consecrationis impendit. Cumque a provisione ipsi V. facta per eundem archiepiscopum,.. decanus,.. archidiaconus et alii ecclesie predicte canonici ad Sedem apostolicam appellassent, et causa mota super hoc inter eumdem episcopum ex parte una, et ipsos decanum, archidiaconum et canonicos ex altera, fuisset ad eandem Sedem pro appellatione huiusmodi devoluta: nos de ipso negotio cognoscentes, quia eandem provisionem contra constitutionem felicis recordationis Alexandri Pape predecessoris nostri super hoc editam, non persone vitio, invenimus attemptatam, de fratrum nostrorum consilio duximus irritandam. Demum vero de ipsius ecclesie ordinatione sollicite cogitantes, ne ipsa Poznaniensis ecclesia pateretur ex iterate dissentionis dispendio et diutina vacatione discrimen, et de tali eidem persona provideri volentes que subditis verbo proficeret et exemplo, te tunc capellanum nostrum, virum utique fame laudabilis et scientie congruentis et in nostris et fratrum nostrorum oculis probitatis tue meritis gratiosum, de fratrum eorundem consilio eidem Poznaniensi ecclesie in episcopum prefecimus et pastorem, tibique consecrationis munus de nostris duximus manibus impendendum, firmam spem fiduciamque tenentes, quod sepe dictam ecclesiam auctore Domino salubriter gubernabis. Quocirca fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente mandantes, quatenus ad premissam ecclesiam, cure tue divina et apostolica provisione commissam, cum gratie nostre plenitudine proficiscens, sic eam fideliter et prudenter secundum datam tibi a Deo scientiam regere studeas, quod tuo ministerio, annuente divina clementia, salutaribus proficiat incrementis, et nos sollicitudinis tue studium dignis in Domino laudibus comendemus. Datum Viterbii XI Kalendas Iunii, anno tertio.

In e. m. Capitulo Poznaniensi, verbis competenter mutatis. Datum ut supra.

Clemens episcopus *(etc.)*, dilecto filio nobili viro.. duci Polonie salutem *(etc.)*. Assumpti quamvis *(etc. ut in alia, usque)*: accedentem cum reverentia suscipiens et honore, sibi et eidem ecclesie favorabilem et benivolum te impendas, ita quod ex-

[redacted]

inde tibi Deum reddas propitium, et Sedem apostolicam in tuis beneplacitis promptiorem. (*Datum ut supra*).

Nr. 426.

Clemens Pp. IV 1267 Jun. 1, Viterbii; suscipit monasterium de Lubin et possessiones eius sub beati Petri et suam protectionem.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabnych czerwon. i żółt. przywieszona bulla: Clemens Pp. IIII.

Poznań. Königl. Staats Arch. Lubin 3.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et Conventui Lubinensi Poznaniensis diocesis, Ordinis sancti Benedicti, salutem et apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana ecclesia devotos et humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater sue protectionis munimine confovere. Eapropter dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et monasterium in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis que impresentiarum rationabiliter possidet aut in futurum iustis modis prestante Domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem terras, possessiones et alia bona vestra, sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis, vobis et per vos eidem monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Viterbii Kalendis Iunii, pontificatus nostri anno tertio.

Lubinensis, *de Lubin.*

Nr. 427.

Boleslaus dux Polonie 1267 Aug. 6, in Poznan; monasterium Paradyż ab omni solutione thelonei per omnes civitates terrae suae liberat.

Rogalin. Biblioteka. Paradis. Lib. privil. Nr. 44.

In nomine Domini amen. Noverint universi ad quorum noticiam devenerit presens scriptum, quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie, in remedium anime nostre et posterorum, domum Fratrum griseorum de Goscichow, que et Paradisus appellatur, ab omni theloneorum solucione per omnes civitates terre nostre, quascunque dicte domus fratres aut eorum procuratores pro rebus utensilibus seu victualibus, utpote sale, cibariis, vasis, vestibus seu aliis rebus que prenotate domus commodis et usibus videbuntur expedire comparandis adire, aut iam rebus comparatis in redeundo domum transire contigerit, iam sepius dictos fratres reddimus absolutos. Ne igitur prefati fratres per aliquos monetarios, teloncarios seu tribunos super predictis de cetero valeant molestari, presentem literam nostri sigilli munimine roboramus. Datum

[redacted]

in Poznan proximo die sequenti post festum Dominici, VIII Idus Augusti, anno dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo sexagesimo septimo.

Paradisus, *Paradyż.*

Nr. 428.

Kazimirus dux Lanchicie etc. 1267 Sept. 19, in Iune Vladislavia; concedit villae monasterii de Mogilno dictae Czamanin, libertates incolarum antiquarum villarum ecclesiae de Włocławek.

Pergam. orygin. Sznurki jedw. białe i czerw. od przywieszonéj niegdyś pieczęci. Mogilno. Privil. monasterii. Q, 1.

Universis presens scriptum inspecturis, Kazimirus Dei gracia dux Lanchicie et Cuyavie salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod nos bonorum ac fidelium commodis intendere cupientes, peticionibus domini Iohannis rectoris ecclesie Vladislaviensis beati Iohannis Baptiste nolentes recusare, ville monasterii Mogilnensis dicte Chemanino, et hominibus manentibus vel quos manere contingerit in eadem, in perpetuum libertatem plenam concedentes donamus, talem videlicet quam habent antique ville ecclesie Vladislaviensis, prout in privilegio ecclesie predicte super libertate antiquarum villarum dato plenius continetur. In cuius rei testimonium presens scriptum nostri sigilli munimine fecimus roborari. Datum in Iune Vladislavia anno Domini M.CC.LX septimo, XIII Kalendas Octobris, presente venerabili patre domino Wolimiro ecclesie Vladislaviensis episcopo, Vito preposito, Sandislao custode Vladislaviensibus, Iohanne preposito, Lyphardo archidiacono Crusviciensibus, Iacobo et Iascone canonicis eiusdem ecclesie, Venceslao subagazone Cuyavie, Iohanne dicto Sicula rectore ecclesie sancti Iohannis Vladislaviensis qui presens instrumentum inpetravit, et presentibus aliis clericis et laycis.

Vladislaviensis, *de Włocławek.* **Mogilnensis,** *de Mogilno.* **Chemanino,** *Czamanin.* **Iunis Vladislavia,** *Inowrocław.*

Nr. 429.

Ianusius Gneznens. ecclesie archiepiscop. et sui suffraganei 1267 Oct. 16, in Dancow; transmitunt Mistivio duci Pomoraniae partem statuti in Synodo Wratislaviensi eodem anno 2 Febr. editi, vigore cuius principes ecclesias, personas ecclesiasticas, vel homines ecclesiarum talliis aggravantes, excommunicari debent.

Pergam. orygin. Skrawki pergam. od przywieszenia 5 pieczęci.

Warszawa. Biblioteka prywatna. Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Poloniae III, Nr. 91.

Domino suo M. Dei gracia duci Pomoranie, Ianusius divina miseracione Gneznensis ecclesie archiepiscopus eiusque suffraganei, Thomas videlicet Wratizlaviensis,

[redacted]

Paulus Cracoviensis, Wolymirus Wladizlaviensis, Nicolaus Poznaniensis episcopi in Synodo congregati, oraciones devotas in Domino Ihesu Christo. Licet non dubitemus, constituciones per venerabilem patrem dominum Guidonem tituli sancti Laurentii in Lucina presbyterum cardinalem, apostolice Sedis legatum, in Synodo per ipsum in Wratislavia novissime celebrata publice ac sollempniter editas ad vestram devenisse noticiam, tamen, quia in se contra contemptores seu desides gravissimas continent summas, ne vel vos summam excommunicacionis per eundem legatum auctoritate apostolica prolatam velamento cuiusquam ignorantie contingat incurrere, vel nos propter negligenciam in suspensionis sententiam videamur incidere, que sententia est periculosissima in prelatos: aliquas de dictis constitutionibus de verbo ad verbum inferius annotantes serenitati vestre duximus transmittendas, quatenus ipsarum tenore plenius intellecto, nec vos in laqueum excommunicationis incidatis, nec nos suspensionis summam incurramus, quin immo vestra pocius devocio et nostra obediencia apud Sedem apostolicam ex observancia earundem constitucionum non immerito commendetur. Tenor vero illarum constitucionum talis est: *(Sequitur diploma Nr. 423 ab:* Excommunicamus principes *etc. usque ad:* ad restitucionem et satisfactionem condignam a divinis cessetur).

Datum in Synodo celebrata in Dancow XVII Kalendas Novembris, sub anno Domini M.CC. sexagesimo VII.

Wladizlaviensis, *de Włocławek.* Dancow, *Dankow.*

Nr. 430.

Bolezlaus dux Polonie 1267 Nov. 8, aput Kalis; vendit hereditatem Spytkowo Thiloni civi Poznaniensi et avunculo eius Henrico de Środa.

Pergam. orygin. Dwie pieczęcie przywieszone na grubych sznurach ukręconych z mniejszych sznurków jedwabiu czerwonego. U pierwszéj wierzchnia połowa odpadła; druga jest pieczęcią Przemysława I księcia, (pieczęć XV).

Bibl. XX. Czartoryskich, Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplomatic. Poloniae I, Nr. 52.

In nomine Domini amen. Licet acta hominum evidenter subiaceant noticie singulorum, consueverunt nichilominus calumpnia novercari; quapropter necesse est actiones legitimas per scripti continenciam et testium subnotacionem in noticiam transvehi posterorum. Hinc est quod nos Bolezlaus Dei gracia dux Polonie tam presentes quam posteros cupimus non latere, nos prius nostri filioli karissimi Premislonis assensu benivolo requisito, civi nostro de Poznan Thiloni et avunculo suo Henrico de Novoforo hereditatem quandam Spithcowo dictam sitamque aput Poznan, et aquam ibidem que Stara reka nominatur, ita prorsus integre sicuti eandem Henricus noster procurator Gneznensis primitus possidebat, pro LX marcas libere vendidisse iure hereditario per ipsos et eorundem posteros possidendam, eos ab omni solucione censuali aliorumque iurium penitus eximentes, excepta decima que reddi debet pro more solito ad quem spectat. Preterea, prefati heredes si conveniendi fuerint super causam aliquam pretacte hereditatis, coram Poznaniensis civitatis iudice debebuntur iure Theutonico conveniri. Insuper nostri piscatores in aqua prememorata pro nostro li-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

bito piscabuntur. Ut hec igitur nostra vendicio nulla calumpnia in posterum valeat attemptari, hanc kartulam nostrorum sigillorum munimine fecimus communiri. Datum aput Kalis anno gracie Domini m.cc.lxvii, sexto Ydus Novembris. Testes autem huius sunt: comes Predpelk palatinus Poznaniensis, filius eiusdem Nicolaus subcamerarius noster, Drogomirus et Pribizlaus alumpni nostri filioli Premislonis, dominus Mathias notarius curie nostre.

Novum forum, *z niemiecka Neumarkt, czyli Środa na Szląsku.* Spithcowo, *osada znikła pod m. Poznań, leżała w pobliżu t. z. Berdychowskiéj tamy.* Aqua Stara reka, *dzisiejszy kanał prostujący koryto rz. Warta od tamy Berdychowskiéj aż do mostu na rz. Cybina obok mostu fortecznego na rz. Warta.*

Nr. 431.

Clemens Pp. IV 1268 Mart. 18, Viterbii; confirmat donationem villarum Kruszyn, Mochle et Orle, quondam a Swantopelcone duce Pomoraniae ecclesiae Gneznensi factam.

Pergam. orygin. Na sznurku z nici jedwabn. czerwon. i żółt. przywieszona bulla: Clemens Pp. IIII.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 31.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Gneznensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod quondam Sanctopolcus dux Pomeranie, de Crusevo, Mochle ac Orel, villas tunc ad ipsum libere pertinentes, cum lacubus, piscariis, venationibus ac omnibus iuribus, utilitatibus et pertinentiis suis, bone memorie Fulconi Gneznensi archiepiscopo predecessori tuo et per eum ecclesie Gneznensi ob reverentiam beati Adadberti (sic) martiris, in cuius honore dicta sicut asseritur est constructa ecclesia, pia et provida donatione donavit, prout in patentibus litteris inde confectis, eiusdem ducis sigillo munitis, plenius dicitur contineri. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem duce pie ac provide factum est in hac parte ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Viterbii XV Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

Crusevo, *Kruszyn.* Mochle, *Mochla.* Orel, *Orle.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 432.

Bosslaus dux Maioris Polonie 1268 Apr. 24, in Gnezna; hereditatem comitis Bozatae venatoris Poznaniensis dictam Białków, plurimis immunitatibus ditat.

Pergam. orygin. Na pasmie nici jedwabn. czerw. przywieszona pieczęć Bolesława księcia; (pieczęć XVI).
Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 32.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio comissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata susscipit incrementum. Igitur nos Bosslaus Dei gracia dux Maioris Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis, quod intuentes fidelia servicia et utilia comitis Bozate venatoris Poznaniensis que nobis multipliciter exhibuit et adhuc nititur et intendit exhibere, contulimus omnimodam libertatem super ipsius hereditatem que Balcovo Coscol vulgariter nuncupatur, sibi suisque successoribus in perpetuum possidendam ut antiquitus fruebatur; videlicet a nazaz, a povoz, a prevod, a podvorove, a stroza, ab opole, a bove, a vacca, a porco et a custodia falconis, a capete annone, a curru feni, a iata bobrova, a zamros, a urna mellis gaiovego, a ponte, a castri citacione sint liberi et exempti. Nec citati conparebunt, set tantummodo coram nobis, dum per litteras sigillo nostro sigillatas citati conparebunt. Et in villa prenotata aliquod homicidium fuerit perpetratum, heres ville cum posteritate sua iudicabunt et penam pro se recipient. Et ut hoc factum rite peractum maneat firmum et inconvulsum, sigilli nostri munimine presentem paginam duximus roborandam presentibus hiis testibus: comite Simone castellano Gnezensi, comite Sventoslao castellano de Nakel, comite Preclao castellano de Ussce, comite Andrea pincerna Gneznensi. Datum in Gnezna sequenti die beati Adalberti martiris, anno Domini M.CC.LX octavo.

Balcovo Coscol, *Białków, wieś granicząca z wsią Kościelec.* Nakel, *Nakło.* Ussce, *Ujście.*

Nr. 433.

Boleslaus dux Polonie 1268 Apr. 25, apud Gneznam; concedit fratribus domus Hospitalis s. Iohannis in Poznań facultatem, villam ipsorum Siedlec iure Theutonico locandi.

Praga. Archiv. prioratus Ordinis equitum Melitensium. (Kopia w zeszycie papierowym, bez podania źródła; pismo XVIII wieku).

In nomine Domini amen. De gestis hominum sepe grandis emerget et durat talium penitentia (sic), nisi rerum oblivio per eternam scripti memoriam aufferetur. Ideoque presens noverit et ventura (sic) ad cuius noticiam hanc continget litteram pervenire, quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie, cupientes piam post nos domui Hospitalis beati Iohannis in Poznan, scilicet Domui transmarine Iherosolymitani Hospitalis beati Iohannis, relinquere memoriam, ipsi villam suam Sedlczc dictam cum

[illegible]

[redacted]

illius sortibus eidem ville adiacentibus et ad Domum dictam pertinentibus, secundum quod sunt cum predicta villa certis limitibus circumducte, locandi iure Theutonico, iure videlicet Novi fori, liberam prestitimus facultatem, conferentes inhabitatoribus dicte ville decem annis libertatem; nichil autem iuris cuiusquam nobis reservantes, preterquam in magnis causis, aut sanguinis, que sunt: capitis truncatio, pedis, manus aliusve alicuius membri mutilatio et huiuscemodi: super quarum placacionibus tercius denarius racione dominii nobis spectat, duo vero residui cedere debebunt prefate ville sculteto et Domui memorate. Quodque, quod iuris in ceteris villis per terram nostram eodem iure locatis fuerit habitum, et in hac post libertatis exitum volumus observare. In cuius rei confirmacionem eidem Domui hanc litteram tradimus nostri sigilli munimine communitam. Datum apud Gneznam anno Domini M.CC. sexagesimo octavo, in die beati Marci evangeliste, magistro Mauricio tenente Domus prefate magistratum.

Sedlcze, *Siedlec.* Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szlązku.*

Nr. 434.

Boleslaus dux Polonie 1268... confert Henrico Stangonis, civi de Kalisz, tres mansos in villa Tyniec iacentes.

Kalisz, Archiwum Rządowe. Relation. Castrens. Kalissiens. a. 1689, Lib. 54, fol. 118. Górny brzeg księgi nadgniły, oprócz tego brak następnéj karty, zawierającéj dalszy ciąg dyplomatu. Rok jego wystawienia przytoczony w formule oblatowania.

In nomine Domini amen. Ne res memorabiles per processum temporis damnosa oblivio valeat infirmare, consueverunt eiusmodi oblivionis aditus per scripti continentiam refrenari. Unde notum facimus universis presentibus et posteris hanc paginam inspecturis, quod nos Boleslaus Dei gratia dux Polonie, dilecti civis nostri Calissiensis Henrici Stangonis fidele et diligens servitium attendentes, ipsi et posteris suis tres mansos in Tyniec iacentes, liberos ab omnibus solutionibus nobis debentibus, contulimus iure hereditario possidendos ita, ut dandi vendendique liberam . . . .
. . . .

Tyniec, *Tyniec.*

Nr. 435.

Boleslaus dux Polonie 1268 Mai. 10, in Dobezyce; confert comiti Nicolao succamerario Poznaniensi hereditatem Saczyn cum facultate eandem iure Theutonico locandi.

Wilanow, Biblioteka. Rejestr rewizorów do Wielkopolski, fol. 72.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Quoniam facta hominum successu temporum a memoria dilabuntur, necessarium est ut scriptis diligencius confirmentur et sigillis authenticis roborentur, quatenus quod rite actum est, in perpe-



tuum immutabile perseveret. Noverint igitur universi tam presentes quam futuri presentem paginam inspecturi, quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie hereditatem quandam, Saczino vulgariter nuncupatam, comiti Nicolao filio palatini, succamerario Poznaniensi, pro fidelissimis ipsius serviciis quibus nobis utiliter ac multipliciter deservivit contulimus iure hereditario cum suis posteris in perpetuum possidendam. Concessimus insuper et concedimus eidem comiti Nicolao, ut predictam hereditatem libere locare valeat in iure Theutonico, secundum formam et ius quod in Novo foro, dicto Sroda, est habitum et habetur. Acta sunt hec anno Domini m.cc.lx.viii presentibus hiis testibus: palatino Kalisiensi comite Arcamboldo, Iancone castellano Kalisiensi, Sixto castellano de Ruda, Roscone succamerario Kalisiensi, Petro dicto Iessene, Boguslao subpincerna Kalisiensi, Nicolao subdapifero Kalisiensi. Datum in Dobezyce sexto Idus Maii. In cuius rei confirmacionem presentem paginam nostri sigilli munimine fecimus communiri.

Saczino, *Saczyn*. Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szląsku*. Ruda, *Ruda*. Iessene, *Jasień*. Dobezyce, *nie odgadnione, może mylnie zam. Dobryszew*.

Nr. 436.

Bolezlaus dux Polonie 1268 Aug. 26, aput Gneznam; commutat villas suas Rembielice et Kokanin cum villa militis Petri filii Cesantae, dicta Chotynin.

Pergam. orygin. Na sznurze z nici jedwabn. zielon. i niebiesk. przywieszona pieczęć Bolesława księcia; (pieczęć XVI).

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 33.

In nomine Domini amen. Licet acta hominum evidenter cognicioni subiaceant singulari, consueverunt nichilominus processu temporis, cum testes defuerint, calumpnia novercari; ideoque necesse est acciones legitimas per scripti continentiam et testium subnotationem immitti memorie venturorum. Quapropter innotescere cupimus aput omnes presentes et posteros quorum conspectui hanc continget kartulam presentari, quod nos Bolezlaus Dei gracia dux Polonie, a dilecto milite nostro Petro filio Cesante per modum commutationis ipsius hereditatem Chotinino nuncupatam, sitamque citra aquam que Presna dicitur, recepimus iure hereditario retinendam; conferentes ipsi pro prememorata hereditate duas villas nostras Teutonicas, Rambelice videlicet et Cocanino, iure penitus prehabito possidendas cum ea omnimode libertate, qua et Chotinino primitus possidebat. Ita videlicet, ut in prefatis duabus villis tabernam, pistrinam et macellum carnificum libere habeat, non obstante quod aliqua earum vicina sit alicui civitati; nec advocatus noster magnis debebit interesse iudiciis, sed fidelis noster, quem ad tollendum tercium denarium nostrum, de magnarum nobis causarum placacionibus spectantem, disposuerimus transmittendum. In cuius rei testimonium hanc sibi tradimus litteram nostri sigilli robore communitam. Datum aput Gneznam anno Domini M.CC.LXVIII, septimo Kalendas Septembris, presentibus hiis: comite Ubizlao kastellano de Ruda, Zegota dapifero Kalisiensi, Roscone subca-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

merario, Stoygnevo, Stralcone subagazone, Nicolao preposito sancti Pauli in Kalis, et aliis multis.

Chotinino, *Chotynin*. Presna aqua, *Prosna rz.* Rambelice, *Rębielice.* Cocanino, *Kokanin.* Ruda, *Ruda.*

Nr. 437.

Boleslaus dux Polonie 1268 s. d. et l.; confirmat omnes libertates et privilegia, ecclesiis de Włocławek et Kruszwica a praedecessoribus suis concessa.

Pergam. orygin. Na plecionce z nici jedwabn. czerwon. przywieszona pieczęć Bolesława księcia, (pieczęć XVI).

Warszawa. Biblioteka prywatna. Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Poloniae, II, 93.

Noverint universi presentem paginam inspecturi, quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie, ob amorem Dei et reverenciam beate Marie virginis et inspectis multis serviciis que nobis venerabilis pater dominus Wolymirus Wladislaviensis ecclesie episcopus sepius exhibuit, omnes libertates et privilegia que illustris princeps patruus noster felicis recordacionis dominus dux Kazimirus et filius suus dominus dux Zemomislius, frater noster, Wladislaviensi et Crusviciensi ecclesiis contulerunt, prout in litteris super hiis confectis continetur, data fide promisimus inviolabiliter observare et ab omnibus nostris successoribus ea in perpetuum decernimus observari. Predictas igitur libertates et privilegia ratificamus, approbamus et presentibus confirmamus. Ut autem hec nostra confirmatio perpetuum robur firmitatis obtineat, hanc paginam nostri sigilli munimine fecimus roborari. Datum anno Domini m.cc.lx.viii.

Wladislaviensis, *de Włocławek.*

Nr. 438.

Prandotha de Balaczow episcop. Cracoviens. 1268 (sic) Nov. 22, in Nova civitate Corczyn; consecrat ecclesiam parochialem in villa Drugnia a Boleslao duce Cracoviae erectam, ipsamque decimis de tribus villis dotat.

Pergam. orygin., u którego na plecionce nici jedwab. żółt. i niebiesk. przywieszona okrągła pieczęć przedstawia biskupa siedzącego, pod którego stopami na trójkątnéj, dołem zaokrąglonéj tarczy, godło rodu Odrowąż. Rysunek bardzo poprawny; napis zatarty. Pismo z środka lub końca XV wieku, atrament ceglasto-czerwony.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 34.

In nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Dum inter humane nature comoda nichil dignius habeant, opportunum existat ut actus hominum qui vetustate cadunt et successione temporis in oblivione labuntur, solidis literarum apicibus et testium annotacione perhennentur ne lapsu temporis evanescant. Quare nos

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Prandotha de Balaczow Dei gracia episcopus Cracoviensis significamus tenore presentium quibus expedit universis et singulis tam presentibus quam futuris presencium noticiam habituris, quomodo ad postulacionem et suplicacionem illustrissimi domini Boleslai Dei gracia ducis Cracoviensis, Sandomiriensis, Radomiensis et Lublinensis, quam zelo devocionis et animo contrito ac devoto ut ad Deum consveverat exhibere et tunc exhibuit, ut ecclesiam in villa dicta Drugnya, que ecclesia de novo fuit per prefatum ducem Boleslaum erecta et constructa in honorem Dei omnipotentis et beatorum martirum Laurencii, Bartholomei et Sigismundi regis incliti, consecraremus et dedicaremus: quam ecclesiam prefatus dominus Boleslaus prius nostro freto et habito consensu construxit et fundavit ac de muro et lapidibus firmavit et certis suis bonis ac privilegiis donavit et contulit, videlicet calicibus duobus argenteis, ornatis quinque de postavecz, duo antipedia etiam de postavecz cum auro, reliquias, hoc est manum fabricatam de argento et deauratam, in quam reliquias proprias sancti Sigismundi ibi dedit et donavit, et omnia alia necessaria pertinencia disposuit et ordinavit; insuper agris, pratis, gagiis, borris, silvis, kmethonibus, piscinis pro plebano prefate ecclesie et ministrorum dotavit, donavit et fundavit ac limitavit perpetue et in evum, prout in privilegio eiusdem ecclesie lacius continetur: nos illius peticionibus aclinati tanquam iustis, prefatam ecclesiam in honorem Dei omnipotentis et beatorum Laurencii, Sigismundi, Bartholomei patronos consecravimus et dedicavimus die dominico proximo post festum sancti Martini, in quo die prefatum festum dedicacionis celebrabitur. Insuper ad peticionem prefati domini Boleslai decimas duas de villis nostris, videlicet Drugnya et Podstola, et de omnibus kmethonibus ac curiis, ac etiam decimas in Ruthky mense nostre, ad prefatam ecclesiam in Drugnya damus, assignamus et incorporamus et ascribimus perpetue et in evum. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum et datum in nova civitate Corczyn feria quinta ante festum sancte Katherine, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octavo (sic), presentibus ibidem venerabilibus: Paulo de Przymacow decano, Iohanne de Byelsza archidiacono, Procopio de Wratislavia custode, Andrea de Raphalovycze canonico, Michaele, Gregorio, canonicis ecclesie nostre cathedralis Cracoviensis et prelatis, et aliis quam plurimis circa premissa.

Balaczow, *Białaczów*. Drugnya, *Drugnia*. Podstola, Rudki, *dziś tak samo.* Nova civitas Corczyn, *Korczyn.*

Nr. 439.

Andreas episcopus et Capitulum ecclesie Poznaniens. 1269 Jul. 2, Poznan; donant fratribus Ordinis Cisterciensis de Dobryług, in Zemsko monasterium erigere intendentibus, decimas de villa praefata nec non de quinquaginta mansis in nemore dicto Sokola dąbrowa.

Pergam. orygin. Na sznurkach jedwabn. czerwon. przywieszono dwie podłużne pieczęcie; pierwsza zupełnie starta; druga Kapituły Poznańskiej, (pieczęć VIII).

Poznań. Königl. Staats Archiv. Blesen 6.

In nomine Domini amen. Nos A. Dei gracia episcopus, I. prepositus, I. decanus, totumque Capitulum ecclesie Poznaniensis, cupientes divinum cultum in nostra

[illegible]

[redacted]

dyocesi ampliare et sacram religionem non solum plantare set modis omnibus fovere et propagare, considerataque devotione fratrum Ordinis Cysterciensis, qui in loco quasi deserto et sterili circa confinia nostri episcopatus monasterio fundato in paupertate eximia, domum erigere et abbatiam creare Christo favente intendunt, ad sustentationem ibidem Deo serviencium et quos pro tempore illic servire contigerit, pro sublevanda ipsorum inopia et ut participes simus orationum et aliorum bonorum que in eodem fiunt vel in posterum fient monasterio, decimam de villa eorum Zambrsco, in cuius territorio prefatum monasterium est constitutum, donamus prout nunc est et sicuti poterit etiam per ipsorum vel quos ibi locaverint industriam augeri in futurum. Adicientes etiam dicto monasterio et fratribus in eo degentibus decimam, vel quod nomine decime accipi contigerit, in quinquaginta mansis, quos fratres de Dobroluc Ordinis prenominati locant vel locabunt in nemore quod Socola dambrova vulgariter nuncupatur. Et hec que prediximus taliter ipsis duximus donanda, ut ad nos sine qualibet contradictione revertantur si forte, quod non optamus, in loco prenominato Conventum et abbaciam non creaverint, sive creatum aliquo infortunio contigerit dissipari. Ut autem hec nostra donatio inviolabilis perpetuo valeat permanere, presentem litteram sub nostris sigillis sepe dictis fratribus in testimonium omnium supradictorum duximus conferendam. Actum in ecclesia Poznaniensi anno Domini m.cc.lx nono, VI Nonas Iulii, presentibus dominis et fratribus nostris: Iohanne preposito, Iohanne decano, Iacobo scolastico, magistro Petro archidiacono, Iohanne cantore, Bascone custode, et aliis quam plurimis canonicis eiusdem Capituli.

Zambrsco, *Zemsko.* Dobroluc, *Dobryług.* Socola dambrova, *nazwisko dziś znikłe miejscowości w okolicy m. Bledzew.*

Nr. 440.

Boleszlavus dux Polonie 1269 s. d., in Kalis; concedit monasterio de Ląd, ut civitatem Lądek iure Theutonico locare possit, eamque amplissimis privilegiis munit.

Pergam. orygin. Gruby sznur nici jedwabnych żółtych, z którego pieczęć znikła. Biblioteka XX. Czartoryskich. Diplomata, Vol. I, Nr. 11.

In nomine Domini amen. Ne mater iurgiorum cupiditas longe lateque suis funiculis dilatatis per materiam discordie negocia rite gesta interimat vel perturbet, expedit ut conatus ipsius per litterarum apicem reprimantur, et debitum effectum sorciatur iusticia. Innotescat igitur universis et singulis presentibus et futuris, quod nos Boleszlavus divina gracia dux Polonie, cupientes nostris temporibus cultum divini nominis non diminui sed augeri ac ea que ad utilitatem et commodum spectant virorum ecclesiasticorum, maxime religiosorum, prout possumus confovere ut liberius valeant Domino famulari, concessimus fundacioni predecessorum nostrorum, domui videlicet de Lenda Ordinis Cysterciensis ac fratribus ibidem Deo famulantibus, in hereditate ipsorum que Coszol nuncupatur civitatem locandi cum Theutonicis seu liberis Polonis nec non et castorariis et hominibus cum prefata hereditate collatis, pleno iure Theutonicorum. Nos vero progenitorum nostrorum devocionem quam semper

habuerunt erga predictam domum pio prosequentes affectu, conferimus advocato sepe dicte civitatis plenam auctoritatem suspendendi, decollandi, rotandi, exoculandi, ac membrorum mutilacionem simul et omnia iudicia exercendi, nulli castellanorum aut iudicum sive advocatorum in nulla re vel causa ius aliquod in ipsa civitate reservantes. Cives vero prefate civitatis nusquam citari censemus nisi ante advocatum sepe dicte civitatis, ipsum vero advocatum nusquam citari volumus nisi ante ducem cum ipsius anulo. Ceterum vero, ut parentum nostrorum imitatores ydonei effici mereamur, pro eius amore in cuius dicione cuncta sunt posita absolvimus homines prenominate civitatis in perpetuum ab omnibus solucionibus, exactionibus, vecturis ac ceteris angariis sive omnibus iuribus in Polonia constitutis, excepto hoc solo, si aliquis contra dominium nostrum insultum fecerit, quod homines dicte civitatis dominium nostrum una nobiscum tenebuntur defensare. Ut autem hoc factum nostrum in honorem Dei sancteque genitricis eiusdem semper virginis Marie ratum et inviolabiliter observetur, presentem cedulam sigilli nostri munimine duximus roborandam. Actum in Kalis anno Domini m.cc.lx.ix. Adest et fidelium testium astipulacio: Iohannes castellanus de Kalis, Symon castellanus de Gnezna, Ubizlaus castellanus de Ruda, Syxtus venator de Kalis, Cechozlaus pincerna ibidem, Nycolaus subdapifer, et aliis multis probis et honestis.

Lenda, *Ląd.* Coszol, *czyli forum beati Nicolai, miejscowość na któréj wzniesiono miasto Lądek.* Ruda, *Ruda.*

Nr. 441.

Boleslaus dux Polonie 127? Apr. 28, in Srzem; liberat ad civitatem monasterii Lubinensis dictam Krzywin causa fori annualis pergentes a solutione thelonei, civibus vero ipsius amplas libertates confert.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B. 16. — Raczyński. Cod. diplom. Maior. Polon. 55. — Poznań, Königl. Staats Arch. Lubin 47. (Transsumpt orygin. potwierdzony przez: Kazimirus rex Polonie etc. 1353 Febr. 12, in Costan, *podający ten dyplomat pod rokiem 1270).*

In nomine Domini amen. Nos Boleslaus Dei gratia dux Polonie, universis Christi fidelibus presentem literam inspecturis gratie sue plenitudinem et omne bonum. Vestra noverit universitas, nos ob peticionem domini Iacobi abbatis et fratrum de Lubin et ob melioracionem civitatis sue Crzivin, omnibus cum mercimoniis ad eam pergentibus res vendendas et emendas in annuali foro libertatem contulisse a thelonei exaccione et monete, et eciam ut cives predicte civitatis per totam terram Polonie theloneum non persolvant. Volumus autem, ut nundine memorate civitatis per quatuor dies stare debent a vigilia Pentecostes. Proinde, ne aliquis palatinus vel castellanus seu beneficiarius ab hospitibus ad prefatam civitatem venientibus aliquam exaccionem audeat extorquere aut ipsos in aliquo detinere vel perturbare, vel eciam predicti cives in prefato theloneo ab aliquo in civitatibus nostris impediantur, presentem literam nostri sigilli munimine duximus roborandam. Datum in Srzem anno

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Domini M.CC. septuagesimo (6 lit. del.) quarto Kalendas Maii, in die sancti Vitalis martiris.

Lubin, *Lubin*. Crzivin, *Krzywin*. Srzem, *Śrem*.

Nr. 442.

Comes Lanchomirus 1271 Jan. 15, s. l.; testamentum facit.

Transsumpt potwierdzony przez: Boleslaus dux Polonie 1272 Ian. 12, in Iuveni Wladislavia.

Biblioteka XX. Czartoryskich. Teki Naruszewicza.

Anno Domini milessimo ducentesimo septuagesimo primo, decimo octavo Kalendas Februarii, ego comes Lanchomirus bona deliberatione habita, cupiens placere domino Jesu Christo, in mea ultima voluntate et condens testamentum delego et assigno beato Petro apostolorum principi ad ecclesiam Cruswiciensem villam meam que Procino nuncupatur. De villa autem Lanchomirze super Goplam sita sic volo et dispono, quod tota cum omnibus attinentiis in duas partes dividatur, que michi propter debita fratris mei integraliter cessit et legaliter; et unam partem totius videlicet hereditatis ac omnes meas res mobiles, scilicet animalia rationabilia cum brutis et cum omnibus aliis rebus quibuscumque nominibus censeantur, uxori mee que me de paganismo redemit, nomine Dobroslava, similiter delego et assigno, et eam cum omnibus rebus suis mobilibus et immobilibus venerabili patri domino Wolymiro, ecclesie Wladislaviensis episcopo committo, ut ab ecclesia in suis ipsa iniuriis et necessitatibus defendatur. Aliam vero partem eiusdem hereditatis filio dicti fratris mei Iohannis delego et assigno, et si uxorem meam antedictam diebus vite sue bene tenuerit et honeste, eidem uxori mee liberam do facultatem, ilius hereditatis partem quam ei de rebus mobilibus delego et assigno, dandi supradicto fratris mei filio si honeste sicut dixi ab ipso fuerit conservata: alioquin penitus sit libera, partem dicte hereditatis cum omnibus aliis rebus supradictis pro sua voluntate et in anime sue remedium dare et assignare cuicunque sibi placuerit ecclesie, et ubi melius videbitur expedire. Hec omnia et singula pure et simpliciter feci et sic adimpleri volo, ut bonorum operum particeps merear inveniri, et ut ea que sic bona fide peregi et in ultima voluntate mea in testamento conclusi, omnia et singula firma permaneant. Testes ad hoc specialiter vocavi, videlicet honorabiles viros et dominos: Sandislaum custodem Wladislaviensem, Goslaum decanum, Lyphardum archidiaconum, Venceslaum custodem et Michaelem canonicum ecclesie Crusviciensis, Iacobum plebanum de Kocziesiow, comitem Miloslaum Prebislaviensem, et Goslaum, Vislaum, Woyslaum et Mycyconem milites et heredes de Kosczicsiow et alios quam plures, rogans suppliciter et devote, quia sigillo careo, ut presens scriptum sigillorum impressione predictorum testium sigilla habentium muniretur, quod ad meam petitionem dicti testes facere studuerunt.

Procino, *Proczyn*. Lanchomirze, *Lachmirowice*. Gopla, *Gopło jezioro*. Wladislaviensis, *de Włocławek*. Koscziesiow, *Kościeszki*. Prebislaviensis, *de Przybysław*.

[illegible]

[redacted]

Nr. 443.

Boleslaus dux Polonie 1271 Apr. 25, Gnezne; vendit ministerialibus suis Iacobo, Alberto et Andreae Milosovy hereditatem Kamieniec cum eisdem iuribus, quibus omnes nobiles suae Poloniae fruuntur.

Transumpt potwierdzony przez: Iohannes episcopus, Vincencius palatinus Poznaniens. Preczslaus Kalisiens. 1372 Iun. 17, Gnezne.

Poznań. Königl. Staats Arch. Relation. Posnaniens. a. 1719 J, fol. 311.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscepit incrementum. Nos igitur Boleslaus Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod considerantes fidelia et utilia servicia nostrorum ministerialium Iacobi, Alberti et Andree Milosovy cum omnibus fratribus ipsorum, contulimus eis et posteris eorum legittimis hereditatem nostram que Kameneczewo vulgariter nuncupatur, nulli pertinentem nec alicui obligatam, nec ab aliquo fuit possessa, iure hereditario possidendam in perpetuum, cum omnimoda libertate et iurisdiccione qua omnes nobiles in nostra Polonia perfruuntur, videlicet a poradlne et a quolibet conductu, a podworowe, a powoz, a prewoda, a naraz, a bove, a vacca, ab ariete, a curru feni et pabuli, a ponte, ab opole, a stroza, a castrensi citacione, ab urna mellis provincialis. Nos vero recepimus pro predicta hereditate sexaginta marcas argenti. Volumus eciam, quod coram nullo iudice respondere debeant, nisi coram palatino Gneznensi. Tabernam eciam liberam ibidem eis dedimus, ut ipsi cum suis posteris gaudeant possidendam. Et ne aliquis audeat hiis temere contraire, ut autem hec donacio nostra et confirmacio robur perpetue firmitatis obtineat, presentem paginam nostri sigilli munimine fecimus communiri presentibus hiis testibus: comite Archamboldo palatino Gneznensi ad cuius peticionem omnia fecimus, comite Simone castellano Gneznensi, comite Bozatha castellano de Lenda, comite Andrea iudice Gneznensi, et aliis quam plurimis ibidem fidedignis. Datum Gnezne die Marci evangeliste anno gracie Domini M.CC.LXXI. Conscripta sunt autem hec de mandato nostro per manus Frachardi (sic) notarii curie nostre.

Kameneczewo, *Kamieniec.* Lenda, *Ląd.*

Nr. 444.

Boleslaus dux Polonie 1271 Oct. 31, in Junelodslav; cum Ordine Theutonicorum, ratione damnorum quae homines sui villis praedicti Ordinis intulerant, compositionem facit.

Pergam. oryginalny. Dolny brzeg ścięty w skrawek, który przez wcięcie poprzeczne przewleczony służył do przywieszenia zniktéj dziś pieczęci.

Warszawa. Archiwum Główne. Diploma Nr. 3. — Dogiel, Cod. diplomatic. IV p. 30. — Stronczyński, Wzory, Nr. 14.

Nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie ad noticiam universorum harum testimonio reducimus profitentes, quod inter nos et dilectum amicum nostrum fratrem

Th. de Gaterslew magistrum domus Theutonice in Pruscia et fratres suos, super dampno sibi per nostros homines Polonos illato super bonis suis in Orlow, Murin et Nesow ac in villis suis adiacentibus tempore gverre et obsidionis per nos terre Cuyavie et civitatis de Iunelodslaw, composicionem fecimus infra scriptam presente venerabili patre nostro domino Wolymiro ecclesie Vladislaviensis episcopo, mediatore ac interlocutore salubriter existente, ceterisque nostre curie fidelibus ad hanc concordiam dantibus operam efficacem, videlicet in hunc modum: nos dabimus dictis fratribus pro dampno eorum in supra dictis locis per nostros homines ipsis illilato *(sic)* centum et sexaginta marcas argenti usualis in tribus terminis deputatis, scilicet in Purificatione sancte Marie virginis sexaginta marcas, item infra octavas Pasche quinquaginta marcas, item in octava beatorum Petri et Pauli apostolorum quinquaginta marcas. Ad huius pecunie persolvende plenam securitatem ipsis obligavimus una nobiscum personas infra annotatas pro fideiussoria cautione: Petrum nostrum cancellarium, Tomislaum pincernam Poznaniensem, Wenceslaum de Starygrod, Zenentam de Dupin, Nicolaum de Zarnkcow, Sbilutum de Razym, Nasanum de Brod castellanos; Rosconem subcamerarium Gneznensem, Sandivogium marsalcum, Nicolaum subdapiferum, Mathiam palatinum, Rozzalium de Iuneladslaw, Bezzadonem de Zagople, Petrum de Razegow, Albertum thesaurarium et Nicolaum subiudicem, castellanos Cuyavienses. Ceterum, aliquos homines et Prutenos de terra domini M. ducis Pomoranie ibidem fuisse super dampnis sepe dictorum fratrum presentibus contestamur, de quibus iusticiam consequendi ipsis consilium promittimus et iuvamen. Fratres vero e converso in eadem ordinatione fidelitatem nobis et amiciciam promiserunt. Et quod sigillo proprio caruimus, sigillo venerabilis patris nostri episcopi Wladislaviensis usi sumus. Actum in Iunelodslav anno Domini M.CC.LXX primo, in vigilia Omnium Sanctorum.

Orlow, *Orłowo.* Murin, *Murzynno.* Nesow, *Nieszawa.* Iunelodslaw, *Inowrocław.* Vladislaviensis, *de Włocławek.* Starygrod, *Starygród.* Dupin, *Dupin.* Zarnkcow, *Czarnków.* Razym, *Radzim.* Brod, *Brody.* Zagople, *dziś Szarlej.* Razegow, *Radziejów.*

Nr. 445.

Janusius archiepiscop. Gneznens. circa a. 1271, in colloquio in Camen; edit quaedam statuta per ecclesiam Poloniae observanda.

Transsumpt potwierdzony przez: Iaroslaus s. Gneznens. ecclesie archiepiscop. 1357 Ian. 10, in Kalis.

Helcel, Starodawne prawa Polsk. pomniki, I, p. 363.

Hec sunt constituciones domini (Janusii) archiepiscopi et omnium episcoporum, edite in Camen iuxta Swandram fluvium ultra Kalis, in colloquio principum Polonie (anno circiter 1271).

Cum prelati esse debent quasi Cherubin in templo Dei, porrigentes invicem alas altrinsecus mutue protectionis ac defensionis, iuxta apostolum supportantes invicem in karitate, ut pugna unanimiter aggressa victoriam pariat: debet esse eorundem cor unum et anima una si vere velint videri apostolorum Christi pedissequi ac

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

vicarii, ut ecce possit dici: Pro patribus tuis nati sunt etc. Unde volumus, ut communis reputetur iniuria omnium episcoporum et prelatorum si cui prelato vel eius subdito iniustum inferatur gravamen; ut omnes sint eius protectores eidem subsidium pro posse ferentes opportunum, defendendo et sustentando si forte exilium vel aliud iniustum gravamen a quocunque paciatur iniuste; et quicunque ab universitate discordaverit, ipso iure sit suspensus a divinis.

Licet conspiratores per Calcedonense et Toletanum et Aurelianense Concilia multis penis addiciantur (sic), scilicet excommunicacionis ac deposicionis, tam monachi quam clerici nec non et laici, Fabianus Papa iudicum secularium iudicio eos tradidit puniendos ac infames esse statuit et omni spe restitucionis privavit, nonnulli tamen in suos prelatos aut pastores temerario ausu ad conspirandum iuramenta aut conventicula seu fraudes clanculo facere presumunt, sue salutis immemores. Cum apostolus dicat: Obedite prepositis vestris, quia ipsi pervigilant, quasi racionem pro vobis reddituri; et: Dampnum est filiis parentes non agnoscere: unde (cum) frequenter audimus, tam in claustris quam in conventualibus ecclesiis et in prelatorum plerumque conventiculis talia fieri, tales ipso facto omnes anathema incurrant, et a beneficiis ecclesiasticis penitus sint alieni.

Similiter iuxta canonum censuram iam dictorum, et maxime iuxta Calixti Pape statutum, faventes et consencientes talibus simili subiaceant ulcioni canonice sine spe restitucionis quantum ad beneficia, ut vexacio det intellectum.

Similiter, quicunque solacium amicorum viris ecclesiasticis astute vel maliciose subtrahunt, in hoc puniantur in quo deliquerunt et legem iuste paciantur in se quam in alios statuunt iniuste: solacio Ecclesie Sacramentorum omnino se noverint destitutos et communione, excepta penitencia mortuorum et baptismate parvulorum.

Camen, *Kamień*. Swandra fluv., *Swędrnia rzeczka.*

Nr. 446.

Boleslaus dux Polonie 1272 Jan. 12, in Juveni Wladislavia; ratum habet testamentum, quod fecerat: Comes Lanchomirus 1271 Jan. 15, s. l.

Biblioteka XX. Czartoryskich. Teki Naruszewicza. (Z kopii).

Boleslaus Dei gracia dux Polonie, universis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in eo qui est omnium vera salus. Universitati vestre notum esse volumus, quod nos literas testamenti comitis Lanchomiry sub sigillis authenticis, non abolitas, cancellatas, nec aliqua parte sui viciatas vidimus in hec verba: *(Sequitur diploma Nr. 442)*

Nos igitur diligenter considerantes quod: Qui parce seminat parce et metet: et desideranter cupientes divine retribucionis manipulos metere cum omnibus fidelibus Ecclesiam diligentibus et eidem bene facientibus, ad humiles preces et devotas venerabilis patris Wolimiri Wladislaviensis episcopi et fratrum suorum, predictum testamentum gratum et ratum habemus et presentibus confirmamus. In cuius rei testimonium presens scriptum sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum in Iuveni Wladislavia anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo secundo pridie Idus

[illegible]

[redacted]

Ianuarii, presentibus: dicto domino episcopo Wolymiro, magistro Petro cancellario nostro, Mathia palatino Cuiavie, Bezdadone castellano Crusviciensi et Andrea iudice, domino Vito preposito, magistro Wenceslao scolastico et Henrico custode, canonicis Wladislaviensibus; Iohanne preposito, Goslao decano, Lyphardo archidiacono, Alberto cantore et Wenceslao custode, canonicis Crusviciensibus, et aliis quam pluribus fide dignis.

Wladislaviensis, *de Włocławek.* Iuvenis Wladislavia, *Inowrocław.*

Nr. 447.

Boleslaus dux Polonie 1272 Apr. 25, in Gnezna; vendit Henrico Sthroibiero (sic) hereditatem suam Pruchnowo, eamque multis privilegiis munit.
Warszawa. Archiw. główne. Ks. M. 85. fol. 251v.

In nomine Domini amen. Ne ea que geruntur in tempore cum lapsu temporis dilabentur, solent poni in linguarum testimonio et scripti memoria perhennari. Sciant ergo presentes et futuri temporis posteritas, quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie sculteto nostro Heinrico Sthroibiero de Kleczko vendidimus hereditatem nostram que vulgari nomine Prochnowo nuncupatur, nulli adiacentem nec alicui obligatam, pro septuaginta marcis argenti sibi suisque successoribus, cum omni libertate ipsius qua antiquitus fruebatur iure hereditario in perpetuum possidendam. Hee sunt libertates, videlicet a naras, a povos, a przevod, a podvorove, a stroza, a opolie, a bove, a vacca, a castri citacione et a porco. Homicidium perpetratum inter ipsos incolas, dictus Henricus et sua posteritas in perpetuum integraliter possidebunt. Eciam a feni curru, annone a capete. Damus etiam Henrico Stroibiro et suis posteris ob fidele suum servicium nobis per ipsum fideliter exhibitum, in dicta hereditate, si ipsam contingit villam, poradlne possidendum. Et incole coram nullo comparebunt; dicte hereditatis nulli iudicum iudicium differendo, nisi heres ville et successores ipsius legitimi iudicabunt et penam pro se recipient. Damus etiam ibidem et confirmamus in prefata hereditate Theutonicum ius, eiusdem Theutonici iuris lucro cum omnibus utilitatibus libere in perpetuo percipiendo, nichil penitus pro nobis et pro nostris successoribus iuridicionis in eadem hereditate reservantes. In cuius rei testimonium presentem literam nostram sigilli munimine duximus roborandam presentibus testibus iis: comite Michaele Luzicheievicz, comite Boguchwala, comite Lupo de Przeszieha, comite Osvaldo de Czerkvicza, comite Voicziecho de Vlosynow, comite Petro Prutheno. Datum et scriptum in Gnezna in die sancti Marci evangeliste, anno Domini M.CC. septuagesimo secundo, per manum Golthpodi.

Sthroibiero, *w Nr. 330* Stronbyso. Kleczko, *Kłeck.* Prochnowo, *Pruchnowo.* Luzicheievicz, *w Nr. 330* Lurerfervirch, *widocznie mylna kopia, nie odgadnione.* Przeszieha, *Przysieka.* Czerkvicza, *Cerekwica.* Vlosynow, *Włoszanow.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 448.

Boleslaus dux Polonie 1272 Mai. 2—6, in Dlusg; confert Nicolao sculteto villam Borzykowo iure Novi fori locandam.

Poznań, Königl. Staats Archiv. Relation. Pyzdrens. a. 1541, fol. 286v.

In nomine Domini amen. Virorum prudencium interesse dinoscitur, ut quecunque gesserint, litterarum testimonio et auctoritate testium communiant, ne quovis modo in posterum possint ab aliquo leviter impediri. Agnoscant igitur universi tam presentes quam futuri ad quorum presenciam presens scriptum pervenerit, quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie nostro fideli sculteto Nicolao villam nostram que Borzykovo vulgariter dicitur cum quadraginta mansis et duobus locandam iure Teutonico contulimus, secundum quod ville in Slesia circa Novum forum sitte in suis iuribus pociuntur. Insuper addidimus prefato sculteto sueque posteritati in villa prenotata racione locacionis sextum mansum et tercium denarium de re qualibet iudicata, sibi iure hereditario possidendum pacifice et quiete. Dedimus eciam incolis in predicta villa commorantibus, a festo sancti Martini proxime venturo sex annis ab exaccione omnimodam libertatem. Item per circulum anni tribus vicibus noster procurator aut noster nuncius loco nostri habere debet iudicium in villa prenotata. Expiratis autem memoratis annis libertatis, sex mensuras siliginis et sex avene nobis singulis annis et fertonem argenti de quolibet manso solvere tenebuntur. In cuius rei testimonium, presentem paginam nostri sigilli munimine dignum duximus roborandam. Datum in Dlusg anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo secundo, decimo (sic) Nonas Maii.

Borzykovo, *Borzykowo.* Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szlązku.* Dlusg, *Dłusk.*

Nr. 449.

Helena ducissa Polonie 1272 Jul. 3, in Poznan; vendit hereditatem suam Mała Górka militi Petro, filio b. m. Milessae, eamque villae ipsius dictae Targowa Górka unit.

Pergam. orygin. Dwa sznurki jedwabne, pierwszy zielony, drugi czerwony, z których obie pieczęcie znikły.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 35.

In nomine Domini amen. Malignandi presens etas est artifex et studet dolum cudere cum deberet simpliciter ambulare; ideo que nostris temporibus gesta sunt, scripto memorie duximus commendare. Noverint igitur universi tam presentes quam posteri ad quos presens scriptum pervenerit, quod nos Helena Dei gratia ducissa Polonie, una cum consensu nostri dilecti mariti extrahentes nostram hereditatem de opole quod Chociczke vulgariter nominatur et quam nostri camerarii ante habuerunt, videlicet Zemac et frater suus Radim, militi nostro Petro filio condam beate memorie Milesse pro decem et octo marcis argenti vendidimus sibi suisque posteris, in

[illegible]

[redacted]

perpetuum iure hereditario possidendam; unientes eandem possesionem ville sue que Gorca appellatur et intromittentes ipsam in opole de Kdech, in quo omnibus perfruetur pacifice et quiete: excepto, quod Gorca in sua solucione quam ante exsolvebat, semper permanebit, prefatam vero villam nostre venditionis liberavimus a strosa, a prevod, a povoz, a naraz, a podvorove et a castri citatione. Ut autem hec nostra ordinatio, maxime vendicio, que tam rite emersit et in publico est per nos propalata, robur firmitatis obtineat, presens privilegium sigilli preclari mariti nostri munimine et nostri duximus muniendum. Acta sunt hec in Poznan anno Domini MCC septuagesimo II presentibus hiis testibus: comite Vincencio pincerna Poznaniensi, comite Bozeta filio quondam Stephani, Mroquota subcamerario Poznaniensi. Datum in die dominica proxima post festum apostolorum Petri et Pauli per manum domini Sventhozlay notarii nostre curie.

Hereditas *wzmiankowana może być Mała Górka.* Chociczke, *de Chocicza.* Gorca, *dziś Targowa Górka, zwała się aż w XVII wieku Mileszyna Gorka.* Kdech *zam. Giecz.*

Nr. 450.

Bolislaus dux Polonie 1273 Aug. 7, in civitate Wladizlavia; inter magistrum domus Theutonicae et ducissam Lanciciae Eufrosinam filiumque eius Vladislaum, de homicidiis Hildebrandi ac Nyrfridi burgensium de Chełmno compositionem facit.

Pergam. orygin. Dwie pieczęcie przywieszone na skrawkach pergaminowych; pierwsza Bolesława księcia, (pieczęć XVI.); *druga podłużna, przedstawia biskupa z pastorałem w prawicy, w lewéj księgę trzymającego; napis:* S. Wolimiri Dei gracia episcopi Wladizlavien.

Biblioteka XX. Czartoryskich. Diplomata.

Cum sit iuri consentaneum, racioni consonum, tam firmo federe stabilique lege sopire discordias ne denuo reviviscant, nos Bolislaus Dei gracia dux Polonie scire cupimus universos, quod inter viros religiosos, videlicet magistrum ac fratres domus Theutonice per Prusciam et eorum homines ex una parte, nec non dominam Eufrosinam illustrem ducissam Lanchicie et filium eius Ladizlaum ac eorum homines ex altera parte, pro homicidiis domini Nyrfridi sociorumque eius ac domini Hyldeprandi, burgensium de Culmine, accedente maturo consilio venerabilis patris nostri domini Volimiri Wladizlaviensis episcopi ceterorumque sapientum nostrorum, composicionem et pacis perpetue concordiam fecimus in hunc modum. Nepotes et amici domini Nyrfridi dabunt heredibus domini Hyldeprandi sexaginta marcas in tribus anni temporibus, scilicet in festo beati Galli viginti marcas, item in octava Nativitatis Domini viginti marcas, item in quarta feria, die Cinerum, viginti marcas. Ad hanc vero pecuniam persolvendam, predictus dux iuvenis Ladizlaus cum suis militibus, scilicet Lupo palatino, Jacobo, Chriscono et Woyzich, caucionem huiusmodi compromisit, ut, si predicta pecunia non daretur statutis terminis suprascriptis, accepto ad hoc nostro nuncio, in terra sua pro tota summa pecunie pignora capientur. Item statuimus, ut utraque pars cedat omni accioni litis preterite, scilicet de homicidiis, de rebus

[illegible]

[redacted]

ablatis, de violacione pacis firmate prioris, seu quibuscunque inter eos prioribus pollicitacionibus sive causis, de quibus oriri posset questio vel moveri: sed dato pacis osculo coram nobis, sopitis inimicieiis universiš, tam ipsi quam omnis populus utrarumque terrarum pace perpetua congaudebunt. Insuper promisit iuvenis dux Ladyzlaus cum prefatis militibus suis pro omnibus amicis domini Nyrfridi, tam presentibus quam absentibus, huius pacis concordiam inviolabiliter observari. Si quis autem huius pacis per nos firmate transgressor, quod absit, temerarius extiterit, pena centum marcarum, debitorum effectus (sic) parti innocenti, irremisibiliter condempnetur, nostra nichilominus indignacione in eundem seviente graviter et censura. In huius pacis et concordie robur perpetuum, presentem paginam super hoc confectam, appensione sygillorum, nostro videlicet ac venerabilis patris nostri domini Volimiri episcopi Wladizlaviensis, fecimus communiri, cum testibus qui presentes fuerant annotatis, videlicet duce Primuzlao Poznaniensi, Petro nostro cancellario, Johanne preposito, Liebardo archidyacono ecclesie Crusficiensis, Mathia palatino Cuiaviensi, Bezado, Zwentyslawo burgravio Gnezensi et militibus supradictis de Breste, ceterisque quam pluribus fidedignis. Datum anno Domini M.CC.LXX. tertio, VII Idus Augusti, in civitate Wladizlavia, in ecclesia Fratrum Minorum.

Pruscia, *Prusy*. De Culmine, *de Chełmno*. Wladizlaviensis, *de Włocławek*. Crusficiensis, *de Kruświca*. Breste, *Brześć Kujawski*.

Nr. 451.

Bolezlaus et Premizlo duces Polonie 1273 Aug. 22, in Simanovici; ratam habent traditionem villarum Cadce et Maławieś, factam a Wisława consorte b. m. Pribconis filiae ipsius Jaroslavae, consorti comitis Gunteri de Biberstein.

Pergam. orygin. u którego na niciach jedwabn. żółt. dwie pieczęcie przywieszono; pierwsza znikła, drugiéj pozostał ułamek pieczęci Przemysława księcia; (pieczęć XV).

Wrocław. Königl. Staats Archiv. Breslauer Kreuzherren 10. — Mosbach, Wiadomości p. 31.

In nomine Domini amen. Noverint universi presentes et futuri, quod in colloquio per nos Bolezlaum et Premizlonem duces Polonie publice convocato, in nostra et baronum nostrorum presencia de nostra voluntate et consensu domina Viszlava filia Iactoris, uxor condam comitis Pribconis filii Pribizlaii aliquando castellani de Lubus, villam nomine Cadce et aliam que dicitur Parva villa, que ville ratione patrimonii sibi iure hereditario obvenerant, contulit filie sue Iarozlave quam unicam habebat, et per eam comiti Guntero filio condam domini Rudolfi de Beversten, cui prefatam filiam in matrimonio copulaverat, tradens eidem Guntero, presentibus illis ad quos aliquid iuris in dictis villis poterat competere vel videbatur, proprietatem et possessionem et omne ius quod in villis predictis habebat et habere debuit in futurum; utilitate tamen sive usufructu diebus vite sue in ipsis villis sibi retento. Nos igitur omnia prefata grata et rata habentes et ea nostra auctoritate confirmantes, in memoriam actorum presentem litteram nostris sigillis fecimus communiri. Actum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo tercio, XI Kalendas Septembris, presen-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

tibus: comite Predpelco palatino Poznaniensi, comite Iancone castellano Kalisiensi, domino Petro cancellario Gneznensi, comite Martino venatore Poznaniensi, comite Iohanne castellano Bechoviensi, comite Voyzlao castellano Ksesensi, in hereditate Cruciferorum que dicitur Simanovici.

Lubus, *Lubusz, z niemiecka Lebus.* Cadce, *nie odgadnione, może Czacz lub też Kaczkow, z niem. Katschkau.* Parva villa, *nie odgadnione.* Bechoviensis, *de Biechów.* Ksesensis, *de Książ.* Simanovici, *Szymanowice.*

Nr. 452.

Mastwinus Pomeranorum dux 1273 Sept. 3, in ponte Drawe; resignat terras suas Słupsk et Sławno marchionibus Brandenburgensibus Iohanni, Ottoni et Conrado et easdem titulo feudali recipit; auxilium quoque suum contra quemlibet, contra Boleslaum ducem Poloniae vero, si causam non iustam contra praedictos marchiones prosequerit, spondet.

Riedel. Cod. diplom. Brandenburg. B I, pag. 121. (Z kopii).

In nomine Domini amen. Nos Mastwinus Dei gratia Pomeranorum dux notum esse volumus tam presentibus quam futuris Cristi fidelibus universis, quod illustrium principum dominorum nostrorum Iohannis, Ottonis et C. marchionum Brandenburgensium sinceritatem fideique non ficte constanciam discretionis oculo verius intuentes, ob spem favoris et gratie nec non adiutorii perpetuo nobis et nostris pueris faciendi, eisdem marchionibus castra et terras nostras, scilicet Stolp et Zlawen cum omnibus eorundem attinentiis et iuribus de bona nostra voluntate resignavimus, et easdem terras cum castris prenominatis feodali tytulo recepimus ab eisdem, omagio et fidelitate debita ipsis facta. Et hoc ipsum nostris pueris servabunt inviolabiliter, eadem bona post nostram mortem ipsis modo simili conferentes, solummodo illa terra excepta, que nobili viro domino H. de Kevernberg sororio nostro dilecto a nobis dignoscitur assignata, nosque nichilominus habebimus dandi de eisdem nostris bonis, bono et honesto modo, pro salute anime nostre ecclesiis vel cenobiis liberam facultatem. Ad hec promisimus dominis marchionibus data fide, quod ipsos et ipsorum heredes sine aliqua fictione et dolo manu iuvabimus, infra decem septimanas postquam ab ipsis requisiti fuerimus et moniti, contra quoslibet hostiliter ipsos et heredes ipsorum volentes invadere, ubi ipsis iusta vel amicabilia nequiverimus placita precurare; solo tamen domino Bolizlao illustri duce Polonie excepto, contra quem tamen dictos marchiones iuvabimus ut premissum est, si causam contra marchiones prosequi voluerit minus iustam, et cessare monitus a nobis noluerit ab eadem. Quod et dicti marchiones una cum nobilibus viris, domino Walthero de Arnsten, domino Gunthero comite de Dorenborch, fide data nobis similiter promittentes, nobis et nostris pueris sine qualibet fictione et dolo facient vice versa. Ut igitur predicta omnia a nobis et a nostris pueris in perpetuum inviolabiliter observentur, presentem paginam conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari, adhibitis testibus ydoneis quorum nomina sunt hec: dominus H. Caminensis episcopus, Beteko de Benthz, Georius et Thydericus de Kirchowe, C. Cliest, Heydenricus de Bentz et alii quam plures.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Actum et datum in ponte Drawe anno Domini M.CC.LXXIII, tertio Nonas Septembris.

Stolp, *Słupsk, z niem. Stolpe.* Zlawen, *Sławno, z niem. Schlawe.* Caminensis, *de Kamień, z niem. Kammin.* Pons Drawe, *podług niektórych dziś m. Dramburg.*

Nr. 453.

Premisl dux Polonie 1273 Octob. 1, Poznanie; confert villam Przyczyna Walthero, iure Magdeburgensi locandam.

Poznań, Königl. Staats Arch. Fraustadt, Liber privil. fol. 2.

In nomine Domini amen. Dum vivit litera vivit et actio litere, cuius assertio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos Premisl Dei gratia dux Polonie statum terre nostre cupientes in melius reformare, villam nostram que vulgariter Przyczyn nuncupatur, Waltero eiusdem ville contulimus iure Theutonico iuxta ius Maydeburgense collocandam cum quinquaginta mansis. Damus eidem tercium denarium, iudicare omnes causas que ibi oriri possunt, excepto homicidio. Addimus etiam eidem: si quis de partibus veniret alienis culpabilis, suis adversariis omnibus de se querulantibus, in omni causa ipsos evadet iuramento. Damus etiam eidem duos mansos liberos pro taberna que posita fuit in civitate adiacente, et unum molendinum habeat in districtu ville sue cum melificiis, venacionibus et utilitatibus piscium et avium, et ceteris aliis utilitatibus que ibidem possunt inveniri. Et ecclesiam non habeant; sed cum omni iure cmethonum in uno manso et aliis omnibus quibus tenentur obedire (sic), damus incolis ville duodecem annorum libertatem. Cessante autem libertate, de quolibet manso Franconico solvant dimidiam marcam albi argenti et tres mensuras tritici et tres avene et siliginis tres mensuras Glogovienses. Dictus vero Walterus et sua posteritas septimum perpetuo mansum obtineat ratione locationis libere cum omni proprietate et dominio, absque omni aggravatione nostra vel nostrorum successorum. Ut autem nostra donatio vigorem obtineat perpetuum, presentem nostram literam nostri munimine sigilli duximus corroborandam. Datum Poznanie anno Domini M.CC.LXXIII in die sancti Remigii confessoris per manus Thilonis scriptoris curie nostre.

Przyczyn, *Przyczyna.* Ius Maydeburgense, *de Magdeburg.* Civitas adiacens, *t. j. m. Wschowa.*

Nr. 454.

Cunradus scultetus dictus de Lubniz 1273 Octob. 9, in Olboch; confert coenobio de Ołobok duos mansos liberos in Ołobok et unum in Lubnica.

Pergam. orygin. Na skrawkach pergamin. przywieszono trzy pieczęcie; z tych pierwsza i trzecia znikły; pozostała druga, podługowata, wyobraża postać ksieni; z napisu: . . . tisse Conve . . .

Warszawa. Zbiory Rusieckich. Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. dipl. Polon. I, 54.

In nomine Domini amen. Evanescunt simul cum tempore que geruntur in tempore, nisi recipiant a voce testium et scripti memoria firmamentum. Hinc est

[illegible]

[redacted]

quod ego Cunradus scultetus dictus de Lubniz, divina michi inspirante gracia, ob reverenciam domus beate Marie virginis in Olboch dedi eidem de mea libera hereditate atque de proprio labore meo et mee coniugis conssensu et assensu filiorum meorum tres mansos liberos, duos beate Marie virginis in Olboch, unum in Lubniz, sub hac tamen forma, videlicet ut de fertone argenti et maldrata triplicis annone quam mihi dare idem mansi consveverant, ad prefatam domum lumina tam per diem quam per noctem in perpetuum debeant comparari. Excipimus eciam predictos tres mansos ab omnibus solucionibus atque gravaminibus et ab omni servitute, ut neque ipsi sculteto nec iudici neque domui pro aliqua necessitate aliquid teneantur dare aut solvere, sed sint per omnia liberi; et omne servicium quod mansi alii solvere tenentur iure Theutonico, isti predicti tres mansi omnia teneant et solvant ad illuminandam ecclesiam beate Marie virginis in Olboch. In cuius rei testimonium, ne aliquis ausu temerario hanc meam donacionem attemptet violare, presentem cartam feci meo et venerabilis domine Sophie abbatisse atque domini ducis sigillo communiri. Datum in Olboch anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo tercio in die Dyonisii martyris. Testes autem hii sunt: Berthrammus Sidilmanus scultetus de Mogre, Ber (*5 lit. del.*).. tus frater ipsius, Henricus gener ipsius, Theodericus, Helvicus, Rudgerus generi ipsius, Ruprehtus cum filiis suis, Theodericus scultetus de villa Theoderici cum filiis suis, et alii quam plures de predicta domo: dominus Nicholaus prior, dominus Henricus, dominus Iohannes et frater Iohannis camerarius, et frater Syffridus; Gotfridus, Arnoldus, Wirzch filii ipsius hoc factum protestantur.

Lubniz, *Lubnice.* Olboch, *Ołobok.* Mogre, *Mokrzków.* Villa Theoderici, *w XV w. Dzietrzychowice, dziś Dzierzkowice.*

Nr. 455.

Mystivoius dux Pomoranie 1273 s. d., in Svece; comiti Nicolao Jankowicz hereditatem Krupocin confert, eamque multis immunitatibus dotat.

T. Działyński. Lites ac res gestae I, pag. 59.

In nomine Domini amen. Memorie oblivio novercatur et longinquitate temporis gestorum series obstruitur, nisi vivacibus litterarum indiciis ad posteros propaletur. Quare presencium et futurorum indagini declaramus, quod nos Mystivoius Dei gracia dux Pomoranie, respectis fidelibus serviciis comitis Nicolai Iankovicz, contulimus sibi hereditatem que vulgariter Crambcovske appellatur suisque post eum heredibus et legittimis successoribus iure hereditario in perpetuum possidendam, absolvimusque in ipsa hereditate habitantes ab omni exaccione Polonica et solucione que nunc in nostro dominio est vel in processu temporis potest exoriri, videlicet ab opole, a citacione castri, quod incole eiusdem ville a nullo iudice, pallatino vel castellano citentur vel iudicentur, nec citati compareant nec respondeant scilicet (sic) coram eorum comite, nisi si ad nostram presenciam per nostrum sigillum fuerint provocati. Homicidiorum vero inter ipsos incolas factorum, ipse et eius posteritas in perpetuum ex integro percipiat solucionem. Si vero actor suus fuerit in onere alicuius vel alterius, insimul solucionem ex integro ipse et posteritas sua percipiet iudicium et solucionem LXX marcharum. Absolvimus eosdem villanos a vacca, a bove, ab urna

[illegible]

[redacted]

melis, a strosa, a naras, a povos, a podvorzc (sic), a povolove; falconem nec custodiant nec solvant, nec ferinam ducant nec tentorium ducis; a poradlne, a solucione annone, ab eo qui stavonik (sic) dicitur, nec ipsum recipiant nec ducant, nec similia (sic) dent: et ab omni prorsus iure et solucione quocunque nomine vel vocabulo censeantur. Concessimus insuper eidem, quod iudicare possit in iam dicta hereditate pugilles qualescunque, sive gladii sive quod vulgariter appellatur kiig, sive ferrum sive examen seu eciam aque. Liberam eciam ei damus et eius legittimis successoribus (voluntatem?) iam supradictam hereditatem locare iure Teutunico vel Polonico. Insuper poterit eciam ipsam hereditatem vendere, commutare, vel pro sue anime salute vel sua utilitate cuicunque sibi videbitur expedire (donare. Hec omnia?) cum omnibus utilitatibus que nunc sunt vel possint in posterum fieri in lacubus, in agro, in silvis, in borra, in nemora, in pratis inter metas supradicte hereditatis, iam sepe dictus Nicolaus cum suis posteris et legittimis successoribus in perpetuo possideat. Ut autem hec nostra donacio inviolabilis perseveret, presentem paginam sigillo nostro contulimus roboratam. Actum et datum in Svece anno Domini M.CC.LXXIII. Testes autem sunt huius rei et nostre donacionis: comes Waiisil palatinus Gdanensis, comes Andreas castellanus Gdanensis, comes Paulus castellanus Svecensis, comes Uneslaus subcamerarius Gdanensis, Theodatus plebanus Svecensis et alii quam plures fidedigni.

Crambcovske, *Krupocin.* Svece, *Swiecie.*

Nr. 456.

Gregorius Pp. X 1274 Jan. 17, Lugduni; episcopum Cuiaviensem constituit administratorem ecclesiae Gneznensis.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 157.

Gregorius episcopus (*etc.*), venerabili fratri.. episcopo Cuiaviensi salutem (*etc.*). Ecclesia Gneznensi pastoris solatio destituta, aliqui ex illius canonicis dilectum filium Conradum prepositum, et quidam Iohannem dictum Ridliza, canonicum eiusdem ecclesie, in illius archiepiscopum elegerunt, nosque cognitionem cause super huiusmodi electionibus orte, dilecto filio nostro.. tituli sancti Martini ad Montes presbitero cardinali duximus committendam. Verum, quia tam idem prepositus quam canonicus ipse redditus et proventus ac bona sedis Gneznensis occupare propria temeritate dicuntur, utrique ipsorum suis electoribus indebite faventibus in hac parte, propter quod iidem redditus et proventus prout intelleximus distrahuntur prodigaliter et dampnose bona huiusmodi dissipantur: nos super hoc ipsius sedis indempnitatibus occurrere cupientes, te administratorem bonorum temporalium sedis eiusdem usque quo alium legitimum administratorem accipiat deputantes, fraternitati tue mandamus, quatenus omnia que de hiis per eosdem prepositum, canonicum et electores aliosve quoscumque occupata reppereris, in tuis facias manibus assignari, ac redditus et proventus predicte sedis, extantes videlicet et futuros, integre colligi, tam illa quam universa alia bona sedis eiusdem ad opus futuri pastoris sine iuris preiudicio alieni fideliter conservando, ac inhibendo tam preposito quam canonico sepedictis, ne ante

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

confirmationem suam se de hiis quomodolibet intromittant. Contradictores *(etc.)*. Datum Lugduni XVI Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Nr. 457.

Gregorius Pp. X 1275 Febr. 5, Lugduni; confirmat donationem 500 mansorum circa stagnum Hisbitsma aliorumque stagnorum et fluvii Piła, quondam a b. m. Wladislao duce Poloniae Ordini s. Mariae Theutonicorum factam.

Pergam. orygin. u którego na niciach jedwabn. wypłowiał. przywieszona bulla: Gregorius Pp. X.

Königsberg. Königl. Staats Archiv.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis.. preceptori et fratribus Hospitalis sancte Marie Theutonicorum in Prussia salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducamus effectum. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod bone memorie Wolotslaus dux Polonie cupiens terrena in celestia felici commercio commutare, vobis et Ordini vestro quingentos mansos circa stagnum Hisbitsma nec non et alia stagna illi adiacentia, et fluvium nomine Pyla ex eodem stagno Hisbitsme fluentem, ad eum spectantia, cum omnibus libertatibus et immunitatibus ac iuribus et pertinentiis eorundem vobis contulit intuitu pietatis, prout in litteris inde confectis suoque sigillo munitis plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem duce pie ac provide factum est ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino *(etc.)*. Si quis autem *(etc.)*. Datum Lugduni Nonis Februarii, pontificatus nostri anno tercio.

Stagnum Hisbitsma, *z niemiecka Pielburger See.* Fluv. Pyla, *z niem. Pilo Fl.*

Nr. 458.

Premisl dux Polonie 1275 Apr. 7, in Grabonoze; comiti Nicolao venatori Poznaniensi hereditatem Gostyń contra petitionem comitis Mathiae de Pożegowo adiudicat.

Biblioteka X. X. Czartoryskich. Teki Naruszewicza. (Kopia z oryginału znajdującego się niegdyś w Archiw. Główn. w Warszawie, u którego brakło pieczęci).

In nomine Domini amen. Quoniam generatio preterit et generatio advenit, nec est quicquam sub sole quod stabile possit ac permanens inveniri, ne mortalium facta digna commendanda memoria oblivionis discrimen valeant incurrere, veterum provide providit industria, scriptotenus ea longa in tempora solidare. Noscat igitur modernorum ac futurorum fidelium universitas, quod coram nobis Premislone Dei gratia duce Polonie, comes Mathias de Posegow comitem Nicolaum venatorem Poznaniensem de hereditate que Gostina vulgariter nuncupatur temere monuit ac indigne, nul-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

lum ius habens ad candem. Quapropter, inspicientes fidelitatem nec non iustitiam dicti comitis Nicolai, sibi dictam hereditatem adiudicavimus iure hereditario possidendam, et ipsum supradictum comitem Mathiam ob eius temeritatem ac malitiam in perpetuum abiudicavimus ab eadem. Ad maiorem horum confirmationem et cautelam statuimus, ut si sepe dictus comes Mathias vel eius posteriores contra memoratum comitem Nicolaum vel eius subsecutores fecerit aliquam mentionem vel monitionem, extunc sepe memorato comiti Nicolao vel eius subsecutoribus solvant quindecim marchas argenti. Et hii sunt testes: comes Blisborius iudex Poznaniensis, comes Sanziwoyus castellanus de Mezirecz, comes Petirco Prendozicz dapifer Poznaniensis, comes Albertus Kirstini subcamerarius. Datum in Grabonoze anno Domini milessimo ducentesimo septuagesimo quinto in dominica Domine ne longe. Et ut hec plenum robur obtineant firmitatis, presens scriptum sigilli nostri munimine fecimus roborari.

Posegow, *Pożegowo.* Gostina, *Gostyń.* Mezirecz, *Międzyrzecz.* Grabonoze, *Grabonóg.*

Nr. 459.

Premisl dux Polonie 1276 s. d. in Poznania; omnia privilegia, a patre suo duce Premisl et patruo suo duce Boleslao monasterio Paradyż quondam concessa, confirmat.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. A. Nr. 95.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Licet omnes quibus nos preesse voluit divina clemencia paterno amplectimur affectu, verum viros religiosos qui in Cisterciensis Ordinis habitu Deum purius colunt, nostre potestatis presidio tanto digniores estimamus, quo excellencius ipsos nostre glorie coronam fore estimamus. Hinc est quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie, filius quondam pie memorie Premislonis ducis eiusdem Polonie, notum facimus omnibus castellanis et advocatis ac iudicibus in dominio nostro constitutis, nec non universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris hoc scriptum inspecturis, nam animadvertentes opera caritatis que pater noster felicis memorie fecit ecclesie sancte Dei genitricis semperque virginis Marie in Paradiso que Gosczichovo nuncupatur, conferendo plurimas libertates ac donaciones ob remedium anime sue ac parentum suorum et spem renumeracionis divine, atque cuncta privilegiorum suorum munimine roboravit: nos quoque filius eius divina favente clemencia iure patri nostro succedentes ac principatus eiusdem dominium adepti, predictum monasterium non minori quam patres nostri dileccione tueri studuimus. Nam fratrum dicti monasterii simulque bonorum hominum propulsati precibus, privilegia eorum et omnes libertates quas a patre nostro vel a dilecto patruo nostro duce Boleslao quoquo modo obtinuerunt integraliter perlectis, invenimus ea non abolita nec abrasa nec cancellata neque in aliqua sui parte viciata, sed integra et sana. Unde saluti nostre simulque paci et tranquillitati predictorum fratrum ac villanorum sub eis degencium providentes, in remissionem omnium peccatorum nostrorum nec non et parentum nostrorum omnes libertates et privilegia ipsorum pia et bona voluntate nostra integraliter confirmamus; nec alicui liceat presentem

[illegible]

[redacted]

donacionem immutare. Ne igitur nostram tam sollempnem accionem in posterum audeat quis violare, presentem paginam super hiis iussimus conscribi, ac sigilli nostri appensione fecimus communiri. Acta sunt hec in Poznania anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto presentibus baronibus nobilioribus Polonie: Beniamin palatino Poznaniensi, domino Nicolao palatino Calisiensi, comitibus Thomislao et Dirsicraio fratre suo, Gneomiro iudice Poznaniensi, et Tylone nostre curie, huius littere notatore.

Paradisus, *Paradyż.*

Nr. 460.

Boleslaus dux Polonie 1276 Mart. 27, in Dluscho; confert comiti Nicolao, thesaurario de Ląd, villam Trąbczyn.

Pergam. orygin. Na grubych sznurach nici jedwabn. wyblakł. przywieszono 3 pieczęcie. Pierwsza Bolesława księcia, (pieczęć XVI); *druga znikła, pozostało tylko pasmo nici jedwabn.; trzecia Przemysława księcia,* (pieczęć XXI).

Biblioteka XX. Czartoryskich. Diplomata.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie, una cum dilecto filiolo nostro duce Premislio nec non cum dilecta uxore nostra domina Iolentha, prospectis fidelibus serviciis comitis Nicholay tesaurarii nostri de Lenda, finaliter ac intencione pura contulimus sibi nostram villam que Trupcino nominatur, sibi suisque posteris iure hereditario in perpetuum possidendam.. (sic) licet dictam villam comiti Ianchoni filio Simonis quondam dederamus qui mortuus est prolem non habendo, sic iterum ad nos cessit villa fata.. (sic) dederamusque villam nominatam domino Nicholao qui viam universe carnis est ingressus successoresque legitimos non habuit.. et sic de racione iam fato comiti suisque successoribus villam prenotatam contulimus. Deliberamusque sepius villam predictam ab hiis solucionibus: a bove, a vacca, ab opole, a castro, a poradlne, a strosa, a podvorove, a povoz, a prevod, a naraz. Privilegium Ianchonis beate memorie minime sit valiturum, quemadmodum dicti Nicholay plebani quondam de Sroda.. Et ut hec nostra donacio que tam rite a nobis omnibus est emersa, nec ab aliquibus processu temporis possit novercari, presens scriptum nostrorum sigillorum munimine duximus roborandum presentibus hiis testibus: comite Iarkelboldo palathino Gneznensi, comite Sixto castellano Rudensi.. comite Zegota venatore Kalisiensi, comite Bervoldo pincerna Lendensi.. comite Sudivogio subcamerario Gneznensi, Sventoslao scriptore nostro. Datum anno Domini m.cc.lxxvi, conscriptum in Dluscho sexto Kalendas Aprilis, in vigilia sancti Prisci martyris et Malche.

Lenda, *Ląd.* Trupcino, *Trąbczyn.* Sroda, *Środa.* Rudensis, *de Ruda.* Dluscho, *Dłusk.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 461.

Albertus com. de Lubenow, castellanus in Bencin 1276 Sept. 6, s. l.; protestatur, se Ulrico praefecto in Lubrze, causa novae locationis huius civitatis, scultetiam ibidem contulisse.

Pergam. orygin. Wcięcia poprzeczne od przywieszenia pieczęci Alberta, która osobno zachowana; (pieczęć XX).

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B, 18.

In nomine Domini amen. Ab humana memoria negocia mundi facilius elabuntur, que nec scripto nec voce testium eternantur. Hinc est nos Albertus comes de Lubenow castellanus in Bencin notum esse volumus omnibus ad quos pervenerit presens scriptum, nos Ulrico prefecto nostro in Lubenow causa nove locacionis eiusdem civitatis suisque posteris natis ac nascendis sculteciam cum tercio denario iudicii et octo mansos sub aratro principaliter nec non tertium mansum censum solventibus, atque molendinum ante civitatem cum prato racionabiliter contulisse. Super eo sibi donavimus tercium de hortis denarium ac de ariis (sic) hereditatum in civitate prefata, sumendo procul omni impedimento. Acta sunt hec anno Domini m.cc.lxxvi, Ydibus Septembris VIII, presentibus hiis: Iescone milite de Piser, milite Hizeman dicto, Ulrico Magno civi ibidem, Iohanne dicto Verneru, Tilone dicto Pozstamp et aliis multis viris fide dignis. Nec non que sibi possunt fieri ad hutilitatem.

Lubenow, *Liebenau, z niemiecka zamiast Lubrze.* Bencin, *Zbąszyń.* Piser, *może zamiast Pieske, z niemiecka zamiast Pieski.*

Nr. 462.

Nicolaus episcopus Poznaniens. 1276 Oct. 25, in Pcew; protestatur, Wrotslaum capellanum de Międzyrzecz partem hereditatis suae Wyszanów monasterio Paradyż contulisse.

Pergam. orygin. Wcięcia poprzeczne od przywieszenia 3 podługowatych pieczęci, które osobno zachowano. Jedna z nich przedstawia biskupa błogosławiącego z pastorałem w lewéj, napis: Sig . . . iscopi . . . ensis; *druga Opata z pastorałem w prawicy, na lewéj spoczywa księga, napis:* . . . illum . . . tis Paradysi; *trzecia ma w górnéj połowie N. P. z Dzieciątkiem, w dolnéj osobę klęczącą z wzniesionemi do modlitwy rękami; napis:* S. Wrozlai hedis. de Kortce.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B, 17. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 56.

Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod in nostra Nicolai Dei gratia Poznaniensis episcopi presentia Wrotslaus capellanus tunc de Meserecz liberaliter et benigne contulit domino Olrico abbati de Paradiso, et per eum ipsius Conventui et monasterio, partem sive portionem que ipsum contingebat iure hereditario in villa que Wissonowo vulgariter nuncupatur, cum omni utilitate et iure quod habuit

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

in prefata portione, ob remedium anime sue et suorum in perpetuam elemosinam possidenda. Prefati vero abbas et conventus liberaliter et benigne promiserunt dicto Wrotslao in nostra nichillominus presentia, se daturos sex ulnas boni panni in domo eorum facti et duas marcas usualis argenti annuatim temporibus vite sue; quem etiam in fraternitatem recipientes, participere (sic) fecerunt orationum et elemosinarum que fient perpetuo in monasterio prenominato. In memoriam igitur omnium supradictorum, ad petitionem dictorum abbatis et conventus nec non et Wrotslai prenominati, presentem litteram nostro sigillo fecimus communiri, adhibitis etiam ob testimonium actorum nominati abbatis et Wrotslai sigillis. Datum in Pcew anno Domini M.CC.LXXVI, septimo die exeunte Octobre, presentibus: domino Iohanne cantore Poznaniensi, domino Radone canonico Poznaniensi, magistro Floriano capellano de Wilcovia et aliis quam plurimis.

Kortce, *Kursk, z niemiecka Kurzig.* Meserecz, *Międzyrzecz.* Paradisus, *Paradyż.* Wissonowo, *Wyszanów.* Pcew, *Pszczew.* Wilcovia, *Wilkowo.*

Nr. 463.

Iohannes Pp. XXI 1276 Nov. 28, Viterbii; Procopio cantori administrationem ecclesiae Gneznensis confert.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 158.

Iohannes episcopus (*etc.*), dilecto filio Procopio cantori ecclesie Gneznensis salutem (*etc.*). Sua nobis dilecti filii . . archidiaconus, . . scolasticus, . . prepositus Lanchitiensis, et alii canonici ecclesie Gneznensis, qui sunt maior et sanior pars Capituli eiusdem ecclesie, petitione monstrarunt, quod ecclesia ipsa pastoris solatio destituta, aliqui ex illis canonicis Conradum prepositum, et quidam vero ex ipsis Iohannem dictum Radlizam canonicum eiusdem ecclesie in Gneznensem archiepiscopum elegerunt, ac felicis recordationis Clemens Papa predecessor noster, cognitionem cause super huiusmodi electionibus orte, dilecto filio nostro S. tituli sancti Martini ad Montes presbitero cardinali commisit. Verum, quia tam idem prepositus quam dictus Iohannes redditus et proventus ac bona sedis Gneznensis occupare temeritate propria dicebantur, utrique ipsorum suis electoribus indebite faventibus in hac parte, propter quod iidem redditus et proventus distrahebantur prodigaliter et dampnose bonaque dissipabantur prefata: dictis predicte ipsius sedis indempnitatibus super hoc cupiens providere, bone memorie . . episcopum Cuiaviensem, ipsius proprio nomine non expresso, administrationi bonorum temporalium sedis eiusdem, usque quo alium legitimum administratorem acciperet, deputavit, dando eidem episcopo suis litteris in mandatis, ut omnia que de hiis per eosdem prepositum, Iohannem et electores aliosve quoscumque occupata reperiret, in suis faceret manibus resignari, ac redditus et proventus dicte sedis, extantes videlicet et futuros, integre colligi, tam illa quam universa bona alia eiusdem sedis ad opus futuri pastoris sine iuris preiudicio alieni fideliter conservando, ac inhibendo tam preposito quam Iohanni supradictis, ne ante confirmationem suam se de hiis intromittant quoquo modo, contradictores *(etc. usque)* compescendo. Verum, predicto episcopo viam universe carnis ingresso, est ei ut dicitur alius substitutus, qui propter senectutem et sui corporis valetudinem huiusmodi

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

administrationi vacare ac ipsius sedis iura et bona defendere ac manutenere non potest: quare pro parte dictorum canonicorum, qui sunt maior et sanior pars Capituli, fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere super hoc ipsi ecclesie salubriter curaremus, tibi, per quem iura et bona dicte sedis conservari et manuteneri comode poterunt sicuti dicunt, administrationem predictam nichilominus committendo. Nos itaque de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, eandem administrationem tibi auctoritate predicta duximus committendam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus administrationem ipsam exerceas diligenter iuxta predictarum continentiam litterarum. Datum Viterbii IIII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno primo.

Nr. 464.

Premisl dux Polonie 1277 Mart. 12, in Posnan; concedit domui fratrum Praedicatorum in Poznań libertatem piscandi in Warta fluvio et lacubus per circuitum adiacentibus.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci.
Poznań. Privil. ecclesiae fratr. Praedicatorum.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Quoniam domus fratrum Predicatorum in civitate Posnaniensi a nostris progenitoribus est fundata, nos Premisl Dei gratia dux Polonie, pro remedio peccatorum nostrorum ac parentum nostrorum fratribus dictis, in prefata domo nunc et in perpetuum degentibus et paupertatem pro Christi nomine patientibus, in Warta fluvio et lacubus per circuitum adiacentibus piscandi plenam concedimus libertatem, firmiter precipiendo universis sub obtentu gratie nostre, ne eis quisquam piscari contra hanc nostram concessionem audeat prohibere vel etiam rebellare. In cuius rei testimonium hanc paginam nostro sigillo fecimus roborari. Datum in Posnan quarto Idus Martii, testificantibus hiis: domino Vincentio cancellario, comite Nicolao iudice terre, Cevleyo de Ponez, Boguslao subcamerario, Thilone notario curie. Acta sunt hec anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo.

Ponez, *Poniec.*

Nr. 465.

Boleslaus dux Polonie 1277 Apr. 30, in Clescev; villam Krerowo, quam de vicinia Giecz excipit et viciniae Kostrzyn adiungit, quibusdam libertatibus munitam confert coniugi suae ducissae Iolantae; villam vero Górka a vicinia Kostrzyn excipiens, ad suos usus convertit.

Pergam. orygin. Na sznurkach jedwabn. czerwon. przywieszono dwie pieczęcie: pierwsza Bolesława księcia, (pieczęć XVI.); *druga Jolanty księżnéj,* (pieczęć XXII).
Poznań. Archiv. Capituli, I, 6.

In nomine Domini amen. Ideo humani generis acciones scriptorum debent testimonio roborari, ne aput posteros processu temporis deveniant in oblivionem. Igitur nos Boleslaus Dei gratia dux Polonie notum esse volumus presentibus et fu-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

turis scripta presencia inspecturis, quia talem cum dilecta coniuge nostra domina Iolenth eiusdem Polonie ducissa fecimus commutationem: villam que Crirov vulgariter appellatur de vicinia que Kede dicitur excipientes, vicinie iunximus Costrinensi ipsam ab omnibus exaccionibus absolventes, videlicet a stroza, a naras, a podvorove, a povos; coram castro incole prefate ville si citati fuerint, non respondeant, sed qualiscunque causa necessario fuerit terminanda, nostre coniugis presencie vel suorum iudicum differetur. Villam vero que Gorca vulgo nomine nuncupatur, quam de vicinia eadem excepimus Costrinensi, loco superius dicte ville ad nostros usus convertimus et utilitates. Ut autem hec nostra commutatio robur perhenniter teneat firmitatis, cartulam presentem in memoriam perhennem, una cum dilecta coniuge nostra memorata domina Iolenth, nostrorum impressione sigillorum fecimus communiri. Acta sunt hec in Clescev anno Domini M.CC.LXXVII, primo Kalendas Magi.

Crirov, *Krerowo.* Kede, *Giecz.* Costrinensis, *de Kostrzyn.* Gorca, *Górka.* Clescev, *Kleszczew.*

Nr. 466.

Boleslevus dux Polonie 1277 Mai. 10, in Gnezna; confert monasterio de Mogilno villam Płowce, eamque libertatibus antiquarum villarum eiusdem monasterii munit.

Pergam. orygin., do którego dwie pieczęcie przywieszono. Od przywieszenia pierwszéj pozostały dwie dziurki; z drugiéj pozostały nici jedwabne, czerwone, żółte i białe, równie przez dwie dziurki przewleczone.

Mogilno. Privilegia monasterii. Diploma Q, 4.

In nomine Domini amen. Quoniam propter mutacionem temporum humana corpora encia (sic) in tempore eorumque actus et operaciones necesse est variari nisi serie litterarum ad noticiam futurorum revocentur, notum sit igitur tam presentibus quam futuris presens scriptum intuentibus, quod nos Boleslevus Dei gracia dux Polonie cupientes celestia pro terrenis commutare, villam que hoc nomine Plovcze vulgariter nuncupatur, ob reverenciam beati Iohannis Babtiste et in remissionem nostrorum pecaminum domui de Mogylna, sitam in kastellania Gneznensi contulimus hereditarie in perpetuum possidendam, deliberantesque eam ab omnibus exaccionibus Polonorum, videlicet a strosa, a citacione castri, a podvorove, a povoz, a naraz, a stacione venatoris et subvenatoris: sub hac forma, ut quemadmodum ville antique ecclesie beati Adalberti Gneznensis libertate perfruuntur, eadem dicta villa perfrui congaudebit. Ut autem hec pia donatio firma ac rata perpetuo permaneat, presentem litteram nostri sigilli nec non dilecte nostre coniugis domine Iolenthe munimine iussimus communiri presentibus hiis testibus, scilicet comite Andrea pincerna Gneznensi, domino preposito Phillipo sancti Georgii de Gnezna, comite Nicholao venatore eiusdem, et domino Nicholao canonico ecclesie Gnesnensis Teutonico. Actum anno Domini M.CC.LXX septimo, datum et conscriptum in Gnezna in die beatorum martirum Gordiani et Epymachi.

Plovcze, *osada znikła.* Mogylna, *Mogilno.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 467.

Prsemizl dux Polonie 1277 Mai. 17—22, in Lubyn; permittit hereditates monasterii de Lubin, dictas Swięciechowa et Radłowo, iure Theutonico locare, easque amplissimis privilegiis munit.

Pergam. orygin. Sznur z nici jedwabn. czerwon. i biał., pieczęci nie masz. Pismo z pierwszéj połowy XIV wieku, miejscami zatarte.

Warszawa. Biblioteka Krasińskich. Diplomata.

In nomine Domini amen. Quoniam principum serenitas etatis sue largiciones seu donaciones, ne in oblivionem per temporum decursus deveniant, sane providentia litterarum ac testium sanxivit munimine perhennare, proinde nos Prsemizl Dei gracia dux Polonie ad noticiam universorum tam presencium quam futurorum presens criptum feliciter volumus devenire, quod cum monasterium Lubinense preclarosque viros inibi religiose conversationis, dominum videlicet Iacobum abbatem nostrum fidelem capellanum, fratresque ipsius Deo sub Ordine sancti Benedicti militantes speciali gracia prosequamur, quorum piam devocionem quam erga Deum et nostram excellentiam habere dinoscuntur attencius considerantes, ipsorum iustis postulacionibus et precibus inclinati benignius, ob amorem Dei a quo omnia et reverenciam beate Marie semper virginis nostre advocatricis, ob remedium eciam anime nostre nostrorumque omnium predecessorum et successorum ob salutem, Svecechow hereditatem et Radlevo prefati cenobii meritis predictorum (sic) iure Theutonico locare permisimus et civili, dantes predicto monasterio et personis ibidem Deo militantibus omnem iuridicionem vt . . *(4 lit. delet.)* ac perpetue in eadem et civibus ius et iudicium civile quoad causas secundum leges civiles universas. Statuimus eciam in civitate iam dicta forum et nundinas, et forense quod vulgariter targowe dicitur dictis ibidem libere perpetuo perfruenda. In qua civitate nullus nomine nostro vel alicuius nostri castellani seu alterius cuiuscunque potestatis iudiciariam sibi auctoritatem usurpet. Theloneum siquidem quod ibidem ab antiquo habere noscimur, inibemus omnibus sub obtentu gracie nostre nostrorumque successorum, de quibus bona fide confidimus, ne quis se de eodem temere intromittat vel idem pro se usurpare presumat. Et si casu aut necessitate interveniente hospitum transitus ad alium quemcumque locum alterius transferratur, theloneum ibidem abbas dicti claustri percipiat ex integro. Preterea, cum terrenis premiis conquirantur eterna, ut premia sempiterna pietate Dei consequamur, prefatam civitatem Svecechow et Radlevo et incolas eius monasterii predictorum (sic) ab omnibus prorsus absolvimus perpetuo solucionibus omnium exaccionum, prestacionibus, angariis, preangariis et vexacionibus universis iuris Polonicalis, a moneta scilicet quod dicitur obras, a sep et narsaz scilicet a vacca et bove, a posenne, nestane, podvorove, podymne, a prsevod, a strozha, ssron et pobor, et a ceteris omnibus quocumque nomine censeantur. Absolvimus eciam prescriptos cives ab omnibus prorsus laboribus et a quibuslibet iudiciis castellanorum, iudicum et civium universorum, ad quorum presenciam de cetero non citentur et citati non compareant omnimode prohibemus. Et ut hec nostra donacio graciosa robur in perpetuum obtineat firmitatis, premissa omnia presentibus prefatis fratribus sollempniter confirmamus, et ad evidenciam huius pleniorem presens privilegium abbati et monasterio nominato dari iussimus, nostri sigilli impressione et appensione munitum

[illegible]

[redacted]

Actum et datum in Lubyn infra octavas Penthecostes anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo presentibus hiis nobilibus: comite Schedrsicone castellano de Crsivin, comite Samborio castellano de Srem, domino Sefrito canonico Gnezdnensi, Tylone notario curie nostre et aliis quam pluribus fidedignis.

Lubinensis, *de Lubin.* Svecechow, *Święciechowa.* Radlevo, *osada znikła m. Święciechowa przyległa.* Crsivin, *Krzywin.* Srem, *Śrem.*

Nr. 468.

Boleslaus dux Cracovie s. a. (1277) d. et l.; promittit, se castra Habchenstein et Lubechowitz, quae ratione damnorum, Boleslao duci Maioris Poloniae per homines Silesiae illatorum, tenet in obligatione, soluta pro eisdem damnis recompensatione, Ottacaro regi Bohemiae restituturum, nec non una cum praedicto duce Boleslao de liberatione Henrici ducis Wratislaviae a captivitate ducum Silesiae, Bolkonis et Henrici, curam impensurum.

Voigt, Das urkundl. Formelbuch des Henricus Ital. Nr. 38. — Emler, Regesta Nr. 2289.

Nos B. Dei gracia dux Cracovie presentis scripti tenore notum fieri volumus universis tam instantis etatis hominibus quam future, quod vera fide promittimus corporali super hoc prestito iuramento, castra Habchenstein et Lubechowitz, que sunt assignata nobis ut obligata teneantur in tanta quantitate pecunie, quantam pro recompensacione dampnorum domino Bolkoni inclito duci Maioris Polonie per homines Slesie illatorum nos et dominus W. inclitus dux Opulie racione previa taxavimus, sine difficultate restituere, et ordinare ac procurare, ut dicta castra restituantur et resignentur domino O. serenissimo regi Bohemie, aut domino H. inclito duci Wratislavie nepoti nostro, vel illis quibus eadem castra illi fecerint assignari: cum primum dicta pecunia, que per nostrum et domini Opuliensis arbitrium super recompensacione dampnorum prefatorum taxabitur, fuerit exsoluta. Et ad maiorem cautelam premissorum non solum nos iuravimus, verum eciam magister Wenceslaus cancellarius noster et milites nostri Petrus de Risen et Sdislaus de Eberspach, qui omnia predicta iuraverunt fideliter adimplere; quod, si forte illo tempore in quo solveretur pecunia non viveremus, tunc barones nostri predicti, qui tactis sacrosanctis ewangeliis hoc quod nos iuravimus et promisimus iuraverunt, prefata castra resignabunt atque restituent vel restitui procurabunt omnino prefatis dominis O. regi Bohemie aut duci Wratislavie, vel aliis quibus illi mandaverint assignari. Et quoniam sinceris zelamur affectibus concordiam atque pacem, tenore presencium declaramus atque promittimus fide data, quod tam nos quam dominus B. inclitus dux Maioris Polonie prelibatus studiosam dabimus operam et diligenter curabimus, ut dictus dominus Wratislavie, qui a dominis B. Slesie et H. duce de Iaver, filio eius, captivatus detinetur, debeat et valeat liberari a vinculis et restitui pristine libertati, modis quibuscunque valuerimus dictos duces B. Slesie et H. de Iaver, filium eius, studiosius inducentes. Quod si forte predicti duces B. et H. filius eius nollent nostris et dicti domini B. incliti Maioris Polonie acquiescere consiliis, nec non nostra attendere monita ut prefatum nepotem nostrum a captivitatis nexibus liberarent, extunc tam nos quam predictus

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

dux Maioris Polonie ipsos omnimode deseremus, nec aliquod ipsis subsidium vel adminiculum consilii, auxilii vel favoris impendemus, sed pacienti tolerabimus animo, quod prefatus dominus rex Bohemie causam prefati ducis Wratislavie cum suis consanguineis, fautoribus et amicis, sicut efficacius poterit prosequatur, nullum sibi in hac parte impedimentum prestare volentes quominus valeat prosequi dictam causam. In cuius rei testimonium et robur valiturum *etc.*

Castra Habchenstein et Lubechowitz, *nie odgadnione.* Opulia, *Opole, z niemiecka Oppeln.* Iaver, *Jawor, z niemiecka Jauer.*

Nr. 469.

Secundus Premisl dux Polonie 1277 Aug. 16, in Poznan; omnes villas monasterii de Lubin, in suo ducatu constitutas, ab omnibus viciniis exemptas esse iubet.

Karta papieru; pismo z końca XVI wieku.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B, 20. — Poznań. Königl. Staats Arch. Libri Terrestr. Costens. anni 1532 fol. 128. Lubin. Dissoluta. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 58.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio comissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premisl Dei gratia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod nos salubriter cogitantes de salute anime nostre, et sperantes de misericordia Dei nos in celis metere quod seminaremus in terris, pro reverentia beate semper virginis Marie et preclaris meritis domini Iacobi abbatis de Lubin, cupientes etiam participes fieri orationum fratrum eiusdem monasterii et eorum successorum, auditis etiam eorum assiduis querimoniis, quod multa gravantia in villis et in hominibus eorum exercebantur per nostros iudices et alios beneficos: nos autem dictorum fratrum turbationes et incommoda diutius tollerare nolluimus, sed statuimus et firmiter ponimus, ut ville supra dicti monasterii in nostro ducatu constitute, sint in perpetuum ab omnibus viciniis libere et exempte, scilicet Starigrod. Malpino, Dalevo, Vyrchreka, Osow, Scodrochow, Cychow, Gorka, Rademisko, Vanesc de Crivinensi vicinia deliberamus; ita ut cum dicta vicinia, circuitiones, septuaginta, bovem et vaccam, homicidia, omnesque exactiones dicte ville non solvant, sed specialiter omnes ville ex integro supra nominate domus, habeant se pro una vicinia et solutione si quod in eis evenerit, nobis autem singulis annis unum bovem et vaccam solvant. Ut autem donationis nostre vigor tam presentibus quam futuris innotescat, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus roborandam presentibus his: comite Scedrico castellano de Crivin, comite Cevlegio castellano de Srem, comite Bozanta castellano de Prement. Datum in Poznan anno Domini M.CC.LXX septimo, sequenti die Assumptionis sancte Marie virginis.

Lubin, *Lubin.* Starigrod, *Starygród, dawna własność klasztoru Lubińskiego; podług niniejszego dokumentu mogłaby być zniknął osadą w okolicy miast. Krzywin.* Mal-

[illegible]

pino, *Małpin.* Dalevo, *Dalewo.* Vyrchrcka, *Wyrzeka.* Osow, *Osowo.* Scodrochow, *Sczodrochowo.* Cychow, *Cichowo.* Gorka, *Górka Lubińska.* Radcmisko, *Radomicko.* Vanesc, *Wonieść.* Srcm, *Śrem.* Prement, *Przemęt.*

Nr. 470.

Premizl dux Polonie 1277 s. d., in Poznan; confert monasterio Paradyż villam suam Grodzisk, eamque ab omnibus solutionibus eximit.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B, 19. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 57.

In nomine Domini amen. Quia soli divinitati convenit in nullo deficere et omnium memoriam habere, ideo condicionis humana fragilitas sibi remedium quesivit, in quo vigor fabrice naturalis opificis voluntate defecit. Ne igitur quod agatur in tempore cum evolucione temporis a memoria evanescat, apicum karakteribus assolet eternari. Quapropter, predictorum freta (sic) amonicione salutarium monitorum, notum facimus universis presentibus et futuris ad quorum audientiam presens scriptum deferetur, quod nos Premizl Dei gracia dux Polonie salubriter cogitantes de salute anime nostre, et sperantes de misericordia (*sic*) nos in celis metere quod seminaremus in terris, ob specialem reverentiam Cisterciensis Ordinis et preclaris meritis domini Ulrici abbatis de Goscichowo et omnium fratrum ibidem Deo serviencium, villam nostram que Grozisce vulgariter nuncupatur dicto claustro de Goscichowo iure hereditario in perpetuum contulimus possidendam, absolventes eandem villam ab omnibus exactionibus et solucionibus que nostro dominio dinoscuntur pertinere. Ita videlicet, ut nullus in ea, nomine nostro vel eciam alicuius nomine nostri castellani seu nomine alterius cuiusquam potestatis, iudiciariam sibi usurpet auctoritatem, sed in horum et aliorum iurium percepcione dicti claustri (sic) de Goscichowo perpetuo plene gaudeat possessione libertatis. Ut autem confirmacionis vel donacionis nostre vigor tam presentibus quam futuris innotescat, presentem paginam nostri appensione sigilli dignam duximus roborandum. Datum in Poznan anno Domini M.CC.LXX septimo presentibus hiis testibus: comite Nicolao iudice Poznaniensi, comite Gnevomiro castellano de Sbansin, comite Boguslao subcamerario Poznaniensi et Thilone scriptore curie.

Goscichowo, *klasztor Paradyż.* Grozisce, *Grodzisk.* Sbansin, *Zbąszyń.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 471.

Boleslaus dux Polonie 1277 s. d. et l.; restituit coenobio de Ołobok hereditatem Mieleszyn, quam, dum oppidum Bolesławiec construere coeperat, cum hereditate Biała commutaverat.

Transsumpt potwierdzony przez: Stanislaus Augustus rex Poloniae 1776 Octob. 11, Varsaviae, *w zeszycie pergaminowym, podpisem własnoręcznym i pieczęcią tegoż króla opatrzonym.*

Poznań. Königl. Staats Archiv. Ołobok 9.

In nomine Domini amen. Quoniam longorum tractus temporum parit antiquitatem, antiquitas oblivionem, oblivio rerum actarum exinanicionem, ea propter necesse est ut res digne memorie scripto debeant commendari, quibus canescens antiquitas valeat renovari. Nos igitur Boleslaus Dei gracia dux Polonie notum facimus tam presentibus quam futuris, quod apud moniales de Olobok acceperamus hereditatem que nuncupatur Milesino, dantes ipsis pro illa hereditatem nostram que vocatur Bala; et hoc feceramus dum civitatem circa castrum Boleslavec construere ceperamus. Cum autem civitas exstructa fuit, dictis monialibus de Olobok ipsarum hereditatem Milesino reddidimus sicut in terminis se extendit et regulatur, et nostram hereditatem Bala recepimus. Et quia nostram fundacionem claustro Olobocensi confirmamus, ideo hanc coordinacionem ac sepe dicte hereditatis restitucionem presentibus et futuris temporibus confirmamus, et presentem litteram nostri sigilli munimine roboramus presentibus hiis testibus: comite Tomislao palatino Poznaniensi, comite Mathia castellano Landensi, comite Cechoslao pincerna Kalisiensi, comite Segota venatore Kalisiensi. Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo.

Olobok, *Ołobok.* Milesino, *Mieleszyn.* Bala, *Biała.* Boleslavec, *Bolesławiec.* Landensis, *de Ląd.*

Nr. 472.

Premisl dux Polonie 1278 Jan. 1, in Poznan; collationem sortis hereditatis Wyszanów, factam a Vrotslao filio Bogussae, clerico et diacono, monasterio Paradyż, ratam habet.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. Nr. 47.

In nomine Domini amen. Noverint universi presentes literas inspecturi, quod in presencia nostra, videlicet Premislonis ducis Polonie, et de nostra voluntate et consensu Vrotslaus clericus et diaconus, filius Bogusse, accedente consensu Sulislay patrui sui simul et consensu Bogusse filii patrui sui, liberaliter contulit sortem hereditatis sue, scilicet allodium sive predium quod de vero patrimonio tenuit, nomine Wissonowo, domino Ulrico abbati de Paradiso et per eum prefato monasterio suo, tradens et resignans omnem proprietatem et possessionem sive ius quod competebat vel competere poterat in hereditate prenominata in manus abbatis predicti, hereditario iure possidendum. Nos igitur prefatam donacionem gratam et ratam habentes,

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

in robur et memoriam omnium supradictorum presentem literam de peticione dicti Vrotslai sigillo nostro fecimus communiri. Acta sunt hec in Poznan Kalendas Ianuarii, anno Incarnacionis dominice millesimo ducentesimo septuagesimo octavo. Huius rei et facti testes sunt: Beniamin palatinus Poznaniensis, Bogumilus prepositus Santociensis, Petrus filius Prandote castellanus Poznaniensis, et alii multi fidedigni.

Wissonowo, *Wyszanów.* Paradisus, *Paradyż.* Santociensis, *de Santok.*

Nr. 473.

Boleslavus dux Gnesnens. et Primislo dux Poznaniens. 1278 Jan. 6, in Pobodis; donationi comitis Beniamin palatini Poloniae, qui hereditates Przysieka, Obrzyca, Ciosianiec, Lupice, Ptowe, Pyriz, Osłonin et Wieleń, sibi collatas, ad construendum ibidem monasterium Cysterciensis Ordinis monasterio Paradyż tradiderat, plenum praestant consensum, et novum monasterium amplissimis muniunt privilegiis.

Pergam. orygin. Z dwóch pieczęci przywieszonych na niciach jedwabn. zielon. pierwsza jest ułamkiem pieczęci Bolesława księcia, (pieczęć XVI), *druga znikła.*

Poznań. Königl. Staats Archiv. Paradis 1. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Polon. I, Nr. 57.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Ut in nostris gesta temporibus perpetue stabilitatis robur obtineant et ad nasciture posteritatis noticiam pertingant, salubriter maturiori consilio provisum est, res sollempniter gestas sigillatis apicibus eternare. Nos igitur Bolezlavus Dei gracia dux Gnesnensis et Primislo eiusdem Dei gracia dux Poznaniensis tam ad futuri quam instantis temporis universorum Christi fidelium quibus presens exhibitum fuerit instrumentum noticiam volumus pervenire, quod vir nobilis comes Benyamin palatinus Polonie, illius ewangelici hominis bonas querentis margaritas exemplo edoctus, pro temporalibus eterna, pro labilibus stabilia, pro vilibus pretiosa studens sedule conparare, in suam suorumque salutem, ad honorem Dei et salvatoris nostri Ihesu Cristi simulque ob eiusdem redemptoris Cristi Ihesu matris et Virginis gloriose reverenciam, contulit domino Ol. abbati de Paradiso et suo conventui quasdam a nobis sibi collatas hereditates que wulgariter his nominibus nuncupantur: Prisseca, Obrizka, Zossinida, Lupiza, Ptowe, Pyriz, Oslonino, Veleno, cum omnibus utilitatibus et proventibus, molendinis, agris, pratis, pascuis, silvis, mellificiis, piscacionibus, aquis, paludibus, metis et terminis, prout ab ipso comite Benyamin quiete et pacifice sunt possesse, nullo unquam interveniente obstaculo iugiter possidendas. Contulit inquam ad construendum Cysterciensis Ordinis monasterium constitutis ibi fratribus, qui multa religione pollentes, morum honestate prefulgentes et circa pauperum Christi obsequia diligenter intenti, iuxta prophetam etiam suorum vitulos Deo iugiter immolantes labiorum et innocentes oracionibus tam assiduis levantes in celum manus, districtum incessanter nostris pro offensis iudicem interpellent. Nos vero huic donacioni congaudentes et plenum prestantes consensum una cum ipso comite Benyamin, in nostram predictum recipimus claustrum fundationem et tuitionem, volentes ut ipsum plena gaudeat libertate. Ita, ut eiusdem homines claustri, sive Theutunici sive Poloni sint, neque coram castellano, neque ab aliquo

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

iudice possint vel debeant iudicari, sed sint liberi et exempti ab omnibus serviciis et exactionibus que hactenus in terra nostra fieri consueverunt vel denuo poterunt exoriri, scilicet a prevod, a stroza, a podvorove, a powos, a naraz, a slad, a porradlne, ab opole, a bove, a vacca, a porco, a vicinia, ab occisione capitis, a ponte edificando seu reparando, a cunctis indifferenter angariis, perangariis, quibuscunque nominibus censeantur. Hanc eciam prelibatis coniungimus prerogativam, ut ipsius homines claustri ad nullius usquam vel unquam compareant citacionem, nisi nostro nostram vocentur ad presenciam anulo vel sigillo. Preterea predicto conferimus claustro, ut si hereditates habitas vel habendas ad excolendas Theutunicis tradere voluerit, plenum nostrum habeat consensum, ita quod suarum sculteti villarum omnia iudicent iudicia, maiora pariter et minora. Addicientes, quod sepedicti fratres in terra nostra a thelonio cum sua familia sint exempti, nec homines eorum, castra, civitates edificare seu reparare, vel ad expedicionem ire cogantur, nisi ad terram nostram in necessitatis articulo defensandam. Ut igitur prefata donacio, coram nobis et nostris baronibus celebriter habita, inconvulsa iugiter perseveret, eandem hic conscriptam principatus nostri auctoritate duximus roborandam et nostrorum appensione sigillorum nichilominus muniendam. Huius memorati Benyamin donacionis et nostre confirmacionis testes sunt: Vincentius cancellarius et cantor Poznaniensis, Iohannes archidyaconus Poznaniensis, Bogumilus prepositus Scantociensis, Herkenboldus palatinus Gnesnensis, Petrico castellanus Poznaniensis, Nicolaus iudex Poznaniensis. Acta sunt in Pobodis in comuni colloquio coram nostris baronibus universis, anno Domini m.cc.lxx.viii, Ydus Ianuarii, Indictione VI, Épacta VIII (sic), Concurrente VI (sic).

Prisseca, *Przysieka*. Obrizka, *Obrzyca, niegdyś osada, już r. 1528 deserta.* Zossinida, *Ciosianiec.* Lupiza, *Lupice.* Ptowe, Pyriz, *nie odgadnione.* Oslonino, *Oslonino.* Veleno, *Wieleń.* Pobodis, *Pobiedziska.*

Nr. 474.

Premizl dux Polonie 1278 Apr. 1, in Sbansim; dat comiti Nicolao, iudici generali curiae suae, liberum arbitrium locandi ius Theutonicum in Gostyń, Brzezie et ceteris hereditatibus ipsius.

Pergam. orygin. W założonym dolnym brzegu dwa wcięcia poprzeczne od przywieszenia pieczęci.

Warszawa. Archiwum Główne, Diploma Nr. 609. — Stronczyński, Wzory etc. Nr. 15.

In nomine Domini amen. Humani generis actiones memoria perpetua indigentes plerumque ab hominum noticia dilabuntur, que scripturarum seu testium munimine non renovantur. Igitur nos Premizl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod considerata multiplici serviciorum fidelitate dilecti baronis nostri comitis Nicolay generalis iudicis curie nostre, filii quondam comitis Predpelci palatini Poznaniensis, sibi sueque posteritati de nostra non ficta voluntate dedimus liberum arbitrium locandi ius Theutonicum in Gostina et in Breze, et in aliis omnibus hereditatibus que in districtu dictarum hereditatum nunc sunt vel esse poterunt. Adiungentes eidem baroni nostro

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

circa territorium Breze civitatem construendam sub eodem iure quo nostre civitates et ville in nostro dominio perfruuntur, ita quod dictus baro noster de suis locacionibus, tanquam nos de nostris, omnibus utilitatibus libere pociatur. Dedimus eciam eidem baroni nostro et suis posteris in districtu supradictarum hereditatum, Gostina videlicet et Breze, si quando questus fuerit, municionem construere secundum sui arbitrii voluntatem. Ut autem hec nostra donacio simulque confirmacio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem cartulam nostri sigilli munimine dignam duximus roborandam presentibus hys: comite Pyotrkone castellano Poznaniensi, domino Vincencio cancellario Poznaniensi, domino Theodrico lectore patre spirituali nostro, comite Scedrico castellano de Criwin, comite Cevleyo de Porece, comite Iohanne castellano de Dupin. Datum in Sbansim anno Incarnacionis Domini M.CC.LXX.VIII, Kalendas Aprilis, per manus Thilonis notharii curie nostre.

Gostina, *Gostyń*. Breze, *Brzezie*. Criwin, *Krzywin*. Porece, *Podrzecze*. Dupin, *Dupin*. Sbansim, *Zbąszyń*.

Nr. 475.

Secundus Premisl dux Polonie 1278 s. d., in Santok; confirmat donationem hereditatis Polikno, quam relicta Mlodolae genero ipsius, Martino Paranic, ratione dotis fecerat.

Wilanów, Biblioteka. Rejestr rewizorów do Wielkopolski, fol. 49.

In nomine Domini amen. Humani generis actiones memoria perpetua indigentes plerumque ab hominum noticia dilabuntur, si non testium et litterarum munimine renovantur. Igitur nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis presentibus et futuris ad quos presens scriptum pervenerit, quod relicta Mlodole veniens ad nostram nostrorumque baronum presenciam, hereditatem suam Policzko integraliter cum omnibus utilitatibus, videlicet agris cultis et incultis, silvis, nemoribus, aquis et aquarum decursibus, molendinis, mellificiis, et omnibus aliis que sunt in eadem hereditate vel in futurum poterint inveniri, Martino Paranic suo genero, cum filia sua sibi legittime iuncto, irrevocabiliter donavit, sibi suisque legittimis successoribus iure hereditario in perpetuum possidendam. Nos vero Martini predicti serviciis nobis exhibitis satisfacere cupientes, donacionem coram nobis factam perpetualiter confirmamus, eidem Martino in hereditate dicta Policko liberum dantes navigium et theloneum, aut alia nostro dominio pertinentia his similia, vel maiora. Preterea hereditatem sepe nominatam Policko cum incolis suis absolvimus perpetuo ab omni servicio et exactione, a labore castri, a citatione nisi nostro sigillo specialiter evocentur, a vectura curruum nostrorum, a stroza, a naraz, a poradlne, et ab omnibus aliis obligacionibus quibuscunque nominibus censeantnr: de quibus omnibus solucionibus et serviciis eidem Martino satisfacere teneantur. Venationem liberam in metis habeat continue parvarum et magnarum cuiuslibet generis volucrum et ferarum. Liberum eciam habeat arbitrium prenominatam sepius hereditatem integre et divisim cum omni libertate sibi data donare, vendere seu commutare si processu temporis ipsi videbitur expedire, sepedictum Martinum ab omnibus serviciis et obligacionibus, nobis vel castro nostro pertinentibus, perpetualiter absolventes. Ut autem

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

hec omnia et singula robur obtineant perpetue firmitatis, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus roborandam presentibus his testibus: comite Grozla Depsk (sic) pincerna Poznaniensi, fratre suo comite Johanne venatore Poznaniensi, comite Vincencio filio Thomislai castellano de Santok, comite Nicolao dicto Samb venatore Gneznensi, comite Bronislao Wilkomir, et aliis quam pluribus clericis et laicis fide dignis. Datum et actum in Santok anno Domini M.CC.LXX.VIII per manus domini Thilonis notarii curie nostre.

Policzko, *Polikno.* Navigium, *t. j. na rzece Warcie lub Noteci, obok połączenia których leży wieś Polikno.* Santok, *Santok.* Depsk (de Pcev?), Wilkomir (de Wilkovia?) *widoczne omyłki, nie odgadnione.*

Nr. 476.

Boleslaus dux Polonie 1278 Apr. 23, in Gnezna; adiudicat monasterio de Ląd villas Jaroszyn, Kowalewo et Drążyn contra petitionem Bogufali episcopi Poznaniensis.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabn. czerwon. przywieszona pieczęć Bolesława księcia, (pieczęć XVI).

Własność hr. Adama Potockiego.

In nomine Domini amen. Quoniam factum omne modernorum solet haberi dubium quod non authoritate literarum seu testium roboratur, ideo nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie notum wlumus esse tam presentibus quam futuris, quod causam que vertebatur inter dominum Nycholaum quondam bone memorie episcopum Poznaniensem ex una parte et dominum abbatem Lendensem ex altera per quinquennium et amplius super hereditatibus, videlicet Iarossino, Marcinkovo et Drecino, divinum super nos iudicium metuentes taliter decrevimus diffinire, partibus utrisque terminum peremptorium statuentes. Si quis vero iam predictorum interim e medio fieret, fratres illius defuncti, quos respicit causa premissa, termino nichilominus astarent, ratum habentes quicquid coram nobis super eodem negocio iuste determinaretur. Cui termino abbas cum suis fratribus assistens prestolans iudicium, dominus vero Poznaniensis cum suis canonicis terminum peremptorium parvi pendens non comparuit: unde abiudicatus est, nec ultro ei locus concessus est de premissis sortibus facere questionem. Abbati vero adiudicate sunt iam dicte sortes sicut ex antiquo optinuerat, circumeunte vicinia, mediante nostro subcamerario Sandivoio, renovantes earumdem sorcium signa et metas antiquas, succidentes ex nostro mandato signa nova que episcopus Bogufalus sine vicinia, ut probavit abbas coram nobis, pro sue fecerat voluntate. Huius rei testes sunt: Herkamboldus palatinus, Pretslaus Gneznensis castellanus, Boceta Lendensis castellanus, Cechoslaus pincerna Kalisiensis, Segota venator Kalisiensis, comes Iohannes de Slugocino cum suo fratre Bogumilo. Ne igitur nostro huic facto inposterum aliquis audeat ausu temerario contraire, presentem paginam exinde conscriptam sigilli nostri appensione duximus roborandam. Datum et actum in Gnezna anno Domini MCC septuagesimo VIII, in die beati Adalberti episcopi et martyris.

Lendensis, *de Ląd.* Iarossino, *Jaroszyn.* Marcinkovo, *dziś Kowalewo.* Drecino, *Drążyn.* Slugocino, *Sługocin.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 477.

Boleslaus dux Mazovie 1278 Mai. 4, in Ploczk; confirmat possessiones monasterii de Jeżów in terra sua sitas, ipsumque cum incolis villarum ipsius, tanquam monasterio de Lubin pertinens, amplissimis munit privilegiis.

Transumpt sporządzony przez: Stanislaus de Glazewo Imper. auctoritate notarius publicus 1415 Sept. 2, in oppido Iezewo, ad instanciam Nicolai abbatis Lubinensis.

Poznań. Königl. Staats Archiv. Lubin, 32. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplomatic. Polon. I, Nr. 58, z pergam. orygin., którego pieczęć znikła.

In nomine Domini amen. Ne donaciones et confirmaciones principum racionabiles a memoria hominum elabantur, dignum est eas litterarum ac testium munimine perhennare. Quapropter nos Boleslaus Dei gracia dux Mazovie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam habituris, quod inspectis fidelibus, gratis et necessariis obsequiis reverendi viri domini Martini abbatis claustri Lubinensis et Yezeviensis, Ordinis sancti Benedicti, que nobis in nostris arduis necessitatibus fideliter demonstravit: cum enim in expedicione in Polonia, cum dilecto fratre nostro ilustri principe domino Wladislao duce Syradie preliaturi contra principem Henricum ducem Glogowie prope Crivin castrum fuissemus, idem reverendus vir dominus abbas nobis multum et magnum honorem exhibuit et expensas copiosius ministravit; et quod maius est memoriaque recoli dignum: cum quadam noctium hostes, homines fortes dicti principis Glogovie, staciones exercitus nostri latenter subintravissent dampnum nobis inferre cupientes, prefatus abbas prout fidelis ad nos eadem nocte propria in persona veniens, nobis incursum hostium eorundem veraciter indicavit: mox quantocius et caucius ad locum indicatum misimus, qui sencientes fugam inierunt, quos nostri usque ad castrum Crivin sunt viriliter persecuti; sicque nos et nostros reverendus vir et fidelis premuniendo, a maximo dampno et mortis periculo fideliter liberavit; pro eo sibi nostram graciam spopondimus ampliorem. Cumque reverendus vir abbas predictus ad nos in Ploczk tandem aliquando post aliquot temporis spacium venisset, pro quibusdam graciis domui Yezeviensi faciendis, assidentibus dilectis nostris filiis, Semovito videlicet et Troydino ducibus et aliis baronibus, nobis humiliter supplicavit; cuius meritorum beneficiis nobis inpensis memoriter recolentes et assessoribus seriem beneficiorum ipsius exponentes, precibus eius dignis annuimus graciose. Unde, propter spem et salutem vite eterne quam nobis a Domino et nostris predecessoribus ac posteris exoptamus, de communi consilio dilectorum filiorum nostrorum predictorum et baronum favore et assensu, domum et villam in Yezow et has villas ad eandem ab antiquo pertinentes, videlicet Goram, Iassinino, Miculimo et Crosnovam, monasterio Lubinensi et fratribus ibidem Ordinis sancti Benedicti dudum a patribus nostris collatas et ascriptas, prefato domino Martino abbati et suis successoribus, claustro Lubinensi, cum omnibus utilitatibus que nunc in eisdem sunt et in posterum fieri poterunt, in perpetuum possidendas innovantes addicimus et conferentes presentibus sollempniter confirmamus; volentes et firmiter statuentes, ut sicut patres nostri a fundacione ecclesie dicte domum ibidem Yeszeviensem, Ordinem sancti Benedicti et fratres sub eodem inibi Deo militantes illibate sine querela servaverunt, sic eciam et nos cum nostris posteris et successoribus dictam domum, Ordinem et fratres ibidem sine mutacione et omni querela conservare merito

[illegible]

condecet et offensa, et ideo dictam domum et fratres in nostram nostrorumque omnium successorum recipimus curam et tuicionem specialem, quam domum, prepositum et fratres ibidem, violenciis, molestiis seu penis nolumus quoquomodo subiacere. Preterea, ex plenitudine gracie nostre, ob amorem Dei et Sanctorum eius, ob remedium eciam anime nostre, nostrorumque omnium predecessorum et successorum ob salutem, ob merita eciam et preces prefati viri domini Martini abbatis fratrumque ipsius, predictam domum et villam in Yezow et alias villas superius nominatas et villanos ipsarum absolvimus omnimode ab omnibus universaliter solucionibus omnium exaccionum, ab equo, vacca videlicet porco et ariete quod vulgariter narsaz dicitur, a citacione castri, a non comparicione quod nestane, a curiis quod podworowe, a fumigacione quod podimne, ab avena quod porsiczne vocatur, a castoribus, a conductu cuiuslibet rei quod prsewod nuncupatur, a strozha custodia[1], sron pruina, pobor solucio, a falconibus et a psarske, quod peramplius non suscipiantur nec pascantur, neque falcones; ab angariis eciam preangariis et vexacionibus iuris Polonicalis, procuratorum, honoratorum, officiatorum, venatorum, subvenatorum et eorum pedaneis, officialium nostrorum et ceterorum ministerialium; a dacione eciam quarumlibet festivitatum ubicunque quod godne dicitur, et ab aliis omnibus quocunque nomine censebantur prorsus exementes. Monetam vero que obras dicitur, et annonam que sep vocatur, et communem terre solucionem que poradlne nuncupatur, ad instanciam dicti abbatis preposito de Yezow et fratribus ibidem decem annis dedimus percipere inconvulse, quibus evulsis ad nostros demum usus spectabunt. Sed stacionem in Yezow amplius habere monetariis sive nostris nunciis prohibemus, qua recepta mox alias divertantur. Absolvimus eciam dictam domum et villas ipsarumque incolas eternaliter ab edificacione quorumlibet castrorum et ab omnibus quibuslibet laboribus universaliter; a citacione quoque et a iudiciis palatinorum omnium et castellanorum, iudicum nostrorum et officiatorum quorumcunque, ut per eos amplius non citentur nec iudicentur; nisi coram preposito sive ipsius iudice astabunt querulantibus responsuri. Et precipue prepositus, cum sit spiritualis, per evum non iudicetur a quocunque iudice nostro, nec palatino, castellano, honorato seu officiato in omni causa, nec citetur, et citatus non compareat, maxime suis incolis ad obiecta responsurus, pena totaliter procul mota; nisi pro gadibus hereditatum: tunc coram nobis comparebit, littera tamen sub annulo nostro ad nostram presenciam evocatus. Contulimus domui predicte eciam ob spem salutis eterne, precibus reverendi viri dicti abbatis inclinati, ut quociescunque aut quocunque modo homines domus dicte ac villarum predictarum se mutuo occiderint, cuiuscunque condicionis aut sexus fuerint, aut liber ascripticium, aut ascripticius liberum, aut liber liberum, aut ascripticius ascripticium intra terminos bonorum ecclesie seu alibi, prepositus dicti loci totam penam homicidii tollet in eisdem. Si autem homo prepositi extraneum, aut extraneus prepositi occiderit, cuiuscunque condicionis aut sexus ut prefertur extiterit, prepositus mediam partem homicidii habebit. Si autem homo occisus vel qualicunque morte preoccupatus, sive plures, inter terminos bonorum domus dicte inventus fuerit, cuiuscunque condicionis, etatis, preeminencie, gradus, status aut sexus extiterit, eo quod venerabilis vir dominus Martinus sepe dictus claustri memorati nos et barones nostros et quam plurimos a mortis periculo ultimo liberavit cum circa Crivin castrum supra nominatum in Polonia fuissemus, villas sepedictas et incolas ipsarum domus dicte a pena huiusmodi homicidii, sive ducatus nostri sive cuiuscunque honorati et precipue castellani castri de Bala, et ab urna mellis capitalis, tam in hac causa quam

eciam in premissis totaliter excipientes absolvimus, et liberos eos reddimus presentibus et immunes; sed ad quem huiusmodi pena de iure pertinuerit, reum querat, et in eodem penam iure repetat capitalem. Denique forum, theoloneum et forense quod targove dicitur, donacione serenissimi principis pii Wladislai, antipatris nostri felicis recordacionis, ecclesie ac dicte domui Yeszeviensi et fratribus ibidem ab antiquo datum, statutum et scripto confirmatum: quod scriptum cum in expedicione supradicta fuissemus, vidimus et lectum audivimus et in manibus nostris contrectavimus: idem forum, theloneum et targove, libere ac pacifice dicte domui et fratribus habendum, percipiendum, exercendum et perfruendum perpetuis temporibus confirmamus. Notum sit eciam omnibus tam presentibus quam futuris, quod comes Mislimirus coram nostra nostrorumque baronum presencia, ob suorum redempcionem peccatorum, contulit domui Yeszeviensi pro construccione molendini partem sui litoris in flumine quod Rava vulgariter nuncupatur, iure hereditario libere, quiete ac perpetuo possidendam; in qua piscina, sursum et deorsum per totum, nec ipse unquam nec posteri sui nec successores, piscandi sive aliquid faciendi habebunt potestatem. Et ut hee racionabiles ac solempnes donaciones nostre ac confirmaciones robur perpetuum obtineant firmitatis, presentem paginam in huius rei pleniorem evidenciam venerabili viro prefato domino Martino abbati monasterii memorati ad profectum ecclesie ac domus Yeszeviensis et fratrum dari iussimus, nostri sigilli inpressione et appensione evidenter communitam. Actum et datum in Ploczk in die beati martyris Floriani, presentibus prefatis dilectis filiis nostris Semovito et Troydino ducibus, Getca palatino, Hnalislao castellano Plocensi, comite Nassegnevo, domino Iancone cancellario curie nostre et aliis quam plurimis fide dignis. Si quis autem posterorum seu successorum nostrorum nostras donaciones et confirmaciones premissas, rite ac racionabiliter factas et datas, infringerit, indignacionem omnipotentis Dei et beatorum Adalberti et Stanislai martyrum eius se senciat inremissibiliter incursurum. Et ne quis super hiis omnibus premissis quoquomodo dubitet, lecta est hec pagina et exposita in nostra nostrorumque dilectorum filiorum audiencia et baronum, data per manus eiusdem domini Ianconis cancellarii memorati sub anno gracie Incarnacionis Domini nostri Ihesu Christi millesimo ducentesimo septuagesimo octavo. Amen, id est fiat.... fiat.... fiat.... fiat.

Lubinensis, *de Lubin.* Yezeviensis, *de Jeżów.* Crivin, *Krzywin.* Ploczk, *Płock.* Iassinino, *Jasień.* Miculimo, *Mikulin.* Crosnova, *Krosnowa.* Bala, *Biała.* Rava fluv., *Rawka rzeka.*

Nr. 478.

Secundus Premizl dux Polonie 1278 s. d., in Poznan; confert ecclesiae Poznaniensi villas Psarskie et Iaszkowo, quas quondam Phalimirus filius Iohannis possederat, et testamento ecclesiae praedictae legaverat.

Pergam. orygin. Sznur jedwabny żółty, z którego pieczęć znikła.

Poznań. Archiv. Capituli I, 7. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 59.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa littere, cuius assertio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premizl Dei gratia dux Polonie, predictorum freta ammonicione salutarium mo-

[illegible]

nitorum notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod terram sive villam que vulgariter Psurevo nuncupatur, quam Phalimirus filius Iohannis possederat et in suo testamento simul cum villa sua Iascovo legaverat ecclesie beati Petri Poznaniensis ad honorem Dei et ob reverentiam beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, pro salute anime nostre et parentum nostrorum contulimus plena deliberatione habita pie et devote prephate ecclesie sancti Petri Poznaniensis, condignis eciam ac benevolis petitionibus venerabilis patris domini Nicolay Poznaniensis episcopi acquiescere cupientes, iure hereditario in perpetuum possidendam cum omni eo iure, quo universe ville gaudent antique ecclesie supradicte; ita quod in ipsa villa pro nobis et nostris successoribus nichil iuridictionis penitus reservamus. In huius igitur nostre donationis robur et memoriam, presentem litteram nostro sigillo fecimus communiri presentibus hiis testibus: domino Iohanne decano Poznaniensi, domino Iacobo scolastico eiusdem, domino Iohanne archidiacono ibidem, comite Beniamin palatino Poznaniensi, comite Nicolao iudice curie nostre, comite Petrcone castellano de Santoch. Datum in Poznan anno gracie Domini M.CC.LXX.VIII per manus Thilonis notarii curie nostre.

Psurevo, *Psarskie.* Iascovo, *Jaszkowo.* Santoch, *Santok.*

Nr. 479.

Premisl dux Polonie 1278 Jun. 4, in Poznan; confirmat resignationem hereditatis Białokosz, quam comes Stephanus et frater eius comes Dirsicragius comiti Nicolao iudici Poznaniensi vendiderant.

Poznań. Königl. Staats Arch. Relation. Posnaniens. a. 1619, fol. 1627.

In nomine Domini amen. Humani generis actiones memoria perpetua indigentes plerumque ab hominum noticia dilabuntur, que scripturarum seu testium munimine non renovantur. Igitur nos Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod coram nobis nostrisque baronibus terre nostre pocioribus, de unanimi consensu ac pariter voluntate comes Stephanus cum fratre suo seniore, comite Dirsicragio de Zycce, propriam hereditatem que Belocosse vulgariter nuncupatur, comiti Nicolao iudici terre nostre, filio quondam comitis Predpelci felicis memorie palatini Poznaniensis terre, pro septuaginta marcis argenti racionabiliter vendiderunt. Licet dictus comes Dirsicraius frater senior comitis Stephani tunc temporis absens fuerit, tamen, ut de ipso in posterum nulla fiat dubietas, et quod plenum assensum super racionabili vendicione sui fratris iunioris exhibere videatur, dictam venditionem seu ordinationem hereditatis prenotate sui sigilli munimine roboravit. Ita tamen, quod nominatus comes N. et posteritas sua hereditatem suprascriptam iure hereditario in perpetuum valeat obtinere, tali interiecta condicione, quod supradicti fratres et eorum posteritas seu consanguinitas, vendicionem coram nobis nostrisque baronibus racionabiliter factam nequaquam audeant in posterum violare, supradictam hereditatem pro simili pecunia redimere aut repetere cupientes. Ut autem supradictorum fratrum venditio nostraque protestatio et confirmatio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostro sigillo cum appensione sigilli comitis prelibati Dirsicraii dignam duximus ro-

[illegible]

borandam presentibus hiis testibus: comite Beniamin palatino Polonie, comite Potrkone castellano Poznaniensi, comite Iohanne venatore Poznaniensi, comite Chrosla pincerna Poznaniensi, comite Schedricho castellano de Chriwin, comite Gnevomiro castellano de Zbanszym. Datum in Poznan anno gracie Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo in vigilia Pentecostes, per manus Thilonis scriptoris curie nostre.

Zycce, *nie odgadnione, może zamiast Siercz.* Belocosse, *Białokosz.* Chriwin, *Krzywin.* Zbanszym, *Zbąszyń.*

Nr. 480.

Nicolaus Pp. III 1278 Jun. 22, Viterbii; Martinum ex Ordine Praedicatorum ecclesiae Gneznensi praeficit in archiepiscopum, et clero populoque diocesis Gneznensis commendat.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 159.

Nicolaus episcopus *(etc.)*, venerabili fratri Martino archiepiscopo Gneznensi salutem *(etc.)*. Licet continuata supervenientium negotiorum instantia nostrum animum, qui disponente Domino universali regimini quamvis immeriti presidemus, insultibus impetat successivis, sollicitudo tamen omnium ecclesiarum nostris incumbens humeris tanto artius nos cotidiana meditatione perurget, quanto ad id sumus ex iniuncto nobis apostolatus officio specialius, imo principalius deputati. Sane, ecclesia Gneznensi dudum pastoris solatio destituta, nos, qui circa viduatas ecclesias continue attentionis oculis ad hoc potissimum vigilamus, ut mora exclusa dampnosa talibus ipsarum regimen committatur per quos salutaria in spiritualibus et temporalibus incrementa suscipiant, te professorem Ordinis Predicatorum, tunc penitentiarium et capellanum nostrum, litterarum scientia preditum, morum honestate conspicuum, consilio providum, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis predicte ecclesie in archiepiscopum preficimus et pastorem, ac tibi de manibus nostris munere consecrationis impenso, palleum de beati Petri corpore sumptum, insigne videlicet pontificalis officii, cum ea qua decuit instantia postulatum, tibi fecimus assignari, firmam spem fiduciamque tenentes, quod ecclesiam ipsam salubriter auctore Domino gubernabis. Reverenter itaque suscipe iugum Domini et suavi eius oneri humiliter colla submitte, manumque mittens ad fortia, ipsius administrationem ecclesie prudenter exequi, et gregis tibi commissi custodiam prosequi diligenter studeas et constanter, oppositurus te murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso, ut laudabili de grege ipso reddita in die stricti examinis ratione, regnum Patris eterni ab origine mundi paratum electis accipias, in dilecta Domini tabernacula letabundus introeas, et eundem tibi commissum gregem ad uberioris meriti retributionis cumulum introducas. Datum Viterbii X Kalendas Iulii, anno primo.

In e. m. . . preposito . . decano et Capitulo ecclesiae Gneznensis, clero civitatis et diocesis Gneznensis, universis vassallis, universis suffraganeis ecclesiae Gneznensis, verbis competenter mutatis.

[illegible]

[redacted]

Nr. 481.

Nicolaus Pp. III 1278 Jun. 22, Viterbii; Martinum ex Ordine Praedicatorum, ecclesiae Gneznensi in archiepiscopum praefectum, ducibus Poloniae commendat.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 159.

Nicolaus episcopus *(etc.)*, dilectis filiis nobilibus viris universis ducibus per Gneznensem provinciam constitutis salutem *(etc.)*. Licet *(etc. usque:)* gubernabit. *(cnfr. Nr. 480)*. Quocirca nobilitates vestras rogamus et hortamur per apostolica scripta vobis mandantes, quatenus eundem archiepiscopum, ad commissam sibi divina et apostolica providentia prefatam Gneznensem ecclesiam cum plenitudine nostre gratie accedentem, habentes propensius commendatum, sibi et eidem ecclesie vos favorabiles et benivolos exhibere velitis: ita quod ipse vestri favoris fultus presidio in executione officii sui possit assidue prosperari, ac vobis exinde divine retributionis premiis comparatis, nos devotionem vestram possimus in Domino merito commendare. Datum Viterbii X Kalendas Iulii, anno primo.

Nr. 482.

Premislius dux Maioris Polonie 1278 Aug. 24, in Lenda; in colloquio inter Lesconem ducem Siradiae et Zemovitum ducem Cuiaviae habito in mediatorem electus, quandam compositionem inter praedictos duces ordinat.

Pergam. orygin. Skrawek pergaminu u dolnego brzegu odcięty i tamże przez wcięcie poprzeczne przewleczony, z którego pieczęć znikła.

Warszawa. Archiwum Główne, Diploma Nr. 2. — Stronczyński, Wzory etc. Nr. 16.

In nomine Domini amen. Nos Premislius Dei gracia dux Maioris Polonie, omnibus presens scriptum inspecturis salutem. Noverint presentes et futuri, quod cum colloquium celebraretur inter dominum L. ducem Syradie et dominum ducem Zemo. Cuyaviensem, nos, predictum Pre. ducem Polonie, iam dicti principes L. et Zem. mediatorem ac assessorem elegerunt. Tunc predictus dux Syradie terram Cuyavie fratri suo domino duci Zem. per nostram ordinacionem et procuracionem karitative restauravit, super talibus ordinacionibus compromissis, quod predictus Zem. dux Cuyavie frater noster, Teuthonicales milites et filios militum Teuthonicalium in terra et curia sua servare denegaret, item et quascunque promissiones privilegiorum olim promisit vel tradidit maturo sine consilio, frivola et vana perseverent; eciam, quantumque villas aliquas in predicta Cuyavia temporibus domini ducis Polonie, patrui nostri, vel a duce L. Syradie receperunt, frater noster dominus dux Zem. minime ratum approbabit. Item, quod si antedictus frater noster Zem. volens locare civitates vel villas cum consilio maturo baronum suorum, locare poterit ad sue affectationem voluntatis. Et ne de hiis ordinacionibus aliquod scrupulum oriatur, nos presens scriptum nostri sygilli munimine dignum duximus roborandum. Actum in Lenda claustro Ordinis Cisterciensium anno Domini M.CC.LXXVIII in die beati Bartholo-

mey apostoli, presentibus hiis: Mathya castellano de Kalis, Bozeta castellano de Lenda, Andrea castellano de Nakel, Bozeta castellano de Gedc, Bervoldo pincerna, Bogumilo dapifero Gneznensi, et aliis quam pluribus fide dignis.

Lenda, *Ląd.* Nakel, *Nakło.* Gedc, *Giecz.*

Nr. 483.

Comes Woyczych de Stensz 1278 Sept. 20, s. l.; protestatur, se suis servis Laurentio, Jacobo et Nicolao duos mansos feudales in villa Sczaniec contulisse.

Rogalin. Biblioteka. Paradis, Lib. privil. Nr. 48.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Cum pocius sit divinitatis quam humanitatis singula perpetuo memorie commendare, ideo utile animadvertimus, acta personarum literarum memorie commendare. Notum igitur fieri volumus tam presentibus quam futuris presentem paginam cernentibus, quod nos comes Woyczych de Stensz contulimus predilectis servis nostris Laurencio, Iacobo et Nicolao duos mansos feudales, ipsis et posteris eorum, in villa que Stenz vulgariter nuncupatur. Ita, eciam sub tali libertate: si forte in posterum eis placuerit predictos vendere mansos, nullius improbitate valeat eorum emptio impediri. Ne ergo per nos seu per nostros heredes, vel eciam successores alios, huiusmodi collacio valeat revocari aliquatenus seu cassari, ipsis in suffragium evidentioris testimonii presentem litteram nostri sigilli munimine duximus roborandam, cum subscriptis testibus: Henrico prefecto predicte ville, Peregrino tabernario, Gerlaco filio prefecti, Henrico de Villa Alberti. Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, in vigilia sancti Matthei apostoli et evangeliste acta sunt hec.

Stensz, *z niemiecka zamiast Sczaniec.* Villa Alberti, *Wojciechowo.*

Nr. 484.

Premisl dux Polonie 1278 Dec. 10, in civitate Posnaniensi; confirmat donationem curiae cum aedificiis ac rebus mobilibus, factam ab Iohanna medica domui fratrum Praedicatorum in Poznań, simulque statuit, ut cuilibet de eadem civitate liceat testamento bona sua domui praedictae assignare.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci.
Poznań. Privil. ecclesiae fratrum Praedicatorum.

In nomine Domini amen. Cum cuiquam fidelium liceat de bonis suis que libere possidet condere testamentum, nos Premisl Dei gratia dux Polonie notum volumus esse universis presentem paginam inspecturis, quod domina Iohanna medica de civitate Posnaniensi, compos existens rationis et integri sensus, pro anima sua et pro remedio suorum peccaminum curiam suam cum edificiis omnibus ac rebus aliis

[illegible]

[redacted]

mobilibus, fratribus Predicatoribus de domo Posnaniensi donatione inter vivos voluntarie ac immutabiliter delegavit, rerum suarum in eosdem dominium transferendo. Et quia prefata femina supplicavit ut eius hanc donationem confirmaremus, nos piam eius in hoc voluntatem approbantes et necessitatem fratrum ac penurias attendentes, hanc donationem in nomine Domini confirmamus, presenti scripto in perpetuum statuentes, ut cuilibet de civitate Posnaniensi de cetero liceat, in testamento prefatis fratribus bona sua mobilia et immobilia, cessante contradictione quacunque civium Posnaniensium, libere assignare. In cuius rei testimonium presentem paginam nostro sigillo fecimus roborari. Acta sunt hec anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, quarto Idus Decembris in civitate Posnaniensi, presentibus hiis: comite Benyamin palatino nostro, Nicolao iudice terre nostre, Boguslao subcamerario nostro, Dirsicragio subiudice terre nostre, Bozatha castellano de Premanth, et domino Vincentio cancellario nostro, et aliis pluribus probis viris.

Premanth, *Przemęt.*

Nr. 485.

Premisl dux Polonie 1279 Jun. 11, in Poznan; confert militi suo Stephano villam Polanowo.

Pergam. orygin. Na pasmie niekręconego jedwabiu czerwonego przywieszona pieczęć Przemysława księcia, (pieczęć XV).

Warszawa. Biblioteka prywatna. Diplomata.

In nomine Domini amen. Quoniam cursus rerum temporalium, satis floridus et serenus, successive tamen divolvitur in non esse, necesse est ergo ut facta que aguntur, scripti munimine ac voce testium roborentur. Igitur nos Premisl Dei gracia dux Polonie notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod considerantes iustam ordinacionem et donacionem dilecti patrui nostri inclitissimi principis felicis memorie ducis Boleslay, domini et heredis terre eiusdem, nec non servicio fideli perspecto, contulimus militi nostro nomine Stephano et sue posteritati villam nostram que Polaninovo vulgariter nominatur iure hereditario possidendam, quam et patruus noster iam dictus dicto militi contulerat, ut superius iam diximus; interserimusque, quod fatam villam ab hiis solucionibus Polonorum liberamus, videlicet hiis: a stroza, a castri citacione, a podvorove, a povoz. Ut autem hec nostra donacio firma perseveret, presentem litteram nostro sigillo iussimus insigniri presentibus hiis testibus: comite Pretslao castellano Gneznensi, comite Mroczchone venatore Lendensi, comite Pretpelcho subcamerario domine ducisse, comite Petro Prutheno, comite Ianusio subpincerna Poznaniensi. Datum in Poznan anno Domini M.CC.LXX nono, conscriptum ibidem die dominico proximo ante festum sancti Viti et Modesti.

Polaninovo, *Polanowo.* Lendensis, *de Ląd.*



Nr. 486.

[Pr]emisl secundus dux Polonie 1279 Jul. 6, in Poznania; villam co[mitis B]orkonis dictam Psarskie, a castellania et ab opole de Śrem absolvens ad opole [Drz]onek jungit, libertatibus munit et certis limitibus circumscribit.

[P]oznań. *Königl. Staats Arch. Lib. terrestr. Costens. a. 1546 f. 550 (z oryg.).*

In nomine Domini amen. Humani generis actiones memoria perpetua indigen[t, q]uecumque ab hominum noticia dilabuntur, que scripturarum seu testium muni[mine n]on renovantur. Igitur nos Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, scire [volumus] universos presentem paginam inspecturos, quod villam comitis Borkonis filii [com]itis Woyslai militis nostri que Psarskye nuncupatur, sitam circa Srzem, que sub [...]solucione cum villa nostra Zarzenino, quam a fratre suo comite Wyslao pro suf[ficie]nti commutacione recepimus, in opole de Srzem et castellaniam pertinebat, ra[cion]e sui fidelis servicii ab opole de Srzem et castellania in perpetuum absolventes, [ea]m hereditatem Psarskye ad opole de Drzonec iungimus cum omnibus solucioni[bus] quibuslibet, que de Srzem castellanie tenebatur. Fuit enim libera a povoz, [p]odvod, a podvorove, a stroza et a castro; sic eciam eadem libertate deinceps po[ti]atur cum suis posteris. Deinde, ne autem alicui dubium super limitibus oriatur, [ea]s precibus eiusdem Woyslai inclinati, iussimus conscribi limites seu gades predicte [he]reditatis. Inter civitatem nostram dictam Srzem et Psarskye, sunt autem gades [pre]dicte hereditatis de luto Pluskoczevo vulgariter dicto, unde aqua transit, usque [ad] flumen quod dicitur Zabel strumen, que vulgariter dicitur Santzyn yaz. In pre[di]cto flumine tria tragmina piscium recialia eidem hereditati addimus, usque ad flu[vi]um qui vulgariter vocatur Struga, et qui diffunditur de Zabel usque ad antiquum [f]lumen, quod vulgariter Nakrzyze nominatur. Insuper concedimus eidem hereditati [e]x parte civitatis partem fluvii usque ad lacum qui vulgariter dicitur Czyska, qui lacus in Psarskye dinoscitur pertinere flumini qui vulgariter dicitur Struga Chostrina, transiens de predicto lacu; videlicet de Czyska. Preterea sibi tradimus omnes usufructus in fluminibus iam dictis, molendinis, piscibus, feris, lignis, quocumque genere utilitatis poterit excogitare. Deinde via magna, de Srzem transiens penes montem qui dicitur Colige; idem mons dividit metas de Psarskye. Postremo, ubi itur de Psarskye in villam que dicitur Gora, ibi sunt lapides, unus stans altero iacente in agro; similiter metas de Psarskye dividunt. Ceterum mons qui iacet iuxta lacum inter Psarskye et Gora gades demonstrat, presertim lapis circa predictum lacum iacens, reliquo in lacu pausante, dat cognoscere metas determinate. Item insula Nedabilonis usque ad fluvium quod dicitur Wartha, ab illa parte fluminis eiusdem usque ad lutum quod vulgariter dicitur Sczyrscza, in Psarskye spectare dinoscitur. Lacus vero, de predictis duobus lapidibus et silva que Lang nuncupatur usque ad flumen quod dicitur Wartha, ad illam partem eiusdem aque in Psarskye demonstrat pertinere. In huius rei evidenciam et roboris firmitatem, presentem paginam nostri sigilli munimine dignam duximus roborandam presentibus hiis testibus: comite Swanthomyro venatore de Starygrod, comite Nicolao subdapifero Gneznensi, comite Woycechone subpincerna Gneznensi. Datum et actum in Poznania anno gracie Domini

millesimo ducentesimo septuagesimo nono, in octava beatorum Petri et Pauli, per manus Tylonis scriptoris curie nostre.

Psarskyc, *Psarskie.* Srzem, *Śrem.* Zarzenino, *nie odgadnione.* Drzonec, *Drzonek.* Lutum Pluskoczevo, Zabel strumen, Nakrzyze flum., *miejscowości dziś nie odgadnione.* Lacus Czyska, *zdaje się być jezioro pod w. Szymanowo.* Struga Chostrina, *przypływ rz. Obra.* Mons Coligo, *nie odgadniony.* Gora, *Gora.* Insula Nedabilonis, Lutum Sczyrscza, *nie odgadnione.* Starygrod, *Starygród.*

Nr. 487.

Philippus episcop. Firmanus apostolic. Sedis in Ungaria, Polonia, Dalmatia etc. legatus 1279 Sept. 14, in castro Budensi; edit in Concilio in loco praefato habito statuta, a clero et populo suae legationis observanda.

Helcel, Starodawne prawa Polskiego pomniki, z dalszym ciągiem według: R. Hube, Antiquissimae constitutiones synodales provinciae Gnesnensis.

Sancte constitutiones, edite per venerabilem patrem dominum Philippum Dei gratia Firmanum episcopum, in Ungaria, Polonia, Dalmatia, Croatia, Rania, Servia, Lodomeria, Gallicia ac Cumania apostolice Sedis legatum, de consilio et consensu archiepiscoporum, episcoporum, electorum, atque abbatum, prepositorum, archidiaconorum, priorum, ministrorum, custodum, guardianorum, plebanorum, canonicorum, rectorum et aliarum personarum et clericorum, nec non Capitulorum, tam cathedralium quam aliarum ecclesiarum secularium et regularium, Cisterciensium, sancti Benedicti, Premonstratensium, sancti Augustini, Predicatorum et Minorum ac aliorum Ordinum, congregatorum in Concilio celebrato in castro Budensi Vesprimiensis diocesis per eundem legatum, ad honorem et gloriam sancte et individue Trinitatis, ad reverentiam et honorem sancte Romane ecclesie et beatissimi ac sanctissimi patris domini Nicolai III et successorum eius, ad relevationem, fulcimentum, ac defensionem fidei catholice et ecclesiastice libertatis; nec non reformationem vite, morum et actuum cleri et populi legationis predicte, sub annis Domini M.CC.LXXIX, Indictione VII, die quartadecima intrante Septembri, in quo videlicet die terminatum fuit Concilium supradictum, pontificatus sanctissimi patris domini Nicolai Pape III anno II.

De tonsura episcoporum. Quia, sicut prelati quosque sibi subditos dignitate et auctoritate precellunt, ita moribus, vita, habitu et conversatione honestis precellere et precedere debent eosdem; quum eorum vita si sit bona, et amplius si sit mala, trahatur a subditis in exemplum: statuimus, quod ipsi prelati coronam et tonsuram patentibus omnino auribus, circularem, iuxta regularium seu religiosorum generalem consuetudinem approbatam, quum nulla religio pontificali religione sit maior, de cetero deferant; ab omni excessu in capillis et defectu notabili in corona protinus abstinentes. Sic enim servantes in predictis, sibi subditos poterunt reformare.

De corporis cultu. Preterea statuimus et ordinamus, quod prelati de cetero, quum equitant vel etiam in publico pedestres incedunt, habeant et deferant cappas rotundas, sub quibus habeant et deferant camiscias albas sive rosetas, quas semper sub cappis sive mantellis ante pectus vel post collum hinc inde connexis deferant, quum in publico, hoc est extra secreta habitationis eorum, ipsos contigerit ire vel

[illegible]

[redacted]

stare. Prohibemus autem, ne ipsi prelati de cetero deferant vel habeant mantellos, cum quibus hactenus equitare et quos in propriis et alienis hospitiis, non solum coram famulis suis sed etiam coram aliis, consueverunt deferre. Permittimus autem, quod possint habere mantellos rotundos sive tabarda longitudinis moderate, eosque deferre cum capuciis, separatis ab eis tempore pluvioso, nivoso seu pruinoso, et quum ad exercitus seu curiationes aut expeditiones ex certis et necessariis causis, a sacris canonibus minime reprobatis, eos contigerit proficisci. Insuper prohibemus, ne prelati vel ecclesiarum cathedralium canonici deinceps sub mantellis vel cappis, pro paratura varios quorumcunque colorum sive varietatum: nisi forte varietates huiusmodi essent in pellibus agninis, vulpinis et linceis: seu zendardum rubeum, vel in aliquibus vestibus fimbrias, hoc est premidiones seu ornamenta nobilia exterius apposita, deludria seu bivaria, seta, aut de aliqua alia simili materia, deferant ullo modo.

De arcendo vestium luxu. Prohibemus, ne prelati aut alii, in dignitatibus, personatibus, seu canonicatibus ecclesiarum cathedralium seu collegiatarum, sive in ecclesiis curam animarum habentibus, aut in sacerdotio constituti, manicas deferant consutitias, nec togas sive guarnacias seu supertunicalia, aut quecunque alia vestimenta desuper portent aperta. Sed ipsa superiora indumenta circumcirca usque ad fimbrias habeant clausa; nulla collaria, nisi forte in tabardis vel mantellis ad equitandum circumcirca omnino rotunda, vel bottones sive fibulas aureas vel argenteas, aut aliquid auri vel argenti habentem ornatum in aliquibus suis vestibus deferentes. Quod si qui contrarium fecerint, vestes huiusmodi per suos ordinarios auferantur in usus pauperum aut in alios pios usus convertende; nichilominus, qui in hoc inventi fuerint excessisse, nisi ad mandatum sui superioris se correxerint, usque ad satisfactionem a suis beneficiis sint ipso facto suspensi.

Annulorum usus praelatis tantum permissus. Interdicimus omnibus clericis portare annulos, nisi sint prelati quibus licite competat ex officio dignitatis vel ex privilegio Sedis apostolice speciali; consuetudine in hoc contraria non obstante. Quod si quis de cetero clericus annulum portans inventus fuerit, auferatur ei annulus per suum ordinarium et non reddatur eidem: immo idem transgressor clericus etiam tantumdem ad valorem illius annuli in rebus aliis cogatur pauperibus erogare. Clericus autem qui annulum dare diocesano vel predictam quantitatem solvere contemneret, ab ingressu ecclesie arceatur donec annulum reddat et penam solvat predictam.

Vetitum ecclesiasticis popinas adire. Statuimus, quod nulla persona ecclesiastica in domibus sive curiis in quibus habitant, tabernam ubi vinum minutatim vendatur, vel ubi viles, leves seu suspecte hospitentur aut conversentur persone, habere, tenere, vel sustinere presumat. Quod si quis in his excesserit, et a suo superiore monitus non emendaverit infra terminum sibi dandum, ex tunc usque ad emendationem condignam ab ingressu ecclesie excludatur.

Praelati e familiis religiosis exciti, pristinum cultum servare iussi. Statuimus etiam et inviolabiliter observari precipimus, quod omnes et singuli, de aliquibus religionibus sive Ordinibus ad pontificalem dignitatem assumpti aut in posterum assumendi, illius religionis sive Ordinis de qua vel de quo assumpti fuerint vel de cetero assumentur, habitum tam in vestibus quam in calceamentis et quibuscumque aliis toto tempore vite sue deferre teneantur et deferant in publico et secreto; nec habitum illum ullo tempore dimittant, aut vestes, calceamenta vel aliqua alia, deferant in colore, forma, seu materia contraria vel dissimili religioni sive Ordini supradictis. Qui vero contra

[illegible]

[redacted]

huiusmodi sanctum et regulare statutum venire presumpserint, ingressum ecclesie et executionem pontificalium sibi noverint interdicta. Per hanc tamen constitutionem non interdicimus ocreas nec cappas rotundas, aut mantellos ante pectus vel post collum connexos, in colore et aliis, supradictis religionibus seu Ordinibus congruentes.

Ecclesiastici re militari non implicandi. Perpetuo prohibemus edicto, ne prelati et alii clerici cuiuscumque sint ordinis, dignitatis aut status, seditionibus, preliis, spoliis, rapinis, incendiis et aliis sevis factis se aliquatenus immiscere presumant, nec bellicis actibus se implicent vel involvant: nisi forte pro ecclesiarum suarum et patrie defensione, non ad impugnandum vel propulsandum, sed ad defensionem tantum, si necessitas eos compellat; et tunc in propriis personis non pugnent. Clerici officia vel commercia non exerceant, maxime inhonesta; mimis, histrionibus, et ioculatoribus non intendant, et tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas et taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint. Comam et tonsuram patentibus auribus habeant congruentes, et in officiis ecclesiasticis et in aliis bonis studiis se exerceant diligenter. Excedentes autem in talibus, a suis moneantur prelatis: et si moniti parere contempserint, ab officio et beneficio suspendantur, nec prius talis suspensio revocetur, quam ad arbitrium prelatorum pro eo fuerit satisfactum, ac sub certa pena sufficienter caveant, quod in talibus vel similibus ulterius non excedent.

Non ferenda ab iis capitis sentencia. Nullus clericus sententiam sanguinis dictet aut proferat, aut sanguinis vindictam exerceat aut ubi exercetur intersit, nec quisquam clericus literas dictet aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas, nec illam partem cerugie exerceat que ad ustionem vel incisionem inducit; nec quisquam purgationi aque ferventis seu frigide seu ferri candentis ritum cuiuslibet benedictionis aut consecrationis impendat: scientes, quod si ex huiusmodi mors vel membri mutilatio fuerit subsecuta, irregularitatis laqueum non evadent.

Laicis ecclesiarum administratio non permittenda. Prohibemus quoque, ne archidiaconi et alii rectores ecclesiarum, laicis vel clericis uxoratis suas presumant committere vicarias: et ad hoc dicti archidiaconi et ecclesiarum rectores per suspensionem officii et privationem beneficii, laici autem vel clerici uxorati ne huiusmodi vicarias recipiant, per excommunicationis sententiam a suis diocesanis compescantur omnino.

Arma ab ecclesiasticis non circumferenda. Districte precipimus, ne sacerdotes vel clerici, in quovis ordine constituti, gladium vel cultellum, quod vulgariter dicitur kord, portent, nisi eis manifesti timoris causa ingruerit: nec tunc absque licentia prelatorum portent.

Vetita mulierum cohabitatio. Inhibemus districtius, ut nullus clericus beneficiatus aut in sacris ordinibus constitutus, mulieres aliquas in domibus sue habitationis retinere vel alibi eis cohabitare presumat; qui vero ipsas nunc tenet, nisi infra tres menses, ab ultimo die presentis Synodi in antea enumerandos, eas a cohabitatione sua prorsus eiecerint, vel qui eiectas resumpserint vel eis cohabitaverint, ex tunc se sciant excommunicationis sententia innodatos: a qua sententia per suum diocesanum absolvi possint, primo de suis cohabitationibus mulieribus predictis eiectis, ac ipsis clericis ab earum omnino cohabitationibus separatis, et sufficienti prestita cautione, quod contra constitutionem huiusmodi de cetero non venient, sed ipsam omni tempore inviolabiliter observabunt.

[illegible]

[redacted]

De sacrarum imaginum cultu. Suademus, ut quotiescumque clericos contigerit simul vel singulariter incedere ante altare seu figuram beate Virginis aut etiam Crucifixi, et maxime quum pro divinis officiis intrant chorum, inclinent capita sua depositis pileis reverenter, atque instruant et inducant laicos diligenter.

Dicto: Ave Maria, inflectendum caput; et quo ornatu standum in choro. Volumus, quod omnes clerici, quotiescumque in divinis officiis Ave Maria audiverint, flexis genibus se reverenter inclinent; prohibentes, ne clerici beneficiati aut in sacris ordinibus constituti, discalceati seu nudis pedibus chorum intrare seu in ipso stare presumant dum ipsa divina officia celebrantur. Item, quod presbyteri sine cappis rotundis vel superpelliciis ad psallendum horas canonicas, maxime vesperas, matutinas, vel missam, ecclesias ingredi vel in eis vadere non presumant; nisi forte essent extranei viatores aut etiam peregrini.

De lustranda ab episcopis dioecesi. Quoniam sicut audivimus nonnulli ecclesiarum prelati et persone ecclesiastice nostre legationis, et maxime regni Ungarie, quum suas dioceses vel parochias visitant vel ex aliis causis ad ecclesias ipsas declinant, gravibus et inportabilibus fere descensibus, non solum in prelatis et clericis, verum etiam in laicis, reprobandis atque damnandis ecclesias vel parochias ipsas plerumque aggravant et molestant: nos huiusmodi descensus graves, onerosos, difficiles et inportabiles fieri de cetero prohibentes statuimus, quod quum prelatos et personas predictas ex iustis et rationabilibus causis ad ecclesias ipsas declinare contigerit, sic se honeste habeant et modeste, se suasque familias a superfluis et illicitis cohibentes, quod per immoderatos descensus huiusmodi ecclesie inportabiliter non graventur: in predictis et aliis taliter se habentes, quod ipsi, non que sua sint sed Iesu Christi, potius querere videantur. Qui autem in predictis excesserint, per superiores suos abstinere atque desistere, et de illatis gravaminibus satisfacere lesis et gravatis ecclesiis, per censuram ecclesiasticam et alia prompta remedia, sublato cuiuslibet frustratorie appellationis obstaculo, compellantur.

De arcenda intrusione in sacerdotio. Prohibemus, ne aliquis abbatiam, preposituram, prioratum, plebanatum, capellaniam vel aliquod beneficium ecclesiasticum de manu recipiat laicorum: statuentes, quod archiepiscopi, episcopi et alii, ad quos de iure vel consuetudine seu privilegio, abbatum vel aliorum confirmatio, institutio vel provisio spectat, nullum confirmare vel instituere presumant, nisi eis prius de canonica ipsorum electione et eligentium ac electi conditione inter eos plene constet; veris patronis, in illis ecclesiis in quibus illius obtinent patronatum, iustitia ac iure plene servatis ac salvis, que eis a sacris canonibus conceduntur atque servantur.

De constituenda residentia. Quum ad beneficia ecclesiastica, curam habentia animarum annexam, tales queri debeant et admitti, qui in ipsis beneficiis velint et valeant residere et personaliter per se ipsos et non per alios deservire, ordinamus atque precipimus, ut omnes et singuli plebani, rectores et capellani ecclesiarum parochialium totius legationis nobis commisse, in ipsis deserviant per se ipsos et non per vicarios. Prohibentes, ne aliqui talium ecclesiarum rectores de cetero, absque diocesanorum consensu quibus ecclesie ipse subsunt, aliquos instituant vicarios, vel institutos in eis teneant vel sustineant: et qui contra fecerint, fructibus et proventibus illius ecclesie per annum sint ipso iure privati, dictique fructus, de mandato diocesani episcopi, in libris et ornamentis ecclesiasticis aut ad opus eiusdem ecclesie irrevocabiliter expendantur; nec antea percipiant de fructibus ecclesiarum ipsarum, quam sufficienter caverint quod huiusmodi constitutionem inviolabiliter observabunt. Illos

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

autem qui contra tenorem constitutionis presentis receperint vicarias, suorum ordinariorum arbitrio relinquimus puniendos.

De non ineunda conspiratorum societate. Coniurationes et conspirationes et colligationes inter personas ecclesiasticas, quocumque modo, fraude vel ingenio, omnino de cetero fieri prohibemus, factasque, nec non iuramenta, promissiones, obligationes et alia super predictis prestita, vel que de cetero super eis fieri contingerit vel prestari, aut earum occasione, penitus reprobamus, dissolvimus, atque cassamus: et eos, qui huiusmodi promissiones, obligationes aut etiam iuramenta, sub aliquibus etiam pecuniariis vel aliis penis fecerunt aut etiam prestiterunt, protinus absolventes, ipsos decernimus ad observationem coniurationum, conspirationum et obligationum ipsarum, vel solutionem aliquarum penarum sive pecuniarum aliquatenus non teneri. Statuentes, quod qui in talibus de cetero inventi fuerint excessisse, preter excommunicationem quam ipso facto incurrant, a suis diocesanis aut aliis suis superioribus per privationem perpetuam aut etiam temporalem beneficiorum que obtinent et alias penas taliter castigentur, quod pena ipsorum transeat aliis in exemplum. Quam constitutionem quantum ad penas imponendas, ad promotiones seu mediationes predictarum coniurationum, conspirationum, colligationum, iuramentorum, promissionum et obligationum predictarum, extendi volumus et mandamus.

Infirmi a parochis conveniendi. Statuimus, quod quum ex deliberatione et ordinatione episcoporum, archiepiscoporum et aliorum ordinariorum, Synodus fuerit celebranda per duos, tres vel tot dies qui sufficere videantur, antequam se ponant in via eundi ad Synodum, rectores parochialium ecclesiarum earumque perpetui vicarii qui ad presidendum Synodo faciende fuerint generaliter sive specialiter seu singulariter evocati, diligenter inquirant si qui sint infirmi seu debiles in parochiis suis, eosque visitent etiam non requisiti, et faciant circa eos quidquid necesse fuerit ad animarum salutem.

Indictae Synodi adeundae, et cultus in iisdem usurpandus. Statuimus etiam et precipimus, ut omnes tam regulares quam seculares in dignitatibus seu personatibus constituti, ad locum illius metropolitane in qua provincialis, et illius diocesis in qua episcopalis Synodus fuerit celebranda, veniant, nisi remanserint de suorum superiorum licentia speciali de quorum ordinatione Synodus fuerit facienda: et si taliter impediti fuerint quod ad Synodum venire non possint, legitimum excusatorem clericum, cum pleno mandato ad acceptandum et recipiendum ea que in Synodo fuerint ordinata, transmittant. In eundo et redeundo honeste ambulent et honesta acquirant hospitia et in eis circumspecte se habeant et modeste, ne vita, mores, et gestus clericorum, populo fiant in scandalum et contemptum. Qui vero ex causa ad Synodum ire vel venire non possunt, eam archidiaconis, et archidiaconi suis diocesanis studeant nunciare. Quod si in veniendo et denunciando rationabilem causam, negligentes seu contemptores extiterint, ad diocesanorum suorum arbitrium puniantur. Preterea statuimus, quod archiepiscopi, episcopi, abbates et quilibet alii qui ex privilegio mitris utuntur, mitrati, cum superpelliciis, stolis et cappis seu pluvialibus; prepositi vero, priores et alii inferiores prelati, cum superpelliciis et stolis si diaconi saltem sint, et si velint, pluvialibus seu cappis; rectores vero et simplices sacerdotes, cum cottis seu superpelliciis et stolis tantum; inferioris vero status vel ordinis clerici, cum cottis Synodum intrent et in ea devote et cum reverentia usque ad finem, nisi casus necessitatis emerserit, perseverent. Religiosos quo-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

que, nullam prelaturam vel administrationem habentes perpetuam, permittimus in habitu suo cum stolis in Synodo posse stare, etiam si administrationem habeant.

Suscipiendi sacri ordines a pastoribus animarum. Statuimus etiam, quod omnes abbates, prepositi, priores, plebani et alii ecclesiarum prelati et rectores curam animarum habentium, promoti ad dignitates seu curas predictas ante Concilium Lugdunense noviter celebratum, si presbyteri non sunt, in proximis futuris Quatuor Temporibus successive se faciant usque ad sacerdotium ordinari; aut omnino dimittant huiusmodi dignitates et curas, et per suos diocesanos seu superiores, sublato cuiuslibet appellationis obstaculo, amoveantur a dignitatibus et curis predictis, nisi in sacerdotes fuerint ordinati. Institutis autem sive instituendis post Concilium Lugdunense prefatum, per diocesanos et alios superiores eorum denuncietur singulariter singulis et universaliter universis, quod nisi infra annum a die sue constitutionis in dignitatibus et beneficiis curam animarum habentibus in presbyteros fuerint ordinati, ipso iure huiusmodi beneficiis sint privati, et beneficia illa, per illos ad quos eorum ordinatio spectat, ex tunc de personis idoneis libere ordinentur.

Eucharistia et Oleum sacrum servanda in ecclesiis. Statuimus, ut per omnes ecclesias Chrisma, Oleum sanctum et Eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conservetur, ita ut non possit ad illas manus impia extendi. Si vero is ad quem spectat custodia ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio et beneficio suspendatur, et si per incuriam aliquid inde nefarium contigerit, gravius puniatur.

Celebrandum a sacerdotibus divinum officium. Nullus permittatur deservire altari vel Epistolam legere, nisi in superpellicio et cappa clausa. Sacerdos quoque diurnum officium pariter et nocturnum distincte et aperte, quantum Deus dederit, celebret et devote.

Sanctio adversus intrusores et intrusos. Quia multorum assertione comperimus et pro certo didicimus, quod in multis ecclesiis ac monasteriis et ecclesiasticis beneficiis nostre legationis multi per secularem potentiam, absque libero et legitimo ecclesiasticarum personarum assensu ad quas ipsarum electio, ordinatio, provisio et institutio pertinere dignoscitur, damnabiliter sunt intrusi ac quotidie intruduntur contra sacrorum statuta canonum et ecclesiasticam libertatem, ex quo multa provenerunt et proveniunt quotidie detrimenta et animarum deploranda pericula subsequuntur: statuimus, quod nullus laicus, cuiuscunque auctoritatis extiterit sive status, aliquem de cetero in ecclesiis vel monasteriis aut ecclesiasticis beneficiis legationis predicte ponere vel intrudere quacumque occasione vel auctoritate, quin potius transgressione seu temeritate, presumat; salvo et reservato iure patronatus veri competentis patroni, prout canonica iura declarant. Decernimus autem institutiones sive intrusiones talium nullas esse, nullumque ius competere sic intrusis; et nisi intrusi huiusmodi infra sex menses ecclesias, monasteria, sive beneficia, que de facto modo sunt adepti predicto, omnino et sine difficultate dimiserint, et quicumque alii de cetero aliqua beneficia ecclesiastica per manus receperint laicorum, et electionibus, postulationibus, provisionibus seu institutionibus, ad minas, comminationes, terrores sive impressiones laicorum quorumcumque aliorum presumpserint consentire, ex tunc se sciant excommunicationis sententie subiacere, ipsosque per diocesanum et alios, quibus ecclesie, monasteria et beneficia sunt subiecta predicta, arctius compellendos ea dimittere et satisfacere de fructibus et proventibus exinde perceptis, invocato ad talium proterviam conterendam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Ecclesiastici iudicum tribunalia adire vetiti. Inhibemus, ne persone ecclesiastice agant vel respondeant, sive fideiubeant aut se astringant vel obligent coram iudice seculari, nisi de his et super his, que ad seculare, non ecclesiasticum, forum spectant, et de quibus, absque sacrorum canonum iniuria et contradictione in predictis vel aliis, potest per ecclesiasticas personas seculare forum adiri. Personas autem ecclesiasticas que contra huiusmodi inhibitionem venire presumpserint, et iudices seculares qui personas prefatas coram se agere, respondere vel fideiubere aut se astringere, vel alia facere que ad forum seculare non pertinent, contra privilegia ordini clericali vel personis ecclesiasticis generaliter vel specialiter ab homine vel a iure concessa compulerint, nisi, postquam de hoc exceptum fuerit coram eis, ab huiusmodi processu omnino destiterint et revocaverint omnem processum habitum contra personas predictas, excommunicationis sententie volumus subiacere, a qua per diocesanos locorum in quorum iurisdictione persone huiusmodi consistunt, post satisfactionem idoneam et condignam iuxta formam Ecclesie possint absolvi.

De eodem. Nullus sacerdos vel aliqua persona ecclesiastica, de personalibus iniuriis vel eleemosynis Ecclesie factis, coram seculari iudice audeat litigare, nisi de licentia sui episcopi.

De spuriis et arte lusoria e domibus sacerdotum arcendis. Prohibemus sacerdotibus et aliis clericis in sacris ordinibus constitutis districte, ne secum prolem habeant quam in sacro ordine genuerunt, propter scandalum; et ne huiusmodi parochiales sacerdotes in domibus suis habeant aleas vel taxillos, districtius inhibemus. Filii autem sive filie predictorum, in familia sive famulatu, seu pro famulis maioris ecclesie cui sunt immediate subiecti, redigantur ac etiam teneantur.

De reliquiarum veneratione. In Concilio statutum est, ut amodo reliquie extra capsam nullatenus ostendantur, nisi in precipuis festivitatibus vel ad hoc ex devotione concurrentibus peregrinis, sicut quarundam ecclesiarum laudabilis consuetudo exposcit; nec aliquo modo exponantur venales. Inventas autem de novo, nemo publice venerari presumat nisi prius auctoritate Romani pontificis fuerint approbate. Qui vero contra fecerit, si clericus fuerit, ab officio et beneficio se noverit suspensum; si laicus, per mensem ingressum ecclesie sibi noverit interdictum.

Qui ad sacras conciones admittendi. Nullus passim recipiatur ad predicandum, nisi fuerit authentica persona, vel alias per Sedem apostolicam privilegiata aut ad hoc per episcopum destinata. Questores quoque ecclesiarum tantum ea dicant populo, que in literis domini Pape vel episcopi continentur; sacerdotes tamen loci populum sibi commissum diligenter inducant ad eleemosynas erogandas, intuitu pietatis, non animo extorquendi. Nullus etiam questuarius pro hospitalibus vel aliis similibus locis, recipiatur ad eleemosynas querendas sine literis domini Pape aut legatorum eius, vel diocesanorum ipsorum.

Opes ecclesiarum non oppignerandae nec distrahendae. Statuimus, quod ornamenta ecclesie non obligentur pignori nisi pro necessitate ecclesie, de licentia episcopi, cum consilio parochianorum. Preterea statuimus, quod nullus prelatus superior vel inferior aut ecclesiarum rector pro alio fideiubere, nec possessionem ecclesie sue vel alias res ecclesiasticas quascumque, mobiles aut immobiles vel se moventes, presertim sacras, pro alieno facto obligare presumat, nec etiam pro suo facto proprio, nisi evidentem in utilitatem sue cedat ecclesie, et cum licentia diocesanorum, et cum assensu Capituli sive Conventus illarum ecclesiarum sive monasteriorum, que habent Capitulum vel Conventum. Transgressores autem constitutionis huiusmodi,

[illegible]

[redacted]

per suos superiores compellantur reficere omne dannum quod monasteria et ecclesie ex fideiussione vel obligatione huiusmodi incurrissent. Statuimus et statutum etiam declaramus, quod ecclesiarum rectores de bonis mobilibus vel iuribus seu libris aut ornamentis ad ecclesias ipsas spectantibus, nichil dare, concedere, vel donare possint in vita; nec de ipsis seu aliis mobilibus vel immobilibus aut se moventibus, acquisitis contemplatione ecclesiarum ipsarum, possint condere testamentum, nisi in casibus a iure permissis: quod si contra factum fuerit, illud decernimus irritum et inane. Precipientes districte, quod successores eorum qui in talibus excesserint, predicta bona cum auctoritate diocesanorum et etiam iudicum secularium, si fuerit opportunum, ad ius et proprietatem ipsarum ecclesiarum efficaciter studeant revocare, ipsique prelati se favorabiles et promptos ipsis rectoribus exhibeant in predictis: et si qui de dictis rectoribus in revocatione huiusmodi fuerint negligentes, ipsos ad id per diocesanos predictos compelli volumus et mandamus. Archidiaconi quoque, singuli videlicet in singulis archidiaconatibus suis, tam de predictis quam aliis, ad bonum et utilitatem ecclesiarum suorum archidiaconatuum curam et sollicitudinem habeant diligentem: et si quid super predictis ac aliis difficultatibus emerserit, illud diocesanis suis studeant quam citius nunciare.

Peregrinatio non obeunda inconsulto praesule. Nullus clericus nostre legationis, in quovis ordine constitutus, peregrinari extra regnum vel provinciam suam presumat absque diocesanorum episcoporum vel aliorum suorum ordinariorum licentia speciali: quod si quis contrarium fecerit, a beneficio ecclesie vel ecclesiarum, in qua vel in quibus beneficiatus extitit, per unius anni spatium sit suspensus.

Rem divinam non peragat, nisi iniciatus noscatur. Decernimus, ut nemo incognitus ad ministrandum in sacris ordinibus admittatur, nisi sui ordinatoris vel successoris eius literas, omni suspicione carentes ostendat, suscepti ordinis mentionem facientes expressam: et qui contra constitutionem huiusmodi venire presumpserint, tales ad celebrationem divinorum admittendo vel retinendo, post trinam admonitionem vel unam peremptoriam, a divinorum perceptione et ingressu ecclesie arceantur; et de hoc per diocesanos episcopos inquisitio frequens fiat.

Frequentandae a fidelibus ecclesiae parochiales. Precipimus, ut ecclesiarum parochiani singulis diebus dominicis et festivis, ad divina officia, specialiter ad missam, vadant ad suas parochiales ecclesias, ibique divina officia prout Deus dederit audiant diligenter: nec ipsi parochiani, relicta sua parochiali ecclesia vel contempta, ad alias ecclesias, cuiuscumque sint ordinis, religionis aut status, sive huiusmodi ecclesie sint parochiales sive non, ad audienda divina officia, et specialiter missam, presumant accedere, maxime diebus dominicis et festivis; aut in alienis parochiis vel ecclesiis ad huiusmodi officia permittantur, seu ipsis per alios quam per suos parochiales presbyteros ministrentur ecclesiastica Sacramenta: exceptis clericis, religiosis, transeuntibus et peregrinis, qui ad huiusmodi officia in parochiis sive ecclesiis possunt recipi alienis, et nisi forte, causa devotionis maioris, aliqui circa hoc a Sede apostolica sint muniti privilegio aut indulgentia speciali. Parochiani vero contra constitutionem huiusmodi venientes, a perceptione Sacramentorum, illi autem qui contra constitutionem huiusmodi parochianos alienos receperint ad divina vel eis administraverint ecclesiastica Sacramenta, ab executione suorum ordinum noverint se suspensos; et qui parochianis alienis taliter suspensis ecclesiastica ministrare presumpserint Sacramenta, excommunicationis sententiam ipso facto se noverint incurrisse, a qua, congrua satisfactione exhibita illi paro-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

chiali rectori cuius parochiano ministrare presumpserint ecclesiastica Sacramenta, per diocesanos episcopos secundum formam Ecclesie possint absolvi.

De exigenda ratione administrandarum opum. Omnes autem abbates, prepositi, priores, et alii prelationem habentes, saltem semel de suis omnibus reditibus et expensis et statu ecclesiarum suarum, ceteri vero administratores, camerarii, seu officiales, tam interiores quam exteriores, bis in anno duobus terminis, uno videlicet in festo sancti Thome apostoli, altero in festo sancti Georgii, reddant in Capitulo plenariam rationem: consuetudine quarundam ecclesiarum, ubi pluries ratio reddi solet, in suo robore duratura. In quibus si prelati et officiales vel predicti negligentes seu infideles et mendaces inventi fuerint, secundum qualitatem culpe per episcopum vel alium suum superiorem puniantur; alii vero ipso facto administrationes amittant, gravius iuxta arbitrium episcopi vel sui superioris alterius puniendi.

Ne ecclesiarum rectores mutuo dent. Inhibemus abbatibus, prepositis, prioribus, plebanis, rectoribus ecclesiarum et clericis universis, ne ipsi mutuo dent vel accipiant: abbates, prepositi ultra duas vel tres marchas, ceteri unam marcham, sine notitia et consensu Capituli sui vel maioris partis, ac diocesani episcopi assensu speciali.

Interdicta bonorum ecclesiae alienatio. Prohibemus insuper, ne inferiores prelati absque episcoporum, nec ipsi absque archiepiscoporum, nec ipsi metropolitani absque Sedis apostolice licentia speciali, aliqua de bonis immobilibus vel iuribus, ad monasteria sive ecclesias suas spectantibus, nisi in casibus a iure permissis, alienare presumant: quod si contra fecerint, pro irrito habeatur; et alienantes, si inferiores prelati sint, a suorum ordinum, archiepiscopi et episcopi, a pontificalium executione sint ipso facto suspensi; quam suspensionem superiores ordinarii alienantium, alienatis prius ad ius et proprietatem monasteriorum seu ecclesiarum revocatis, vel alias indemnitati ipsorum monasteriorum et ecclesiarum proviso, valeant relaxare.

Non imponenda ecclesiis graviora onera. Statuimus, quod ecclesie parochiales vel alie ecclesie seu monasteria, per maiores seu minores, vel personas seu magistros, aut Capitula cathedralium ecclesiarum vel aliarum ecclesiarum prelatos, novis, iniustis, et indebitis exactionibus non graventur; nec eis novos imponant census, aut indebitas exactiones inducant, nec veteres augeant pensiones. Qui vero inventi fuerint in talibus ecclesias molestare aut aggravare predictas, si sint episcopi, per metropolitanos eorum, si inferiores persone, per suos diocesanos a talibus per censuram ecclesiasticam et alia opportuna remedia desistere compellantur.

Archidiaconi, non nisi iuris canonici periti, praeficiantur. Quum tam de iure quam de generali consuetudine multarum ecclesiarum archidiaconi iurisdictionem habeant causas matrimoniales et plerumque alias audiendi, examinandi atque decidendi, statuimus atque precipimus: quod nulli de cetero in regno Ungarie et provincia Polonie in archidiaconos assumantur, nisi in iure canonico taliter sint instructi atque periti, quod causas huiusmodi secundum iura et rationabiles consuetudines locorum in quibus huiusmodi iurisdictionem obtinent audire, examinare, atque decidere possint; vel alias in artibus sint aut in aliis scientiis taliter informati, quod in talibus, annuente Deo, verisimiliter proficere possint: et si tales in archidiaconos assumi contigerit, teneantur ad minus triennio in canonico iure studere, dimissis in ipsis archidiaconatibus talibus vicariis, qui honeste possint supplere vices eorum. Hanc autem constitutionem, quantum ad studium triennii, ad iam institutos archidiaconos extendi volumus et mandamus: nisi et instituti iam facti sint, et instituendi post suas institutiones fiant absque vitio et culpa ipsorum adeo pauperes, debiles, vel infirmi, aut

[illegible]

alias inhabiles ad studendum, quod studium incipere nequeant, vel perficere aut terminare inceptum: quibus impedimentis cessantibus, teneantur incipere et inceptum perficere studium, ut superius est expressum. Ad predicta quoque implenda, archidiaconi supradicti a suis diocesanis per amotionem et privationem perpetuam a suis archidiaconatibus compellantur. Indulgemus autem archidiaconis supradictis, quod infra triennium, quo studio prefato vacabunt, archidiaconatuum et aliorum beneficiorum suorum fructus et proventus cum ea integritate percipiant, cum qua ipsos perciperent si in dictis archidiaconatibus vel beneficiis personaliter morarentur; quotidianis distributionibus que in pane et vino singulis vel certis diebus exhibentur dumtaxat exceptis; nisi in fraudem presentis constitutionis, reditus qui consueverunt in pecunia percipi, ordinarentur pro distributionibus panis et vini.

Causae matrimoniales diligenter discutiendae. Prohibemus, ne cause matrimoniales nisi discretis et gravibus ac honestis committantur personis, et habentibus iuris canonici peritiam vel causarum experientiam in talibus opportunam. Statuimus, ut iudex in causis matrimonialibus testes per se ipsum, vel alium discretum et honestum iuris peritum vel bonam experientiam causarum habentem, examinet.

Sacramenta de non deferendis culpis praelatorum rescissa. Quia nonnulli prelati seculares et regulares subditis suis inhibent, ne ecclesiarum sive monasteriorum suorum statum personarum et rerum eorumdem superioribus suis, seu aliis per quos ad notitiam eorum perveniat, insinuent vel exponant, eosdem subditos sub iuramenti interpositione et aliis vinculis astringentes, vel in ipsis si secus fecerint excommunicationis sententiam proferentes; nonnulli etiam ex eis subditos ipsos plerumque alias sibi obligant, ne de cetero dicant sive deponant, denuncient aut faciant aliquid contra eos per quod malum vel damnum aliquid incurrere possint: ex quibus frequenter venit, quod quum superiores ecclesias et monasteria ipsa visitant, ipsorum monasteriorum seu prelatorum aut etiam subditorum statum scire non possunt, propter que multa in eis, tam in capite quam in membris, que correctione et reformatione indigent, remanent incorrecta: nos contra huiusmodi detestabiles et periculosas astutias providere volentes, omnia super his vincula interposita, obligationes omnes super hoc initas, sententias et quecumque alia huiusmodi occasione subsecuta, inita seu facta, vel que in posterum ferri vel fieri contigerit, penitus revocamus, relaxamus atque cassamus, ac cassa et irrita nunciamus; decernentes subditos et alios supradictos a predictis obligationibus, sententiis atque penis totaliter absolutos, et ad eorum observationem aliquatenus non teneri.

Supellex sacerdotum non locanda in ecclesiis; libri rituum ab iis tenendi. In Concilio prohibetur et nos prohibemus inviolabiliter observari, ne supellectilia sacerdotis, propria seu alia, in ecclesiis reponantur aut etiam teneantur, nisi propter hostiles incursus aut incendia repentina ad eas oporteat habere refugium, sic tamen, ut necessitate cessante extra ecclesiam portentur. Librum qui dicitur manuale habeant singuli presbyteri parochiales, ubi contineatur ordo baptismi, catechismi, extreme unctionis et huiusmodi; nec non libros alios, in quibus possint tam diurnum quam nocturnum officium celebrare.

Choreae in loco sacro vetitae. Precipimus sacerdotibus, ut divino officio celebrato et populo regresso ad propria, ecclesias suas firmare debeant diligenter. Prohibeant etiam sacerdotes sub pena excommunicationis, choreas in cemeteriis vel in ecclesiis duci; quia, ut ait Augustinus: Melius est festivis diebus fodere vel arare, quam choreas ducere. Sub anathematis interminatione prohibemus, ne quis civiles



causas in ecclesiis vel cemeteriis agitare presumat. Nullus etiam de novo edificare in cemeterio permittatur; nec fimus vel immunditie alie in cemeteriis adunentur. Talia facientes, quousque satisfecerint, ad voluntatem rectoris ab ingressu ecclesie illius arceantur.

De vigiliis in ecclesia obeundis, et divinis officiis peragendis. Precipimus, quod ecclesiarum rectores in suis ecclesiis vigilias fieri a laicis non permittant, quum ex hoc scandala proveniant et peccata: nisi forsan in illis ecclesiis, in quibus ex devotione fidelium vigilie tales consueverunt fieri ab antiquo. Ad dilatandum in divinis officiis ecclesie decus presenti constitutione duximus statuendum, quod prepositi, canonici, plebani et alii ecclesiarum rectores et clerici universi, in preposituris, canoniis et plebanatibus, rectoriis et aliis ecclesiis in quibus beneficiati existunt, vel a quibus ecclesiastica recipiunt stipendia, residentiam facientes, horis canonicis, ad minus matutinis, misse vel vesperis intersint: quum eis ad hoc sint ecclesiastica beneficia deputata, ut de ipsis honeste debeant vivere, ac Deo et dictis ecclesiis in ipsis divinis officiis cum reverentia deservire. Quod si quis eorum in predictis appareat negligens vel remissus, et per diocesanum vel Capitulum vel alium superiorem admonitus non emendaverit, sed huiusmodi negligentiam, ne dicamus contemptum, non videatur emendationi sed consuetudini potius deputare: quotidianis distributionibus illius diei, quo absque rationabili causa abfuit a divinis in aliqua de tribus horis predictis, ipso sit facto privatus, per diocesanum vel alium superiorem suum, si huiusmodi negligentiam vel contemptum non studuit emendare officia continuando predicta, gravius puniendus. Et ut huiusmodi constitutio melius observetur, deputentur aliqui a singulis Capitulis cathedralium et collegiatarum ecclesiarum, qui absentias et negligentias talium notent et scribant. Parochialium vero sacerdotum et aliorum clericorum negligentie et offense, in talibus et aliis que a cura et sollicitudine pendent eorum, per archidiaconos, prepositos aut alios, et demum per episcopos quibus subsunt corrigantur et salubriter emendentur.

De nonnullis extorsionibus vetitis, et sepultura repentina morte decedentium. Presenti quoque constitutione declaramus atque decernimus, quod consuetudo, secundum quam archidiaconi Ungarie pro occisis gladio sive fuste vel aliorum armorum genere, seu veneno aut quocumque alio damnabili et reprobato modo, consueverunt recipere unam marcham argenti antequam sic occisi tradantur ecclesiastice sepulture: ad eos qui fulmine percussi, fluminibus suffocati, exusti incendio, arboribus oppressi, aut de equo cadentes, vel aliis similibus sive fortuitis casibus diem clauserunt extremum seu interiisse noscuntur, nullatenus extendatur, nec ab eorum heredibus, propinquis sive amicis, marcha huiusmodi exigatur; sed sic defuncti, dummodo penitentes decesserint vel in morte penitentie signa apparuerint manifesta, sicut alii Christiani ecclesiastice sepulture tradantur; archidiaconi vero per suos ordinarios ab huiusmodi exactione indebita arceantur.

Contra concubinarios, lenones et lenas, nec non meretrices. Prohibeant etiam sacerdotes, ne laici publice teneant concubinas: et qui post admonitionem tenuerit, tam ipse quam ipsa ab ingressu ecclesie arceantur; et si per hoc se non emendaverint, per suos diocesanos fortius compellantur.

De meretricibus publicis. Quum ex vicinitate turpium mulierum, et maxime meretricum publicarum que corpora sua pro vili pretio vel mercede venalia indifferenter exponunt, multis plerumque peccandi occasio ministretur, ut de multis aliis spiritualibus et temporalibus, que sepissime ex earum vicinitate dampnabili consueverunt contingere, periculis taceatur, religio Christiana ac multorum bonorum ho-

[illegible]

[redacted]

nestas enormiter infametur: statuimus, quod nulla persona ecclesiastica aut etiam secularis, universitas, collegium vel conventus, huiusmodi infames et abominandas personas in aliqua civitate, castro vel villa, in domibus seu possessionibus suis habitare permittat, nec eis vel aliquibus aliis ipsarum nomine vel pro ipsis, aut infamatis de lenociniis, favore, commercio aut conservatione sive protectione talium mulierum, domos ipsas vel possessionem suam eis concedere, locare, vendere vel donare quocumque modo vel fraude presumat. Quod si quisquam contra huiusmodi constitutionem venire presumpserit, tamdiu per ordinarios locorum et presbyteros parochiarum in quibus violatores constitutionis huius deguerint ab ecclesie arceantur ingressu et a perceptione Sacramentorum habeantur suspensi, donec ipsis turpibus personis de dictis domibus et possessionibus prorsus eiectis, et prestita sufficienti cautione, quod ulterius in talibus non excedent, et ad mandatum ordinariorum sive superiorum, vel presbyterorum parochialium suorum, tantum de bonis suis in pios usus expendant, quantum pro huiusmodi locatione, venditione seu concessione perceperint aut percepturi fuerint occasione predicta. Persone autem ecclesiastice, si in predictis excesserint, preter predictas penas per ordinarios sive superiores suos gravius puniantur. Hanc autem constitutionem ad publicos adulteros et incestuosos, et ad publicas adulteras et incestuosas, quos et quas excommunicationis sententie decernimus subiacere, extendi volumus et mandamus.

Ecclesiastica bona a laicis non occupanda. Statuimus, quod ad bona decedentium episcoporum seu episcopatuum et aliorum inferiorum prelatorum, secularium seu religiosorum, monasteriorum vel aliarum ecclesiarum vacantium, nullus laicus, quantecumque et cuiuscumque sit altitudinis, existentie, conditionis vel status, manus suas extendi faciat vel permittat, bona huiusmodi auferendo aut etiam occupando occasione iuris patronatus vel alio quocumque pretextu. Quod si quis laicorum contra constitutionem huiusmodi venire presumpserit, ingressum ecclesie et perceptionem seu participationem Sacramentorum usque ad satisfactionem omnium occupatorum, subtractorum ac etiam ablatorum sibi noverit interdictos: salvis aliis predictis et in aliis constitutionibus nostris expressis.

Eadem bona non alienanda. Statuimus, quod nulla persona ecclesiastica aut etiam secularis, cuiuscumque sit existentie, ordinis, dignitatis vel status, vel sub pretextu iuris patronatus quod se habere dicat, contendat vel asserat, aut in veritate habeat in aliquibus monasteriis vel ecclesiis nostre legationis, seu alio quocumque pretextu vel modo, monasteria vel ecclesias predicta in quibus iura huiusmodi se habere contendunt, aut aliquid de bonis vel iuribus ad ipsas ecclesias vel monasteria spectantibus per se vel alios occupare, vendere, donare, permutare, locare aut alio modo quocumque alienare, seu bona ipsa aut fructus aliquos, in perpetuum vel ad tempus, aut alias in feudum sive in pignus dare, concedere, vel recipere, aut aliquid aliud circa dispositionem et ordinationem ecclesiarum et monasteriorum predictorum, seu bonorum mobilium vel immobilium aut se moventium, iuriumque eorumdem propria auctoritate attentare presumant: veris patronis ecclesiarum et monasteriorum legationis prefate, in quibus ecclesiis et monasteriis ius obtinent patronatus, iure competenti occasione huiusmodi patronatus servato in tantum, in quantum in hac parte patronis ecclesiarum canonica instituta concedunt. Transgressores autem constitutionis huius, postquam a diocesano et aliis superioribus illarum ecclesiarum in quibus predicta vel predictorum aliqua attentarunt per charitatem admoniti fuerint, nisi infra terminum, ab ipsis diocesanis vel per alios dictarum ecclesiarum superiores

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

statuendum eisdem, ab ipsarum ecclesiarum vel monasteriorum seu bonorum ac iurium eorumdem super predictis molestatione et perturbatione destiterint, et ad ipsorum diocesanorum seu aliorum superiorum arbitrium satisfecerint de dannis et iniuriis irrogatis occasione predicta monasteriis et ecclesiis prefatis, ex tunc se sciant excommunicationis sententie subiacere; a qua, iuxta tamen formam Ecclesie, per diocesanum, satisfactione premissa et sufficienti cautione, quod ulterius in talibus vel similibus non excedant, possint absolvi prefati.

De iure patronatus et collatione sacerdotiorum. Presenti quoque declaramus statuto atque precipimus, quod quecumque persona secularis, cuiuscumque sit existentie, dignitatis aut status, quantumcunque liberaliter et absolute concedat, donet, tradat, seu tradidisse intenderit vel intendat, voluerit vel velit monasteria seu ecclesias: in quibus monasteriis vel aliis ecclesiis secularibus ius tantum obtineat patronatus: illud faciat et facere debeat de illorum diocesanorum seu prelatorum licentia seu assensu, in quorum diocesi vel iurisdictione ecclesie vel monasteria ipsa consistunt; et tam predicte quam alie persone regulares aut seculares, cuiuscumque ordinis, dignitatis, religionis vel status, quantumcunque liberaliter et absolute concesserint, donaverint vel tradiderint, aut concedant, donent vel tradant, seu concessisse, donasse, tradidisse intenderint vel intendant ecclesias, in quibus ius tantum obtinent patronatus, locis vel personis predictis nichil aliud intelligatur seu presumatur conferre aut etiam contulisse, nec persone aut loca predicta aliud ex collatione huiusmodi recipere vel acquirere, quam ius in eisdem ecclesiis seu monasteriis conferentibus competens patronatus. Statuentes et expressius prohibentes, ne alique persone ecclesiastice aut etiam seculares, quibus de monasteriis vel ecclesiis huiusmodi sunt donationes, concessiones, vel collationes facte vel in posterum fient, aliquid, nisi quantum patronis canonica iura concedunt, exigere vel extorquere aut capere motu proprio, vel accipere de bonis mobilibus vel immobilibus aut se moventibus vel de iuribus monasteriorum aut ecclesiarum ipsarum, nec in eis statuere aliquas prelaturas seu etiam rectorias, nec removere sive supprimere vel etiam revocare statuta, nec de ipsis monasteriis vel ecclesiis, aut temporalibus seu spiritualibus, vel iuribus eorumdem, nisi quantum ad defensionem pertineat ad quam patroni tenentur, disponere aut etiam se intromittere, vel aliquos in ipsis monasteriis aut ecclesiis instituere vel destituere, huiusmodi iuris patronatus pretextu, quocumque invento colore presumant. Decernimus autem irritum et inane, quidquid a prefatis personis circa monasteria et ecclesias et alia omnia et singula supradicta, contra tenorem presentis constitutionis temere contingeret attentari. Per hanc autem declarationem et constitutionem, nullum veris patronis super his que sibi competunt, id est iuris patronatus, preiudicium generetur. Si qui vero, quacumque presumptione contra constitutionem huiusmodi venientes, monasteria vel ecclesias in predictis vel predictorum aliquo molestare seu perturbare presumpserint, aut de ipsis monasteriis vel ecclesiis, seu bonis et iuribus eorum se intromiserint quoquo modo, ingressu ecclesie et perceptione Sacramentorum ecclesiasticorum se noverint interdictos, donec satisfactione premissa, a perturbatione et molestatione et aliis supradictis destiterint, et per diocesanum illarum ecclesiarum seu monasteriorum que huiusmodi occasione leserant, ad ecclesie ingressum et Sacramentorum perceptionem fuerint restituti. Qui autem iis ecclesiastica ministraverint Sacramenta, per sex menses a collatione Sacramentorum noverint se suspensos.

[illegible]

De invasoribus bonorum ecclesiasticorum. Quum multorum assertione didicerimus, pestem quamdam in regno Ungarie et aliis terris nostre legationis contra clerum et ecclesiasticam libertatem invaluisse iam dudum, videlicet quod laici ecclesias, monasteria earumque possessiones et iura, iuris patronatus seu alio quocumque pretextu, non absque damnabili et manifesta sacrilegii nota quasi indifferenter occuparunt hactenus et quotidie occupant et damnabiliter detinent occupata: quarum alique sunt deputate habitationi et usibus laicorum alie vero usibus iumentorum et aliorum animalium, altaribus et aliis, ad cultum divinum ibi statutis pia devotione fidelium et auctoritate Pontificum, destructis et totaliter deformatis: nos contra huiusmodi pestem, quam pati nullo modo possumus nec debemus, omnino intendentes de salubri remedio providere, omnes et singulos ecclesiarum et monasteriorum ac huiusmodi bonorum detentores ex parte Dei omnipotentis et sub obtestatione divini iudicii admonemus, quatenus ecclesias, monasteria earumque possessiones et iura, que taliter occuparunt seu detinent occupata in regno et terris predictis, diocesanis episcopis vel aliis ordinariis, aut aliis ecclesiasticis personis ad quas predicta spectare noscuntur, infra sex menses a die publicationis presentis constitutionis computandos, cum fructibus exinde perceptis reddere et restituere non postponant. Alioquin prefatos detentores, quos excommunicationis sententie decernimus subiacere, ad requisitionem illorum ordinariorum, in quorum diocesi vel iurisdictione, aut ecclesiis vel earum bonis et iuribus predicta sunt commissa vel de cetero committentur, ab omnibus prelatis regni Ungarie quantum ad Ungaros, et ab illis de Polonia quantum ad Polonos, usque ad restitutionem et satisfactionem condignam, excommunicatos publice precipimus nunciari pulsatis campanis et candelis accensis, diebus dominicis et festivis; contra quos, si opus fuerit, invocetur auxilium brachii secularis.

Ecclesiae in arces commutari vetitae. Cum ecclesie et monasteria secundum traditiones evangelicas, apostolicas atque canonicas sint et esse debeant domus orationum, non spelunce latronum vel munimenta predonum, dolenter referimus, quod quidam et non pauci in regno Ungarie et terris nostre legationi subiectis, multa monasteria multasque ecclesiasticas possessiones et iura ad ipsas spectantia occupasse, pleraque ex eis incastellasse dicuntur: et quum in ipsis ecclesiis et monasteriis ad laudem Dei continua debeantur ecclesiastica officia celebrari, et pro animabus tam defunctorum quam vivorum devote preces et orationes deferri, in ipsis tyranni, raptores habitant et predones, rapine spoliaque reconduntur et prede, et quod valde horrendum est, loca ipsa Deo dedicata et sanctificata, frequenter humano sanguine et semine polluuntur. Quum autem ea que sunt iuris divini nullo modo debeant ad humanos usus converti, maxime tam detestabiles et profanos: nos nulla ratione volentes tantam iniquitatem et perversitatem conniventibus oculis pertransire, omnes et singulos cuiuscumque existentie, nobilitatis, status aut conditionis, qui ecclesias, monasteria, aut bona vel iura ipsorum occupare, incastellare vel violenter invadere presumpserunt, aut invasa seu occupata detinent, aut de cetero invadere seu etiam incastellare et occupare propria temeritate presumpserint: nisi infra terminum seu terminos, omnibus communiter et singulis singulariter ab illis prelatis in quorum diocesi et iurisdictione ecclesie, monasteria, bona et iura consistunt prefata, peremptorie statuendos, monasteria, ecclesias, possessiones et iura, illis personis ecclesiasticis ad quos pertinent supradicta, libere et absque difficultate reddiderint et restituerint, et de fructibus, proventibus atque damnis ad mandatum prelatorum ipsorum satisfecerint competenter, caveriutque sub certis penis, quod ulterius in talibus non ex-

[illegible]

[redacted]

cedent: anathematis vinculo decernimus et volumus esse ligatos, a quo absolvi non possint, nisi predicta restituerint et ad mandatum ipsorum prelatorum plene satisfecerint, ut superius est expressum.

Iustitia ex quaestu non administranda. Statuimus, quod nullus iudex, ordinarius vel etiam delegatus, faciat vel etiam se facturum promittat iustitiam alicui per gratiam seu receptam pecuniam vel promissam aut per alias sordes, pretextu alicuius odii, temporalis emolumenti, favoris, seu lucri; et qui contrafecerit, per annum officium iudicandi sibi noverit interdictum; ad eliminationem litis parti quam leserit nichilominus condemnandus, prout in constitutione felicis recordationis domini Innocentii Pape IV De re iudicata, edita in Concilio Lugdunensi, cavetur.

Anathematis rei, priventur legum beneficio. Statuimus, quod iudices ordinarii aut etiam delegati, omnes illos quos per denuntiationem vel alio legitimo modo excommunicatos sciverint esse ab homine vel a iure, ab agendo, patrocinando vel testificando in suo foro vel curiis aut iudiciis, ex officio suo repellant: iudices autem, qui exceptionem excommunicationis, contra agentes, advocantes vel testificantes obiectam non admiserint, sed ea non obstante tales admiserint ad predicta, per mensem unum iudicandi officium sibi noverint interdictum, et processus cum talibus excommunicatis habitus, sit irritus ipso facto; nec per processus huiusmodi iudicum, excipienti excommunicationem, sive ipsam exceptionem habuerint sive non, ex quo per eum composita fuit huiusmodi exceptio et non fuit admissa, aliquod preiudicium generetur.

De exceptione rei iudicatae admittenda. Statuimus, quod iudices seculares exceptionem rei iudicate per ecclesiasticum iudicem, de qua quidem re cognitio ad ipsum ecclesiasticum iudicem de consuetudine vel de iure pertinet, et viam ipsi propositam admittere non omittant. Item e contra ecclesiastici iudices, quum de re iudicata per secularem iudicem, de his que ad eius iurisdictionem spectare noscuntur, exceptum fuerit coram eis, exceptionem huiusmodi prout de iure tenentur admittant. Quod si dicti iudices exceptiones huiusmodi forte admittere recusarent, per ordinarios de quorum iurisdictione fuerint bona de quibus, vel persone contra quas fuerit iudicatum, ad recipiendam et ad admittendam exceptionem huiusmodi per opportuna remedia compellantur: quum quos Dei timor de malo non revocat, pena coercere debeat temporalis.

Defixi anathemate ad officium cogendi. Statuimus, quod universi et singuli nostre legationis, cuiuscumque sint existentie, dignitatis aut status, temporalem iurisdictionem habentes, ad requisitionem prelatorum seu iudicum ecclesiasticorum, contra rebelles et inobedientes eis, vel eorum sententias contemnentes, seu non parentes alias rei iudicate ab eis de his et super his que principaliter vel incidenter, de consuetudine vel de iure, ad forum, iurisdictionem, seu cognitionem ipsorum spectare noscuntur, reverenter brachium sue iurisdictionis impendant; rebelles et inobedientes atque non parentes huiusmodi, ac excommunicatos quosque ab ipsis prelatis seu ecclesiasticis iudicibus seu alias ab homine vel a iure, redire ad Ecclesie unitatem ac satisfacere pro causis pro quibus excommunicationes huiusmodi incurrerunt, per occupationem bonorum que sub sua iurisdictione sunt et alia opportuna remedia compellendo; ad quod prefati iudices per censuram ecclesiasticam compellantur. Ipsi vero prelati et ecclesiastici iudices versa vice laicorum iudicium sua iurisdictione, in his et super his que canonicis non obvient institutis, adiuvent, et contra inobedientes et rebelles illorum, ac ipsorum secularium iudicum iustis senten-

[illegible]

[redacted]

tiis non parentes, gladium sue potestatis et auctoritatis, ecclesiasticam scilicet censuram impendant, quum ab ipsis secularibus iudicibus super hoc fuerint requisiti.

De appellationibus. Statuimus, quod omnes cause ad forum ecclesiasticum pertinentes, coram ordinariis vel ecclesiasticis iudicibus iuxta sacras et legitimas sanctiones agitari, tractari vel ventilari debeant, et per eos libere et absque impedimento ullo vel obstaculo terminari: et si aliquando super huiusmodi causis ad apostolicam Sedem ac alios superiores, ad quos appellare iura permittunt, appellari contigerit, tam appellantes quam appellati, ad prefatam Sedem seu ad superiores predictos accedere super appellationum prosecutionibus libere et absque inhibitione aliqua permittantur. Si vero rex seu regina vel quicumque alii de regno predicto, postquam coram ipsis de hoc protestatum fuerit vel exceptum, contra constitutionem huiusmodi venerint de causis huiusmodi cognoscendo, vel appellantes ad Sedem apostolicam seu superiores prefatorum a prosecutione appellationum ipsarum quomodolibet prohibendo, seu alias contra constitutionem huiusmodi excedendo, ab huiusmodi prohibitione, impedimento seu cognitione omnino non destiterint, regi seu regine prefatis in predictis excedentibus tam diu ecclesie sit interdictus ingressus, quousque omnem processum per eos habitum in causis predictis, quem cassum et irritum nunciamus, omnesque prohibitiones et gravamina revocaverint cum effectu. Alii vero duces, barones et alii inferiores iudices contra constitutionem excedentes presentem, nisi infra triduum, postquam coram eis ut supra denunciatum, protestatum fuerit vel exceptum, prohibitiones, impedimenta, gravamina ac processus super huiusmodi causis revocaverint cum effectu ac procedendo in causis huiusmodi destiterint, ipso facto excommunicationis sententie se noverint subiacere, a qua, congrua satisfactione premissa, ab episcopis, in quorum diocesi persona vel res super quibus vel contra quos processerint sit constituta, iuxta formam Ecclesie possint absolvi.

De immunitate ecclesiastica. Quum regum, principum, baronum et aliorum catholicorum fidelium proprium et peculiare ab antiquo fuisse noscatur, ecclesias, monasteria locaque sacra Deo edificare, destructas vero sive concisas, aut in se sive in ministris, vel in facultatibus, iuribus, privilegiis vel immunitatibus suis diminuta sive oppressa relevare, reficere, defendere ac etiam restaurare, prout per facti evidentiam, videlicet per edificationem, refectionem et reparationem ecclesiarum et monasteriorum, multis et latis possessionibus, edificiis, iuribus, privilegiis, prerogativis et immunitatibus dotatorum, antiquitas ipsa omni digna veneratione et imitatione testatur: multum profecto ab antiquorum et maiorum suorum videntur vestigiis deviare, qui ecclesias ipsas vel earum bona seu iura destruunt, scindunt, occupant vel invadunt, seu earum privilegia et immunitates imminuunt et infringunt, aut qui talibus tacite vel expresse consentiunt, seu qui talia et his similia contra Deum eiusque Ecclesiam atque ministros impie committentes per assumpte potestatis vel iurisdictionis officium non compescunt, et ab ipsis desistere per remedia opportuna non cogunt. Declaramus igitur atque decernimus, ecclesias et ecclesiasticas personas ab omnibus angariis et perangariis, exactionibus et collectis et aliis superinductionibus, oneribus et muneribus sordidis laicorum, necnon a prestationibus tributorum, pedagiorum seu vectigalium, pro ecclesiasticis personis evectionibus et rebus ipsorum, qui non causa mercimonii sive negotiationis, sed pro suis et ecclesiarum suarum necessitatibus per terram sive per aquam ducunt seu transeunt, omnino immunes et exemptos esse iuxta canonicas et legitimas sanctiones, nec per aliquos, cuiuscumque altitudinis, iurisdictionis seu etiam potestatis, ad talium prestationem posse vel debere compelli.

De prohibitis extorsionibus ab ecclesiis. Et quia in regno Ungarie et aliis terris nostre legationis, ecclesie et ecclesiastice persone a multis et in multis et variis super predictis et aliis similibus indebite et contra iustitiam aggravantur, in periculum animarum illorum qui talia agunt et ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum non modicum detrimentum et derogationem ecclesiastice libertatis: nos autem animarum saluti et ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum immunitati super hoc providere volentes districtius prohibemus, ne de cetero ecclesiis et ecclesiasticis personis talia imponantur aut exigantur seu extorqueantur ab eis, vel ipse ecclesie aut persone super talibus prestationibus quomodolibet molestentur; quod si contra prohibitionem huiusmodi quisquam ab ecclesiis vel personis predictis aliquid occasione predicta extorquere presumpserit vel auferre, seu super predictis vel eorum aliquo ecclesias vel personas aggravare predictas, nisi infra triduum omnia restituerit que ab huiusmodi personis occasione predicta extorsit, ingressum ecclesie et perceptionem Sacramentorum sibi noverit interdictos; quod interdictum, satisfactione premissa, per diocesanum valeat revocari.

De vestium cultu conformi in sodalitiis religiosis. Et quia inhonestum extitit, quod canonici regulares vel monachi diversis vestibus vestiantur, quum ex hoc proveniat invidia, murmur et scandalum inter ipsos, statuimus, quod omnes in eodem monasterio vel regula canonica et sub eadem professione morantes, indifferenter uno et eodem vestiario induantur: prohibentes expresse, ne quis eorum vestes aliquas alicuius coloris, nisi tantummodo albi vel nigri seu grisei, habere presumat; in quibus brunetam nigram, garzatum et alium quemcumque pannum notabiliter delicatum interdicimus universis. Vestes non habeant brevitate vel longitudine deformatas. Qui vero in predictis excesserint, per suos diocesanos vel superiores alios castigentur, salva distinctione ac discretione diversorum Ordinum, servata inter monachos sive canonicos et conversos.

Ut monachi sine cappis claustrum non exeant. Quia, sicut audivimus, quidam monachi et canonici regulares sicut laici et clerici seculares consueverunt incedere in animarum suarum periculum et scandalum plurimorum, precipimus, ut canonici regulares sine superpelliceis vel tunicis lineis, seu cappis clausis, monachi vero sine cappis, aut cucullis seu scapularibus, extra domos suas de cetero non incedant, nec etiam intra domum. Si vero contra facere presumpserint, administrationem habens, eam ipso facto amittat, et monachus sive canonicus regularis per abbatem, priorem vel prepositum puniatur, et si is negligens fuerit, per episcopum suppleatur.

Praescriptus ciborum modus. Statuimus, ut a die Quatuor Coronatorum usque ad diem Natalis Domini, a sanguine et carnibus omnes monachi cuiuscumque Ordinis, preterquam infirmi, debiles et delicati, cum quibus abbates discretione previa poterunt dispensare, abstineant, omnibus diebus exceptis dominicis ieiunantes. Poterit tamen abbas ex causa cum aliquibus, ut aliquando bis comedant, dispensare; nec comedant ter in die, nisi pueri, infirmi, vel qui in refectorio leget; nec comedant extra domos suas in parochiis suis, nisi quando procuratio ab aliquibus debetur eisdem. A Septuagesima usque ad Pascha, quantum ad esum carnium et esum sanguinis, idem precipimus firmiter observari. Canonicos autem regulares, suam regulam regulariter precipimus observare. Precipimus etiam, quod nullus canonicus regularis diebus Lune et Mercurii carnes in refectorio comedat, nisi festum Novem fuerit Lectionum. Silentium autem in claustro, refectorio et dormitorio firmiter precipimus observari horis debitis et statutis, in loco ubi ad minus tres monachi aut regulares

[illegible]

[redacted]

nonici commorantur; ita scilicet, quod aliquis loqui non audeat nisi voce adeo bmissa, quod tertius ab ipso audire non possit.

Non exeundum extra septa monasterii. Quoniam, sicut audivimus, quidam monachi et canonici regulares aliquorum monasteriorum consueverunt extra septa sui onasterii, tam patenter quam latenter, tam turpiter quam damnabiliter per terram pius evagari, statuimus, ut nullus, excepto capellano et illis quibus ex necessitate dministratio competit, septa monasterii sui exire audeat, nisi prius ab abbate vel riore seu preposito, et si abbas vel prior seu prepositus presentes non fuerint, ab eorum icariis vel aliis potestatem habentibus, eis specialiter licentia sit concessa: quibus abbas seu prior vel prepositus vel eorum vicarii, sine causa necessaria vel rationabili exeundi licentiam non concedant. Nec etiam obtenta licentia, sine socio quis pedes exire presumat. Si vero abbates, priores, prepositi vel alii regulares prelati seu eorum vicarii in aliquo premissorum negligentes inventi fuerint vel remissi, suspensionis vel maioris vindicte sententia a diocesanis suis se noverint puniendos.

Ut monachi non celebrent donec redeant in monasteria propria. Prohibemus, ne monachi vel canonici regulares ecclesias ad firmam recipiant vel conducant, aut sine licentia diocesanorum episcoporum vel aliorum ordinariorum, parochialium ecclesiarum capellani existant; sed ad sua monasteria redeant, donec redierint non celebraturi.

Ut monachi in parochiis non resideant. Nullus regularis cuiuscumque Ordinis, continue deservire audeat in parochialibus ecclesiis secularium ultra octo dies, sine illius parochialis ecclesie ordinarii licentia speciali; qui vero tales scienter ultra octo dies loco capellanorum ad celebrandum vel ad ecclesiastica Sacramenta ministrandum tenuerint vel sustinuerint, sint ipso facto ab ordinum executione suspensi; que suspensio per diocesanos, imposita eis sub huiusmodi excessu seu transgressione penitentia competenti, ac iniuncto sibi, quod in talibus ulterius non excedant, valeat relaxari.

De studio monachorum. Excommunicentur monitione premissa omnes monachi et religiosi, qui relictis claustris suis, absque prelatorum suorum licentia ad scholas ire, vel aliud quam grammaticam, theologiam aut logicam in scholis audire presumunt.

Venatio religiosis viris vetita. Si quis religiosus inventus fuerit cum canibus et avibus venatoriis, cuicumque aucupanti conceduntur a nobis.

Consortium anathemate percussorum fugiendum. Quia, sicut audivimus et in parte vidimus, in regno Ungarie et aliis terris nostre legationis ecclesiastice persone tam seculares quam regulares, et plerumque, quod gravius est, prelati, excommunicationum, suspensionum et interdictorum sententias, in singulares personas, collegia, universitates, ac terras, villas vel loca a suis iudicibus vel a iure sive a canone promulgatas, usque ad hec tempora in grave animarum periculum et illorum ad quorum instantiam vel pro quibus huiusmodi sententie late fuerint non modicum, immo plerumque maximum detrimentum, nec non in gravissimum auctoritatis et potestatis ecclesiastice censure contemptum et derogationem ecclesiastice libertatis, prout tenentur et debent, hactenus minime servaverunt nec fecerunt ab aliis observari, iuxta mandatum apostoli et statuta canonica excommunicatos huiusmodi non vitando: sed in salutatione, osculo, mensa, divinis officiis ac aliis ab apostolo et sacris canonibus prohibitis damnabiliter communicantes cum eisdem laicis idiotis atque simplicibus, quos ad huiusmodi sententias observandas persuasionibus, monitis et exemplis inducere et per censuram ecclesiasticam gravius compellere debuissent, suis pravis et perniciosis exemplis viam, immo inviam et laqueos dannabiles et contemptum libertatis et censure ecclesiastice paraverunt; quia, ut scriptum est: Quod fit a prelatis, tra-

56*

[illegible]

[redacted]

hitur a subditis facile in exemplum: sicque peccatis exigentibus, ex talium abusu negligentia et contemptus ac plurimorum malitia evenit: accidit, quod pauci inveniuntur in regno et terris predictis qui ecclesiasticam censuram revereantur et timeant, quum videant defensores ipsius censure, prelatos et alias inferioris gradus ecclesiasticas personas, pastores, patres et medicos animarum suarum, huiusmodi sententias, per ipsos potius divina quam humana auctoritate prolatas, quarum ad ipsas specialiter spectat tuitio, notabiliter et damnabiliter non servare; quia, ut sapiens ait: Nec sic inflectere animos dicta possunt, ut vita regentis: propter que censura et libertate huiusmodi vilipensis, iam indifferenter et impune in regno et terris predictis captivantur, verberantur, mutilantur ac etiam occiduntur clerici, et, quod severius est, prelati bonis ac iuribus suis tam mundanis quam ecclesiasticis spoliantur, ecclesie, monasteria et bona ac iura ipsorum ab ipsis laicis occupantur, invaduntur et damnabiliter detinentur, profanantur horribiliter, aliaque ruinis et incendiis destruuntur, earumque ac cemeteriorum immunitas infringitur ac etiam violatur, ac libertate ecclesiastica quasi totaliter conculcata, in omnibus fere dissolvitur quotidie nervus ecclesiastice discipline; nos autem, omnibus prelatis tam regularibus quam secularibus et universis clericis in sancta Synodo congregatis cum instantia petentibus contra mala et pericula supradicta per nostram constitutionem de opportunis remediis provideri, presenti constitutione precipimus: Quod omnes et singuli prelati et clerici universi, etiam exempti, cuiuscumque dignitatis, ordinis vel religionis existant, excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, ab eiusdem regni prelatis nostre legationis et aliis ordinariam vel delegatam iurisdictionem habentibus, vel a iure seu a canone in quascumque personas vel loca prolatas, postquam eis per denunciationem illorum prelatorum vel iudicum vel alio quocumque modo de talibus sententiis constiterit, inviolabiliter observent, ipsasque ad requisitionem dictorum prelatorum et iudicum denuncient, et a sibi subditis denunciari faciant et inviolabiliter observari: se suosque subditos subtrahendo, aliosque a communione talium excommunicatorum in salutatione, osculo, cibo et potu ac divinis officiis, nec non a celebratione divinorum in interdictis locis vel ecclesiis, quantum in eis fuerit revocando et expressius prohibendo. Si qui vero proprie salutis immemores, et huiusmodi sancte constitutionis nec non libertatis ac censure ecclesiastice contemptores, tales excommunicatos denunciare, ac in predictis et aliis in quibus excommunicati sunt de iure vitandi, vitare et a sibi subditis denunciari ac vitari facere, diabolica fraude contempserint, vel in ecclesiis sive in locis interdictis celebrare divina quacumque temeritate presumpserint: si singulares sive private persone fuerint, excommunicationis, si collegium vel universitas ecclesiastica, secularis aut regularis fuerit, eorum ecclesie sive monasteria ipso facto ecclesiastico subiaceant interdicto; a quibus sententiis, post congruam satisfactionem exhibitam illis prelatis sive iudicibus qui huiusmodi sententias protulerint, et illis pro quibus sive in quorum favorem prefate fuerint sententie late, ab ipsis prelatis et iudicibus qui sententias protulere predictas, vel ab aliis superioribus ad quos talium absolutio et relaxatio spectet de iure, iuxta formam Ecclesie absolutionis et relaxationis interdicti beneficium valeant obtinere. Quod autem de denunciandis excommunicatis supra diximus, intelligimus de Polonis, quantum ad Polonos, et de Ungaris et incolis terre regi Ungarie subiecte, quantum ad Ungaros et ipsos incolas.

Publici grassatores anathemate damnati. Nonnullos execrabiles peccatores, qui solent iustis hominum laboribus ex quibus fragilitas humana reficitur, nonnumquam



etiam sanctis viris in agone huius seculi certantibus, opportunis, perversitate quadam diabolica invidere, videlicet vinearum et agrorum dissipatores, depopulatores seu destructores nocturnos et diurnos, publicos et occultos, excommunicationis sententia innodamus; a qua, postquam satisfecerint damnum passis, et de publicis idoneam prestiterint cautionem, quod similia de cetero non committent, valeant a suis diocesanis episcopis iuxta formam Ecclesie consuetam absolutionis beneficium obtinere.

Colenda ecclesiarum iura et privilegia. Quum universalem Ecclesiam quam sibi Redemptor noster suo sanguine copulavit, cui Romana ecclesia adeo specialis et singularis preeminentia privilegii est prelata, quod mater sit omnium et magistra, ipsiusque prelati, sacerdotes, clerici, sint patres, pastores et iudices animarum religionis Christicole super reges et reginas divinitus exaltati, dictosque prelatos sacros et ministros, quibus potestas ligandi atque solvendi animas a Domino est concessa, reges ipsi et principes ac fideles populi Christiani honorare atque revereri pro animarum teneantur salute: multum profecto presumere ac enormiter excedere sunt censendi, ii maxime qui gloriantur nomine Christiano, quum ecclesias et personas ecclesiasticas, quibus de bonis sibi a Deo datis erogare easque suis favorabilibus privilegiis et immunitatibus premunire, atque ab iniuriis, damnis seu violentiis sue potestatis brachio defensare tenentur, per statuta, edicta, coniurationes, confederationes, conspirationes, colligationes, machinationes tacitas vel expressas, vel alia varia diversorum gravaminum genera perturbant, inquietant, opprimunt vel molestant, seu ecclesias ipsas aut bona ipsarum vel ecclesiasticarum personarum vel iura ipsarum occupando, invadendo vel de facto indebite auferendo, aut in ipsas ecclesias et ecclesiasticas personas seu bona ipsarum, que subesse non debent legibus et iudicibus laicorum, iura vel magis iniurias statuendo vel iudicando de ipsis, atque queque alia in preiudicium et gravamen ecclesiarum et personarum ipsarum quelibet presumendo. Nos volentes animarum saluti laicorum ipsorum necnon ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum privilegiis et immunitatibus contra huiusmodi gravamina et mala salubribus remediis providere, statuta edita, coniurationes, conspirationes, confederationes, obligationes, machinationes tacitas vel expressas et alia quecumque diversorum gravaminum genera his similia, nec non iuramenta, obligationes seu promissiones super executione seu observatione ipsarum, a quolibet inita sive prestita et aliis quibuscumque penis vallata, cassamus et irritamus, et cassa et irrita nunciamus, decernentes illos ad executionem seu ad observationem talium non teneri. Et ne talium detestanda perversitas transeat impunita, omnes et singulos qui in predictis sive predictorum aliquo hactenus excesserunt concedendo et statuendo vel ordinando predicta, nisi infra duos menses postquam eis denunciatum fuerit per prelatos vel alios quoscumque, statuta edita nec non universa gravamina supradicta revocaverint, deleverint atque cassaverint, vel de cetero talia edere, statuere vel ordinare presumpserint, aut statuentibus seu ordinantibus consilium, auxilium et favorem impendere, aut talia observare vel observari facere presumpserint, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto, ipsorum et filiorum filios ad obtinendum aliquod beneficium ecclesiasticum in regno et aliis terris nostre legationi subiectis, nisi forte in domibus regalibus, donec dicti excedentes omnia predicta in quibus excesserint revocaverint, et ecclesiis et personis ecclesiasticis ad mandatum Ecclesie de omnibus damnis et offensis quas ecclesie et ecclesiastice persone occasione incurrissent predicta satisfecerint, inhabiles decernendo; et qui talium filiis vel nepotibus ante satisfactionem condignam beneficium ecclesiasticum scienter conferre presumpserint, seu eorum aliquos ad aliqua beneficia

[illegible]

[redacted]

ecclesiastica elegerint, illorum collatio et electio sit irrita ipso iure; ipsique conferentes et eligentes per sex menses a collatione beneficiorum et iure eligendi ipso facto sint suspensi. Et in predictis aut predictorum aliquo excedentes, post satisfactionem condignam a suis diocesanis iuxta formam Ecclesie permittimus posse absolvi.

De sepultura. Excommunicamus universos et singulos cuiuscumque conditionis, ordinis seu religionis existentes, qui aliquos, in sanitate aut in infirmitate, quocumque modo, ingenio sive fraude, per se vel per alios illicere seu seducere presumpserint, ut eligant sibi sepulturam alibi quam apud ecclesiam suam parochialem, vel apud ecclesiam apud quam predecessores sui sepeliri consueverunt a multis temporibus retroactis. Eadem excommunicationis sententia censemus involvi omnes, qui liberas voluntates eligentium in sanitate alibi sepulturam quam in parochialibus ecclesiis propriis aut in patrum suorum sepulturis, et maxime religionis et devotionis maiorum, quacumque fraude vel ingenio presumpserint impedire, aut etiam prohibere, quominus tales in locis huiusmodi de canonum permissione electis, libere ac sine impedimento debeant sepeliri, si eis aliud canonicum impedimentum non obstat; salva semper canonica parochiarum unde corpora assumuntur iustitia, et episcopali debita portione. Permittimus autem, quod a diocesanis episcopis, de quarum iurisdictione fuerint, seductores vel alii violatores constitutionis presentis satisfactione premissa possint absolvi.

De confessione clericorum et sortilegiis et incendiariis et simoniacis, et etiam furtive ordines recipientibus. Sciendum est, quod excommunicati sunt ipso facto qui in clericos vel quoscumque religiosos manus iniciunt temere violentas, qui literas domini Pape falsificant vel ad hoc preparant, vel eis scienter utuntur falsis: et tales a domino Papa vel eius mandato sunt absolvendi. Excommunicamus sortilegia vel maleficia de Sacramentis ecclesie facientes, et qui malitiose procreaverint abortivum, et qui ad coniungendum vel ad distringendum matrimonium scienter deponunt testimonium falsitatis. Has autem sententias in suis ecclesiis frequenter nuncient sacerdotes. Excommunicamus etiam incendiarios et ecclesiarum effractores et voluntarios violatores, voluntaria homicidia sine iudicio et iustitia perpetrantes, simoniacos, furtive et per saltum ordines recipientes falsarios. Et huiusmodi excommunicatos, diocesanis episcopis iuxta formam Ecclesie, satisfactione premissa ac eis imposita previa competenti, permittimus posse absolvi.

Ut nullus debeat absolvere excommunicatum. Statuendum duximus, quod nullus excommunicatum a domino Papa vel a quocumque ordinariam aut delegatam iurisdictionem habente absolvere debeat, nisi forte in mortis articulo constitutum, quia tunc excommunicatus huiusmodi a simplici sacerdote et iuxta formam Ecclesie potest absolvi. Forma autem Ecclesie hec est: quod excommunicatus pro contumacia, prestito iuramento quod Ecclesie et illius qui eum excommunicavit parebit mandatis, et quod expensas taxandas restituet, potest in tali casu absolvi. Si vero pro offensa vel re iudicata excommunicatus fuerit, tunc prestito iuramento ut supra, ante omnia debet rei iudicate parere, et iudicis seu boni viri arbitrio satisfacere de offensa. Quod, si ille vel illi, pro quo vel pro quibus huiusmodi sententia lata fuerit aut cui seu quibus de offensa satisfactio est exhibenda, forsitan absque infirmi periculo inveniri vel haberi non possint, nichilominus sacerdotis et bonorum virorum arbitrio pareat sicut potest, et ipsorum arbitrio pecuniam pro satisfactione, illius nomine quem offendit, in ede sacra vel penes honestos viros deponat. Quod si parere vel satisfacere forte non possit, pignora predicto modo pro satisfactione deponat. Quod

[illegible]

[illegible]

[redacted]

si forte hoc non possit facere, fideiussores idoneos ponat. Et si forte horum nichil facere possit, precipiat sibi absolvens sub debito iuramento, quod infra mensem postquam restitutus fuerit sanitati, presentiam sui excommunicatoris adibit, et pro causis pro quibus excommunicatus fuerat sive extitit, Ecclesie et iudicis reverenter parebit mandatis. Si vero aliquis quem ex causis predictis excommunicatum, non servata in suis casibus forma prefata, absolvere presumpserit, ad damna et interesse excommunicatori et adversario vel eius heredibus teneatur, et alias nichilominus per diocesanum vel alium prelatum seu superiorem suum acriter arguendus.

De violatoribus ecclesiarum et cemeteriorum. Excommunicamus omnes sacrilegos et effractores immunitatis ecclesiastice ipsarumque ecclesiarum et cemeteriorum violatores, necnon predas vel rapinas sive violentias in ipsis seu infra septa ipsarum committentes, statuentes: ut tales semel saltem in mense generaliter per singulos prelatos nostre legationis in diebus dominicis sive solemnitatibus, pulsatis campanis et candelis extinctis, publice nuncientur et ab omnibus evitentur, donec ad mandatum prelatorum in quorum diocesibus predicta fuerint perpetrata sive commissa, ecclesiis et aliis quos huiusmodi occasione leserunt, de damnis et iniuriis satisfecerint competenter.

De testamentis. Quum ad episcoporum spectat officium ut extreme legitime voluntates fidelium effectum mancipentur, precipimus et mandamus, ut tam clerici quam laici, quum sua voluerint condere testamenta vel ultimas voluntates, primum advocent parochie sacerdotem, et coram ipso et aliis idoneis testibus sua legitime ordinent testamenta vel ultimas voluntates.

De ultimis voluntatibus sacerdotum. Precipimus sacerdotibus, quod sacerdotes ad suas ultimas voluntates unum vel duos advocent sacerdotes vel vicarios eorundem, si possint commodè. Quod si non fecerint, diocesanorum arbitrio graviter puniantur.

De eleemosynis et ultimis voluntatibus ad curiam Romanam spectantibus. Cum Terra Sancta, Redemptoris nostri Iesu Christi proprio sanguine consecrata, impugnetur et occupetur assidue a blasphemis Christiani nominis et fidei catholice inimicis, eique subsidium Christianorum sit quam plurimum opportunum, proinde duximus statuendum: quod prelati tam seculares quam regulares, rectores ecclesiarum parochialium, necnon presbyteri universi qui confessiones fidelium audiunt, penitentias iniungunt et predicant Verbum Dei, commoneant populum et inducant, ut de bonis a Deo sibi collatis, inter vivos et ultima voluntate aliqua donent, offerant, legent vel relinquant in subsidium dicte Terre, et ea que devote conferre, legare vel relinquere disposuerint, deferant vel mittant de conniventia plebanorum, presbyterorum, rectorum parochialium suorum, post suam dispositionem infra mensem, singuli ad ecclesias cathedrales in quarum diocesi morantur, ibique sub testimonio episcopi vel Capituli et aliorum religiosorum vel aliorum honestorum virorum, nomine Romane ecclesie in camera cathedralis ecclesie deponant, ad opus dicte Terre per episcopum vel Capitulum vice et nomine Romane Ecclesie fideliter conservanda. Quibus per aspersionem sanguinis Iesu Christi et sub obtestatione divini officii auctoritate qua fungimur hec premisso modo recipi precipimus et servari, ita quod iidem episcopi et Capitula teneantur, quid et quantum in predictorum camera depositum fuerit, summo pontifici nunciare semel saltem in anno sine dolo et fraude, et certis temporibus per fideles et securos nuncios ad Romanam ecclesiam teneantur mittere predicta huiusmodi excusatione postposita, domino Pape vel eius camerario, aut cui mandaverit assignanda; de hoc saltem ab ipso camerario testimoniales literas recepturi. Super huiusmodi

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

autem donationibus et concessionibus, legatis vel relictis, archiepiscopi in suis Synodis clerum ibi in nomine Dei congregatum instruent et informent, quod ad tam piam causam singuli in sua parochia fidelium excitent voluntates; et quod a plebanis, presbyteris, rectoribus parochialium ecclesiarum inquisitionem faciant diligentem, ut in lucem veniat et sciatur, a quo vel quibus, que et quanta in singulis parochiis ex donatione fidelium ad Terre Sancte subsidium obvenerunt. Quod si forte executores ultimarum voluntatum, aut heredes vel fideicommissarii eorum qui huiusmodi donationes, concessiones, legata sive relicta seu fideicommissa fecissent, iussa testamentorum in his non curarent vel protraherent adimplere, archiepiscopi vel episcopi diocesani, ad quorum officium pertinet pias voluntates exequi defunctorum, ad exequendum et implendum predicta per censuram ecclesiasticam compellant eosdem. Quisquis autem ex huiusmodi obventionibus aliquid rapuerit vel abstulerit, nisi plene restituerit a die perpetrati sceleris infra tres menses, vel qui in eis fraudem fecerit, nisi infra spatium predicti temporis emendaverit ad plenum, se noverit ipso facto excommunicationis sententia innodatum; a qua nonnisi premissa restitutione plenaria et tantundem de suo ad utilitatem Terre Sancte insuper erogato, ac prestita sufficienti cautione, quod ulterius non excedat, per diocesanos episcopos secundum formam Ecclesie absolvatur.

De septem Sacramentis. In fide Trinitatis, Incarnationis et septem Sacramentorum, et in septem Bonis operibus que septem Capitalibus vitiis opponuntur, populum tam maiorem quam minorem sacerdotes studeant instruere diligenter. De Trinitate autem ad minus docere tenentur expresse: quod Pater et Filius et Spiritus sanctus, tres sunt Persone unusque Deus et una Persona non est alia. Et quum fides non subiaceat rationi, non est querendum nec per laicos disputandum de his que ad fidem pertinent, quomodo vel quare: sed simpliciter credere debemus, et in futuro plene intelligemus.

De Incarnatione. Circa fidem Incarnationis docere debent: Filium Dei pro redemptione generis humani carnem assumpsisse in beata Virgine, de carne eiusdem Virginis non humana sed Spiritu obumbrante, et qui prius Deus erat, tum eundem de Virgine natum esse, Virgine manente integra, et in conceptione et in nativitate. Unde propheta: Descendit sicut pluvia in vellus; pluvia enim in vellus descendens, vel extracta a vellere, illud non corrumpit sed mundius facit.

De passione. Docere debent: Eundem consputum, alapis cesum et multipliciter irrisum, in cruce mortem vilissimam sustinuisse, et eundem in anima descendisse ad inferos ut animas sanctorum ibi detentas educeret, corpore quidem in sepulcro iacuisse; et Eundem in eadem carne glorificata, tertia die a mortuis resurrexisse; per quem et nos omnes in carne quam gerimus resurgemus; sed non omnes imitabuntur eum: boni in carne glorificata, mali vero in carne corrupta. Unde apostolus: Omnes quidem resurgemus.

De Ascensione et Spiritus sancti missione. Et docere debent: Eundem quadragesima die ad celos ascendisse, et in quinquagesima die Spiritum sanctum sicut promiserat misisse: Eundem venturum ad iudicium et redditurum unicuique secundum opera sua: bonis vitam eternam, malis ignem eternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.

Ut non quaeratur ratio de articulis fidei. Dicatur sepe laicis, ut non querant rationem de articulis fidei nisi de Sacramentis; quia tanta est sublimitas fidei, quod ea que subsunt fidei, non possunt intellectu comprehendi. Unde et fides non habet meritum, cui humana ratio prebet exemplum.

[illegible]

et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati. Caveat autem omnino, ne verbo aut signo aut aliquo quovis modo prodat aliquatenus peccatorem. Si autem prudentiori consilio indigerit, id absque ulla expressione persone caute requirat. Quando qui peccatum penitentiarii iudicio sibi detectum presumpserit revelare, non solum sacerdotali officio decernimus deponendum, verum etiam ad agendam penitentiam in arctum monasterium detrudendum.

De prudentia confessorum. Consulimus et monemus, ne sacerdotes passim et indistincte missas confitentibus iniungant; sed cupiditatis notam fugientes in hac parte, fructus qui ex tali iniunctione solet sacerdoti provenire, precipiant pauperibus erogare. Ad audiendam confessionem, eminentem sibi locum eligant sacerdotes, ut possint communiter videri, et non in locis obscuris, abditis vel absconditis. In qua quidem confessione habeant sacerdotes vultum humilem et oculos in terram fixos, ne indiscrete et frequentius faciem inspiciant confitentis et maxime mulieris; sed patienter audiant quid dixerit in spiritu lenitatis, et ei pro posse suo et multiplicibus modis suadeat, ut confiteatur integre. Unde, si aliter audiatur confessio, non valebit. In confessione caveant sibi sacerdotes, ne inquirant nomina personarum cum quibus peccaverint penitentes, sed circumstantias tantum que possunt aggravare peccatum. Quum experientia didicimus certa, pro fornicatione vel etiam peccatis maximis fere nullam vel minimam penitentiam penitentibus iniungi a sacerdotibus ignorantibus seu negligentibus canonica instituta, precipimus etiam: quod sacerdotes studeant inquirere diligenter et peccata usitata et circumstantias usitatas peccatorum, maxime gule, luxurie et cupiditatis, quibus genus humanum frequentius corrumpitur et defedatur.

De confessione homicidarum et aliorum hominum. Precipimus, quod sacerdotes, maiora in confessione maioribus reservantes, mittant ad episcopum penitentes homicidas facto, opere, consilio vel auxilio, blasphemos omnipotentis Dei et beate Marie et Sanctorum, iniectores manuum in parentes sive in clericos vel quoscumque religiosos, incendiarios, simoniacos, literarum falsarios, incestuosos, detestabile peccatum contra naturam committentes, cum brutis vel monialibus rem habentes, ecclesiarum et cemeteriorum effractores et violatores, schismaticos et sortilegos, divinatores et homines qui ad illos accedunt, qui de Sacramentis aliqua maleficia commiserunt vel auxilium prestiterunt, qui bis se permisit baptizari et qui interfuerunt scienter, qui sine prima tonsura aliquem ordinem susceperunt, qui contra iustitiam vel conscientiam, aut consilium sive auxilium in aliquo impendunt unde mors hominis vel membrorum mutilatio est secuta, vel qui in his scienter occasionem sive causam dederunt, qui literas dictat, scribit vel legit vel aliquod adminiculum ad hoc prestitit ut aliquis mutiletur; item clericos, qui suspensi vel excommunicati sunt promoti aut celebraverunt divina; item sacerdotes seu ministros, quorum negligentia circa Sacramentum altaris aliquid inhonestum quocumque modo evenit. Quibus omnibus, preterquam illis qui pro violenta manuum iniectione in personas ecclesiasticas in canonem late sententie inciderint, quos episcopi absolvere non possunt, per proprios episcopos de absolutionis beneficio provideri permittimus. Episcopi autem dicere debent omnibus excommunicatis ex quibuscumque causis, quod nullo modo absque mortali peccato et irregularitatis vitio possunt vel debent se iniungere divinis; et hoc publice eis dicant si publicum est peccatum eorum, et si occultum, occulte. Debent etiam dicere irregularibus quorum dispensatio ad solum summum pontificem spectat, quod nec in susceptis ministrare ordinibus, nec ad maiores seu ad beneficia curam animarum habentia promoveri possunt absque dispensatione Pape. Caveant autem episcopi, quod

[illegible]

nullum ab excommunicatione pro violenta manuum iniectione in personas ecclesiasticas, nec ab aliis excommunicationibus a canone sive ab aliis iudicibus latis absolvere, vel in irregularitatibus, nisi de mandato vel auctoritate apostolice Sedis, vel in casibus a iure permissis, dispensare presumant.

Ut medicina spiritualis praecedat corporalem. Statutum est in Concilio et districte iniunctum medicis corporum, ut quum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant et inducant, quod medicos advocent animarum; ut postquam infirmis fuerit de spirituali salute provisum, ad corporalis medicine remedium salubrius procedatur. Ceterum autem, quum anima sit multo potior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid egroto suadeat, quod in anime periculum convertatur.

De confessione in articulo mortis. Ab infirmis in articulo mortis positis seu constitutis, pura requirenda confessio, non penitentia iniungenda. Sed innotescat eis tantum est intimandum, ut conterantur et doleant pro peccatis suis universis et singulis non timore pene quam peccando meruerunt, sed quia Deum Patrem et Creatorem ac Redemptorem suum offendere presumpserunt, acerbitates egritudinum, quasi flagella patris, quam diu ei placuerit cum gaudio sustinentes. Quum autem convaluerint, statim ad sacerdotem accedere debent, et tunc eis penitentia iniungatur competens.

De Sacramento altaris. De Sacramento altaris dicendum est: quod ex virtute verborum que dixit Deus in Cena super panem et vinum et ordinis sacerdotalis, sive bonus sit sacerdos sive malus, post prolationem verborum ipsorum cum intentione conficiendi, ubi erat prius purus panis, est verum Corpus Christi animatum, de Virgine natum, in cruce passum, ad Dei Patris dexteram collocatum, non passibile quale fuit in via, sed glorificatum quale est in Patria; et ubi erat purum vinum, est verus Sanguis Christi qui de latere eius profluxit, et sub utraque forma est totus Christus, scilicet Deus et homo: quia nec corpus sine sanguine, nec sanguis sine corpore. Et est Sacramentum cibus et refectio anime viventis per gratiam, ac damnatio anime mortue in peccato: quia qui indigne sumit, iudicium sibi manducat et bibit.

De Hostia. Sacerdos ministrans diligenter attendat, quod Hostia sit integra ac integrum habeat circulum, et quod vinum non sit acetosum, et quod aquam non obmittat. Si autem aquam obmisit, quando animadvertit, apponit: tamen cum si fieri potest sine scandalo. Si vero per negligentiam evenerit, quod perlecto canone et peracta consecratione nec aqua nec vinum reperiatur in calice, debet statim infundi utrumque, et Hostia sit consecrata seorsim et reverenter consecretur; Hostia autem nova, sicut solet fieri ante calicem opponatur, et reincipiatur in canone misse: Te igitur. Post communionem vero prior hostia sumatur, tum secunda, ab ipso sacerdote. Et caveant sacerdotes, ne panis et vinum remaneant super altare infra missam, preter illa que ab ipso sunt consecranda.

Ut sacerdotes abstineant a spuendo post sumptionem Corporis. Precipimus presbyteris, ut quando inceperint in canone misse: Qui pridie: tenentes Hostiam non elevent eam nimis, sed quod possit videri; et post sumptionem Corporis et Sanguinis ab expuendo se abstineant, et si abstinere non possint, in loco mundo hoc faciant, qui calcari non possit.

De Sanguine Christi elapso super corporale. Sciendum est, quod si quid de Sanguine Christi ceciderit super corporale, sugenda est pars intincta, et ipsum cor-



porale aliquo panno mundissimo involutum, pro reliquiis est servandum. Si super pallam vel super sacrum aliquod indumentum ceciderit, pars intincta prius sugatur et postea scindatur, et consuto panno mundo conservetur pro reliquiis; ita tamen, quod super pannum cedula consuatur continens super hoc linteamen: Stilla hic cecidit Sacramenti. Si super aliud commune vestimentum cecidit, pars intincta sugatur et postea incendatur et comburatur, et cinis in sacrario reponatur. Si autem super lapidem, lignum terramve ceciderit, lingendus et tergendus est locus ille et radendus, et pulvis in sacrario reponendus. Si autem de Sanguine Christi super pallam vel aliud ornamentum ceciderit, pars super quam cecidit abluatur, et ablutio a sacerdote vel alio conscientie bone sumatur. Sacerdos autem vel minister cui id acciderit, ad episcopum debet mitti. Si musca, vel aranea, vel aliquid tale in ipsum calicem ceciderit, quod vix sine vomitu et aliquando non sine periculo corporali sumi potest, prius amoto eo quod ceciderit, Sanguis sugatur, et postea illud quod ceciderit, in piscina comburatur. Quod si fides ipsa id quod ceciderit quempiam sumere fecit, Deo grates.

Ne pueris Hostiae consecratae dentur. Prohibemus presbyteris, ne Hostias consecratas pueris dent nullo modo pro communicatione in die Pasche, sed panem benedictum communem. Idem in aliis prohibitis communicare, precipimus firmiter observari.

Ut Eucharistiam renovent sacerdotes. Sacerdotes semper die octavo renovent Eucharistie Sacramentum, etiam tempore interdicti. Nullus, antequam matutinas canonicas et primam dixerit, missam celebrare presumat, nisi aliqua necessitate.

Qualiter calix conservetur in panno. Calix post missam panno mundissimo involvatur, nec ministri eo interius tergant, sed alio ad hoc specialiter deputato; qui dum non satis decens fuerit seu vetustate attritus, in sacrario comburatur.

Ut sacerdos lavet manus. Sacerdos antequam se vestiat pro missa, immediate lavet manus suas in sacrario vel ecclesia, seu in loco vel prope locum ubi vestiri solet. In altari duo manutergia sint pendentia, unum ad ablutionem post Evangelium, secundum ad ablutionem post Sacramenti sumptionem.

Ut sacerdos bis non celebret. Nullus audeat bis in die missam celebrare, nisi in Nativitate Domini. Cum duplici autem Introitu nullus audeat celebrare missam. Celebrans vero secundam, in prima vinum profusionis non sumat; ministro bonam conscientiam habenti conferat, vel in piscinam ponat.

Sequuntur praefationes per annum. Invenimus decem sequentes prefationes cathalogo tantummodo recipiendas: unam in Pascha: Te quidem Domine omni tempore; aliam in Ascensione: Qui post resurrectionem; tertiam in Pentecosten: Qui ascendens super; quartam de Trinitate: Qui cum Unigenito; quintam in festivitatibus Sancte Marie: Et te in veneratione beate Marie; sextam in festivitatibus sancte Crucis: Qui salutem; septimam de Apostolis: Te quidem Domine suppliciter; octavam in Nativitate Domini: Quia per incarnati Verbi mysterium; nonam in Epiphania: quia cum Unigenitus tuus; decimam in Quadragesima: Qui corporali ieiunio vitia comprimis.

Ut in fracto altari non celebret sacerdos. Precipimus, quod in altari in quo tabula fuerit enormiter fracta, sacerdos non celebret, donec altare consolidetur et iterum consecretur. Nec super lapidem sine capsa celebretur. Ampulle vero vini et aque in ministerio altaris sint munde et integre, vitree, stannee vel argentee. Ad ablutionem manuum vas grandius deputetur.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

De piscinis. Provideant autem sacerdotes, quod piscinas habeant iuxta altaria decentes, mundas, ablutionibus cursum liberum exhibentes; nec sine operimento relinquantur.

Ut corporalia et aliae vestes altaris abluantur in tempore. Sacerdos sive diaconus corporalia sepe abluat indutus superpellicio, in vase mundo ad hoc specialiter deputato. Omnes ablutiones, si fieri potest, in piscina deponantur, vel saltem prima; cetera autem in baptisterio. Item linteamina altaris et indumenta sacerdotalia, nonnisi a sacerdote vel a diacono vel aliqua honesta matrona vel virgine, sine admixtione, appositione aliorum pannorum, convenienter quando opus fuerit abluantur, ita ut munda et nitida conserventur; quia nimis videtur absurdum sordes in vestibus sacris, que dedecerent etiam in prophanis.

De linteaminibus attritis ecclesiarum. Linteamina sacra, vetustate attrita, sacris inutilia, in loco mundo comburantur secrete, et pulvis iuxta parietem ecclesie recondatur.

De reverentia Corporis Christi. Hac salubri constitutione precipimus districte, quod tam diocesani quam alii inferiores prelati curam animarum habentes, diligenter et efficaciter informent clerum et populum sibi subiectum, quod in elevatione sive ostensione Corporis et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi, nudato capite cum devotione et reverentia genua flectant: quia Corpus et Sanguinem cum omni attentione adorent.

Pro reverentia Corporis Christi. Frequenter moneantur laici et etiam pueri, ut ubicumque viderint sanctum Corpus Christi deferri, statim genua flectant tamquam Domino et Creatori suo, et iunctis manibus quousque transierit orent.

De absolutione infirmorum. Dignum videtur et decorum, ut quisque sacerdos infirmum in extremis laborantem absolvat ab omnibus a quibus eum absolvere potest.

De ecclesiasticis Sacramentis observandis. Singuli sacerdotes singulos habeant calices in quibus communicentur infirmi, qui decori sint et mundi, ut in eis infirmorum devotio excitetur; et hos habere teneantur singuli plebani et rectores parochialium ecclesiarum usque ad festum Resurrectionis Domini ad minus; et si hos non possint habere de argento, habeant de cupro vel de stanno; et qui non habuerit in dicto termino, sit suspensus quousque habuerit. Nec permittant diaconos deferre Corpus sanctum Domini, nisi in necessitate, quum sacerdos fuerit absens. Cum magna reverentia semper et maturitate illud deferant in pyxide idonea, bene clausa propter casum. In eundo ad infirmum et redeundo, si certa fuerit via, psalmos dicat penitentiales et litaniam.

De Corpore Christi. Si quid in ore infirmi de Corpore Christi remanserit vel inde exierit, vel ab eo recipi non possit aliquam formam habens, ab ipso sacerdote debet sumi convenienter, vel commixtum in calice cum modico vino, alicui habenti bonam conscientiam dari debet. Si autem infirmus adeo fuerit artatus, quod sub magna forma Corpus Domini recipere non possit, sub minima forma scindatur, et in calice commixtum cum modico vino in ore infirmi instilletur: et maxime si sine scandalo aliter fieri non possit: ne infirmus sine Viatico videatur obire.

De matrimonio. De Sacramento coniugii est sciendum, quod omnis voluntaria seminis emissio est mortale peccatum, nisi per legitimum matrimonium excusetur. Sed matrimonium inter marem et feminam facit licitum coitum, si tamen modo licito misceantur.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

De matrimonio et benedictione. Prohibemus sub pena excommunicationis et magne emende seu satisfactionis, ne alique persone consentiant matrimonialiter per verba de presenti, donec sint ante fores ecclesie, quando debet nuptialis benedictio celebrari. Possunt tamen quasi dare fidem de matrimonio contrahendo inter se, si sancta Ecclesia id poterit sustinere, et hoc tamen fiat sine presentia sacerdotis parochialis. Contravenientibus ecclesie interdicatur ingressus, donec, satisfactione premissa, quod ulterius in talibus non excedant, ad requisitionem sui parochialis sacerdotis, qui in talibus interesse debuit, prestiterint cautionem. Hoc autem statutum, semel ad minus in mense, in aliqua die solemni per ecclesias publice per singulos parochiales nuncietur presbyteros.

De matrimoniis occultis. Clandestina matrimonia penitus inhibemus, prohibentes expresse, ne quis sacerdos talibus interesse presumat; statuentes: ut quum matrimonia fuerint contrahenda, presbyteri publice proponant, competenti termino prefinito, ut contra illud qui voluerit legitimum impedimentum opponat; et etiam ipsi presbyteri nichilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. Si forte probabilis apparuit coniectura contra copulam contrahendam, contractus impediatur expresse, donec, quid fieri super eo debeat, manifestis constiterit documentis. Si autem in computatione graduum aliqua dubitatio emerserit, in hoc definitio episcopi requiratur. Nec sacerdos quisque audeat in casu dubio perficere matrimonium episcopo inconsulto; se ad episcopum referat quando emerserint super matrimoniis questiones. Semper prohibeant sacerdotes sub pena excommunicationis super nuptiis sortilegia.

Ne coniugatus ad ordines recipiatur. Prohibeant etiam sacerdotes sub pena excommunicationis in ecclesia, ne alter coniugum ad religionem transeat, nec votum continentie ipsius admittatur, nec ad religionem aliquam recipiatur, nisi per episcopum diocesanum hoc fuerit prius probatum. Provideat tum diocesanus, quod persona in seculo remanens talis sit, que absque suspectione de iuris permissione possit in seculo remanere.

Ut sacerdotes non impendant benedictionem. Nullus sacerdos benedictionem nuptialem impendat nisi fuerit capellanus alterius coniugum, vel nisi fuerint capellani contrahentium eorundem.

De nuptialibus donis, et quod presbyteri pro collatione Sacramentorum nihil exigant. In Concilio prohibetur, ne aliquis pro benedictione nubentium, exequiis mortuorum et aliis Sacramentis pecuniam extorquere presumat, aut fideiussores exigat, aut propter hoc fictitia impedimenta imponat. Debent autem quibus impensa sunt Sacramenta pias consuetudines observare, et sunt per episcopum compescendi qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare. Et ideo inhibemus, ne sacerdos aliquis in casibus huiusmodi audeat sibi ius dicere; sed apud seniorem suum querelam deponat.

De ordinibus. Debent credere laici, quod nec conficit nisi sacerdos, nec confert ordines nisi episcopus, et quod eam habet virtutem, quam sancta Ecclesia confitetur.

De signo Judaeorum in pectore. Quia valde periculosum est et sacris canonibus inimicum, quod Iudei, quos pietas Christiana receptat et sustinet cohabitationes eorum, a Christianis per aliqua non distinguantur, et cognoscantur insignia et signa quod cum Christianis in familia habitent vel morentur vel in curiis ac domibus conversentur, aut Christiani habitent cum eis: presenti constitutione statuimus, quod omnes et singuli Iudei utriusque sexus, in terris nostre legationis portent unum cir-

[redacted]

culum de panno rubeo pro signo, assutum sive consutum ante pectus in parte sinistra in veste superiori, quam communiter et regulariter portant desuper vestes suas alias quum extra domos sive habitationes exeant vel incedant, vel publice quocumque modo appareant aut se exhibeant vel ostendant; et huiusmodi signum infra... Quod, si in huiusmodi signo assumendo infra terminum supradictum, aut etiam de cetero deferendo prout superius est expressum, Iudei prefati vel eorum aliqui contumaces fuerint rebelles, extunc Christianorum commercium nec non ignem et aquam sibi noverint interdictam. Christiani vero, qui contra constitutionem huiusmodi prefatis Iudeis in merciis commutare, aut eis ignem vel aquam dare, aut aliquos Iudeos in familia retinere, aut ipsis Iudeis familiariter adherere, aut cum eis in familia, curia sive domo stare presumpserint, ipso facto sciant sibi ingressum ecclesie interdictum; nec prius eis in ecclesiam pateat ingressus, quam, ad mandatum episcopi, abbatis, prepositi, archidiaconi seu cuiuslibet alterius prelati, in cuius diocesi, dominio vel iurisdictione Christiani huiusmodi commorantur, sufficienti sub certa pena cautione prestita, quod ulterius in talibus non excedant, ad ingressum ecclesie fuerint restituti. Quod autem constitutum est de Iudeis, hoc de Sarracenis, Ismaelitis et quibusque aliis non colentibus baptismatis Sacramentum statuimus inviolabiliter observandum; hoc excepto, quod ubi Iudei portant circulum pro signo rubeum, alii supradicti signum croceum teneantur deferre.

Ne Iudaei tributa recipiant. Preterea statuimus, quod tributa, vectigalia, telonea seu pedagia vel quevis alia publica officia, Iudeis, Saracenis, Ismaelitis, schismaticis, seu quibuscumque aliis ab unione fidei catholice alienis, nullatenus committantur; et specialiter prelati, ecclesiarum suarum reditus seu proventus eis vendere non audeant vel locare. Quod si quis contra hoc venire presumpserit, si episcopus fuerit, ab executione pontificalium, inferiores vero prelati seu clerici, cuiuscumque sint ordinis, dignitatis ac status, ab executione suorum ordinum per tres menses ipso facto noverint se suspensos. Vel si infra tres menses ipsos non expulerint, vel expulsos reassumpserint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant. Laicos autem cuiuscumque honoris, conditionis, dignitatis, preeminentie sive status, qui in derogationem constitutionis presentis huiusmodi officia Iudeis vel prohibitis supradictis quocumque modo commiserint, vel eos retinuerint aut sustinuerint in officiis supradictis, tam diu volumus excommunicationis sententie manere subiectos, donec, Iudeis et aliis infidelibus prefatis ab officiis amotis et eiectis supradictis, et prestita sufficienti cautione diocesanis suis, quod nullos ex predictis de cetero in aliquo recipient, retinebunt aut habebunt officio, iuxta formam Ecclesie fuerint absoluti.

De sacerdotibus schismaticis. Perpetuo prohibemus edicto, quod schismatici sacerdotes in terris nostre legationis officiare ecclesias non sinantur, nec permittantur habere vel edificare absque diocesanorum, in quorum diocesibus vel iurisdictionibus commorantur, licentia et consensu nova oratoria vel capellas, et Christianis nec schismaticis ministrare ecclesiastica Sacramenta. Ipsique Christiani prohibeantur districtius ipsorum schismaticorum officia audire vel ad ea accedere, aut ab eis etiam aliqua recipere Sacramenta. A quibus dictis omnibus schismatici per censuram ecclesiasticam arceantur, quam si forte contempserint, per seculare brachium a talibus compescantur.

De omni populo Christiano. Et quia pium est, imo debitum omni Christiano, et precipue in sacerdotali constituto ordine, pro summo pontifice, qui caput est universalis Ecclesie et rector populi Christiani, ad Deum preces vel orationes effundere,

[illegible]

[illegible]

[redacted]

huius approbatione Concilii statuimus, quod iuxta ordinem et morem Ecclesie sancte Romane, singuli sacerdotes in celebratione missarum suarum specialem orationem pro ipso summo Pontifice faciant, videlicet illis temporibus et diebus, quibus secundum morem et ordinem supradictum orationes fiunt pro ipso speciales. Iustum enim est omnes orare pro illo, qui est caput omnium et pro omnium salute laborat et orat.

De malitia hominum. Ne autem aliquo dolo, fraude seu malitia vel affectata ignorantia, quidquam contra constitutiones prefatas addi, minui, mutari vel deleri contingat, volumus et districte precipiendo mandamus, quod omnia Capitula cathedralium ecclesiarum totius nostre legationis, infra duos menses ex quo copiam potuerint habere earundem, ipsas conscribi faciant litera grossa, legibili atque distincta; ipsasque ligari faciant in tabulis ad modum libri, et ferrea catena connexas in sacrario sic affigi, quod commode legi possint, nec inde de facili valeant deportari. Quicumque constitutiones prefatas de dictis sacrariis auferre vel asportare, seu aliquid in eis delere, addere, radere vel mutare presumpserit, et de hoc constare poterit, dominicam indignationem incurrat, et nichilominus, tamquam falsarius, per diocesanum loci illius ubi hoc commiserit, vel per alium superiorem animadversione puniatur.

Ad hec precipiendo mandamus, quod singuli episcopi legationis nostre predicte, semel saltem in anno in episcopalibus Synodis suis, Capitula vero cathedralium ecclesiarum in generali Capitulo propter hoc faciendo, quater in anno, videlicet tribus mensibus semel, constitutiones predictas solemniter legi faciant et diligenter exponi.

Edite et publicate et approbate fuerunt supradicte constitutiones per nos legatum prefatum supradicto approbante Concilio, anno, Indictione, pontificatu et loco superius adnotatis, presentibus: magistro Fidancia plebano sancti Quiriti Parisiensis diocesis, fratre Iohanne monacho dicto Lombardo, monacho Nicolao de Gwarthine, et Octavo de Fraria notario, et fratre Gerardo de Placentia monacho de Drondolo Ordinis Cistersiensis. In cuius rei testimonium eas munimine nostri sigilli fecimus roborari, ac etiam infrascriptos notarios publicos eis subscribi, ipsasque eorum sigillis authenticis consignari.

Nr. 488.

Premisl dux Polonie 1279 Oct. 4, in Kalis; protestatur, comites Symonem et Nicolaum de Dębno hereditatem Zabartow monasterio Ląd contulisse, ipse vero eandem amplissimis libertatibus munit.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny czerwony, z którego pieczęć znikła.
Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 36.

In nomine Domini amen. Sicut fragilitas conditionis humane mortem nequit vitare temporalem, sic nec ullum actum quod in fluctuoso geritur tempore robur firmitatis valet obtinere, nisi scripto reformetur et sigilli munimine roboretur. Hinc est quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie coram universis presentibus et futuris protestamur, quod nobiles viri comites de Dabna, Syman et Nycolaus, pro salute animarum suarum ac predecessorum suorum contulerunt ecclesie Dei genitricis virginis Marie in Lynda hereditatem suam que Sabartowo nominatur, cum omnibus lacubus et utilitatibus que nunc in eis sunt vel fieri poterunt. Nos vero ob remedium anime nostre ac predecessorum nostrorum, affectum quem circa prefatam domum

[illegible]

[illegible]

semper habuimus augere cupientes, absolvimus hereditatem iam fatam cum incolis propriis sive liberis in ea commorantibus, videlicet a povoz, ab omni prevod, a strosa, a dan, a naraz, a podvorove, a targove, a mostne, a castrorum edificio sive poncium quorumlibet, a recepcione et custodia vel conductu qualiumcunque venatorum, a custodia vel solucione herodiorum quod socol vulgariter nuncupatur, a vicinia que opole dicitur, et ab omnibus exactionibus sive iuribus in Polonia nunc constitutis seu in posterum profuturis. Iudiciorum nichilominus omnium, ut est de contentione, percussione et membrorum mutilacione, ut maiorem circa Deum in iudicio tremendo fiduciam habeamus, dicte domus fratribus per suum iudicem hec exsequendi liberam conferimus auctoritatem, nulli ergo castellanorum aut iudicum in eadem villa ius aliquod reservantes. Si vero in prememorata villa tam enormis causa orta fuerit, que congrue diffiniri non poterit nisi in audiencia nostra, nullus omnino aliquam inde porcionem extorquere presumat; sed quidquid inde provenerit, integraliter iure perpetuo fratribus cedat. Et ut hec que facta sunt in laudem et gloriam genitricis Dei virginis Marie, robur perpetue firmitatis obtineant, presentem paginam sigilli nostri munimine duximus roborandam. Actum in Kalis in die beati Francisci confessoris Christi, anno Domini M.CC.LXX nono, presentibus hiis testibus, viris nobilibus comite Zegota venatore Kalisiensi, Bozeta castellano Premantensi, comite Marcusio castellano Bechoviensi, comite Nicolao castellano de Vilchovia, comite Mrozko castellano de Bidgoscha, comite Bervoldo pincerna Lendensi, et aliis quam pluribus Christi fidelibus benivolencie nostre graciam habentibus.

Dabna, *Dębno.* Lynda, *Ląd.* Sabartowo, *Zabartów.* Premantensis, *de Przemęt.* Bechoviensis, *de Biechów.* Vilchovia, *Wilkowyja.*

Nr. 489.

Premisl dux Polonie 1279 Nov. 21, in Poznan; confert fratribus Ordinis Praedicatorum aream in civitate Wronki pro claustro ibidem aedificando, eique alias addit possessiones pluribus privilegiis munitas.

Transumpt orygin. potwierdzony przez: Iohannes prepositus sancti Spiritus et officialis Poznaniens. 1407 Jan. 8, Poznanie; *w pergaminie orygin. w którym wcięcia poprzeczne od przywieszenia jednéj pieczęci. Przy końcu poświadczenie:* Symon Martini de Dambye clericus Gneznens. etc. notarius publicus; *obok tegoż* signum *narysowane.*

Poznań. Königl. Staats Arch. Wronki, Dominikan. 1. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 60.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, unius eterni et veri Dei, amen. Dignum et iustum est, ut quilibet mortalis de bonis que accepit a Domino, honoret Dominum bonorum omnium largitorem, ut pro temporalibus que largitur non solum presentia possideat, sed eciam eterna ab ipso percipere mereatur. Noverint igitur universi presentem paginam inspecturi, quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie, de hiis que de manu Domini liberali accepimus, quandam particulam licet parvam ipsi Deo reddimus, ministris eius fratribus Predicatoribus assignantes. Dedimus siquidem eisdem fratribus et damus pro salute anime nostre et corporis ac peccatis omnium

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

predecessorum nostrorum, ad honorem Dei omnipotentis et perpetue Virginis matris eius ut eam in fine vite nostre placabilem habeamus, aream pro cymeterio et ecclesia eidem sancte Virgini construenda, et pro claustro omnibusque officinis fratribus necessariis ac orto in civitate Vroncensi super aquam, cum utroque littore Varthe iuxta curiam dictorum fratrum; ita quod aqua intermedia fratres pro suis necessitatibus quibuscunque libere in perpetuum uti possunt, habentes piscationem liberam in toto fluvio dicto Vartha. Insuper et lacu nostro dicto Wrecen damus eis liberam piscaturam: ita quod nulli alteri ibi licitum sit pisces capere in perpetuum preter ipsos fratres, vel eos quos ad hoc elegerint piscatores. Ordinamus insuper et hanc nostram ordinationem volumus in perpetuum inviolabilem permanere, ut pro necessitate fratrum prefatam domum inhabitancium, in molendino nostro prope domum eorundem fratrum posito in alia parte fluminis, fiat gratis molitura sufficiens, absque omni concitacione, quociescunque fratres annonam suam ad idem miserint molendinum: ita quod quicunque idem molendinum pro tempore tenuerit, statim eis molere teneatur; et quod supra idem molendinum fratres dicti piscinam faciant quantumvis voluerint. Hec autem omnia in perpetuum damus fratribus inhabitantibus dictam domum, eciam si ex causa quacunque eadem domus fratrum in civitate, vel cum civitate ad locum alium transferretur. Et quoniam ex providencia divina, mater Domini nostri Ihesu Christi glorisissima virgo Maria in domo iam dicta sepius est patrona, ut regina misericordie dignetur salutem nostram, corporis et anime, procurare et in omnibus nostris adversitatibus succurrere nobis, eiusdem domus heredes et defensores esse volumus cum omnibus nostris successoribus quos nobis Deus ordinaverit, eos ad omnia prefata servanda inviolabiliter obligantes. Ut autem ad laudem gloriose virginis Marie, que est spes post Deum nostra prima, in prefato loco fratrum ecclesia et claustrum ac omnes officine de lateribus construantur, singulis annis de moneta nostra in Poznan damus XII marcas argenti quousque eadem opera plene fuerint consumata. Ut igitur prefata omnia inviolabiliter perseverent, hanc paginam nostro sigillo et testibus fecimus roborari, quorum nomina sunt hec: Thomislaus castellanus Poznaniensis, Vincentius cancellarius noster, Nicolaus iudex terre Poznaniensis, Dirzicraius castellanus de Dirzen, Iacobus castellanus de Wyelen, frater Theodoricus lector noster confessor Ordinis Predicatorum, qui a nobis hoc privilegium impetravit. Acta sunt in Poznan anno Domini m.cc.lxxix. xi Kalendas Decembris.

Civitas Vroncensis, *Wronki*. Wrecen lacus, *jezioro p. w. Rzeczyn*. Dirzen, *Drzeń, dziś Drezdenko*. Wyelen, *Wieleń*.

Nr. 490.

Nicolaus Pp. III 1279 Dec. 23, Rome apud sanctum Petrum; mandat Philippo episcopo Firmano, Sedis apostolicae in Hungaria legato, ut Wlostiberium in archiepiscopum Gneznensem electum, si ipsius electionem canonicam invenerit, confirmet.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 161.

Nicolaus episcopus (*etc.*), venerabili fratri Philippo episcopo Firmano, apostolice Sedis legato, salutem (*etc.*). Que de statu, immo casu miserabili Gneznensis ecclesie

[illegible]

[redacted]

ac populi Christiani partium illarum, tue nec non dilectorum filiorum.. prepositi,.. decani et Capituli eiusdem ecclesie ac quorundam prelatorum partium earundem littere misse nuper lamentabiliter referebant, nobis et fratribus nostris amaritudinis presentavere materiam, et accelerandam gratiose provisionis misericordiam implorabant. Habet enim litterarum ipsarum assertio, quod eadem Gneznensis ecclesia, que diu antea pastore vacarat, et nunc per mortem bone memorie Martini de Ordine Predicatorum quem in archiepiscopum eidem prefeceramus ecclesie vacare dinoscitur, tam per tyrampnidem paganorum fidem persequentium Christianam quam per temeritates et insolentias plurium aliorum, non solum in suis bonis et iuribus gravibus est attrita molestiis et deducta in paupertatis opprobrium, sed et in personis populi pastoris eiusdem ecclesie cure commissi enormibus est convulsa dispendiis, non sine fidei eiusdem iniuria et gravi proh dolor periculo animarum: cum sicut eedem littere continebant, diebus istis, preter numerosam stragem hominum quos paganorum ipsorum crudelitas inhumana peremit, multitudinem copiosam iuvenum dicti populi eorundem paganorum violentia fidem eandem abnegare coegerit et pertraxerit ad gentilitatis errorem. Habebat insuper earundem litterarum adiectio, quod dicti prepositus, decanus et Capitulum, post obitum prefati archiepiscopi pro futuri substitutione pastoris sicut moris est convenientes in unum, Spiritus sancti gratia invocata dilectum filium Wlostoberium canonicum Gneznensem, virum utique providum et discretum ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in Gneznensem archiepiscopum canonice ac concorditer elegerunt, nuntiis ad tuam presentiam destinatis, primo ad excusandam dicti electi absentiam et commissionem huiusmodi negotii a te in illis partibus impetrandam, et demum ad petendam confirmationem electionis ipsius. Sed tu, cum nondum partes illas intrasses variis et arduis in regno Ungarie occupatus, nec comode, presertim absque periculo incumbentium sollicitudini tue in regno predicto, ipsius negotii vacare posses examini, eligens apostolice Sedi deferre, ad illam dictum negotium remisisti, humiliter supplicans illud celeriter expediri, ad id eorundem prelatorum, prepositi, decani et Capituli devota supplicationis instantia memoratis inserta litteris concurrente. Nos itaque predictis ecclesie ac populo pio compatientes affectu, ac intenso desiderio affectantes ut persona idonea celeriter ad ipsius ecclesie regimen assumatur per cuius industriam possit eidem populo salubriter subveniri, gerentes quoque de tua circumspectione fiduciam, de ipsorum fratrum consilio fraternitati tue presentium auctoritate committimus, quatinus, inquisita per te vel per alium seu alios de modo huiusmodi electionis, studiis eligentium et electi meritis diligentius veritate, si electionem ipsam inveneris canonice de persona ydonea celebratam, eam auctoritate nostra confirmes. Si vero in eadem electione defectum inveneris, propter quem de iure cassanda sit eadem electio vel nulla forsitan nuntianda, tu electionem ipsam prout iustum fuerit cassare seu nullam studeas nuntiare: ac nichilominus, si personam prefati Wlostoberii fore ydoneam reppereris tantoque honori ac oneri congruentem, et utilitati eiusdem ecclesie videris expedire, ipsum, dummodo nullus super hoc se opponat, predicte Gneznensi ecclesie preficias eadem auctoritate in archiepiscopum et pastorem, ac deinde ascitis duobus vel tribus episcopis, dicto W. munus consecrationis impendas. Alioquin dictam electionem prout ius exegerit rite casses, vel eam cassam et irritam nuntiare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Rome apud sanctum Petrum X Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno secundo.



Nr. 491.

Secundus Premizl dux Polonie 1280 Jan. 6, in Poznan; confirmat donationem hereditatis Grodzisk, a militibus Pelca, Boguphalo, Zemiclao, Gnevomiro, Stephano, et duobus filiis Phalislai, dictis Marcus et Samson, monasterio Paradyż factam; comitem vero Nicolaum, militibus praedictis pro huius donationis recompensatione hereditatem Chwałkowo dedisse, protestatur.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B, 22. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 61.

In nomine Domini amen. Humani generis actiones memoria perpetua indigentes plerumque ab hominum noticia dilabuntur, que scripturarum seu testium munimine non renovantur. Igitur nos secundus Premizl Dei gratia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra nostrorumque baronum presencia dilecti nostri milites Pelca, Boguphalus, Zemiclaus, Gnevomirus, Stephanus, et duo filii Phalislay, Marcus et Samson, bona deliberacione et animo salubri hereditatem que Grozisce vulgariter nuncupatur claustro de Paradiso possidendam in perpetuum porrexerunt, abrenunciantes omni iuridictioni qua in eadem hereditate fruebantur. Comes vero Nicolaus, filius quondam Sandivoii qui fundator extitit dicte domus, supradictis militibus volens satisfacere pro commutacione prefate hereditatis, ipsis coram nobis suam hereditatem porrexit iure hereditario in perpetuum optinendam, que Phalcovo vulgariter nuncupatur. In maioris vero roboris firmitatem, fratres claustri supradicti sepedictis militibus dederunt sexaginta marcas argenti Brandburgensis, commutationem prenotam (sic) firmare cupientes. In huius rei testimonium et cauthelam evidentiorem, presentem paginam nostri sigilli munimine confirmamus presentibus hiis testibus: comite Beniamin palatino Poznaniensi, domino Vincencio cancellario Poznaniensi, comite Nicolao iudice Poznaniensi, domino Bogumilo preposito de Santoch. Datum in Poznan anno gratie Domini M.CC.LXXX in die Epiphanie Domini per manus Thilonis notharii curie nostre.

Grozisce, *Grodzisk.* Paradisus, *Paradyż.* Phalcovo, *Chwałkowo.* Santoch, *Santok.*

Nr. 492.

Secundus Promizl dux Polonie 1280 Febr. 9, in Kaliss; munit villas monasterii s. Vincentii in Wrocław, dictas Opatów, Opatowiec et Słupy, amplissimis privilegiis, ipsasque iure Theutonico locari concedit.

Wrocław. Königl. Staats Archiv. Matrica s. Vincentii II, CIX.

In nomine Domini amen. Humani generis actiones memoria perpetua indigentes plerumque ab hominum noticia dilabuntur, que scripturarum seu testium munimine non renovantur. Igitur universis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis

[illegible]

[illegible]

[redacted]

plenius innotescat, quod nos secundus Promizl Dei gracia dux Polonie, ob reverenciam domini nostri Iliesu Christi, in remissionem omnium peccatorum nostrorum, et ad peticionem viri discreti et religiosi domini Wilhelmi abbatis et tocius conventus ecclesie beati Vincencii Ordinis Premonstratensis de Wratislavia, recipimus tres villas eorum, que Opothov et Slup et Opathovece vulgariter nuncupantur, sitas in districtu Kalisiensi, in nostram specialem protectionem, sicut in privilegiis illustrissimi principis domini Primizlonis ducis Polonie, patris nostri karissimi felicis memorie, invenimus contineri: dantes eidem ecclesie plenam potestatem dictas villas seu alias, que in districtu earundem villarum possunt processu temporis collocari, Theutonico iure locandas sub tali forma: quia omnes Theutonici sive aliarum nacionum hospites memoratas villas inhabitantes, ab omni solucione, pro nobis seu pro quocunque alio exigenda, decem annis plena gaudebunt libertate; ita tamen de villis noviter constructis. Quibus evolutis, inhabitatores dictarum villarum, quicunque fuerint, quinquaginta mensuras tritici et tantumtidem avene, in mensura que in Novo foro erit, nobis singulis solvent, non longius nisi in Kaliss deducentes. Ab omni iure autem et solucionibus quas Poloni facere et prestare consueverunt, videlicet a podvorowe, a strosa, a povoz, a naras, a conductu, a venatoribus castorum et ab omnibus aliis venatoribus nostris, et ab omnibus aliis exactionibus eos in perpetuum reddimus absolutos. Nec coram aliquo palatino, castellano aut iudice nostro citati respondere aut comparere cogentur, sed quicunque de ipsis supra quacunque re voluerit querulari, iudicio scultetorum prefatarum villarum, prout ius Theutonicum dictaverit, in principalibus sentenciis, in decollacione capitis videlicet, suspensione, sive mutilacione quorumlibet membrorum, expediantur, nobis de ipsis causis duobus denariis reservatis et domino abbati tercio; exceptis vero causis principalibus quas superius expressimus, omnia iura alia dicto domino abbati cedent. Quicunque vero, contempto iudicio scultetorum sepius dictorum, ad nostram presenciam recursum habere voluerit de ipsis querulando, per litteram nostro sigillo roboratam citati coram nobis conparebunt, nichilominus scultetorum eorum et nostrorum advocatorum Theutonico iudicio iudicandi. Civitatem, forum et tabernas in eisdem villis ad voluntatem suam, nullo obstaculo interveniente, pacifice et libere habebunt. Ab omni autem expeditione que extra terram nostram fit, et ab edificacione et reparacione castrorum eos totaliter absolvimus, excepto, cum exercitus de quacunque parte terram nostri ducatus intraverit, veniant nobiscum eidem se viriliter exponentes. Ut autem karissimi patris nostri donacio nostraque confirmacio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine confirmamus presentibus hiis testibus: comite Beniamin palatino Poznaniensi, comite Petrkone castellano de Santech, comite Bozatha castellano de Promant. Acta sunt hec anno gracie Domini m.cc.lxxx, et data in Kaliss in octava Purificacionis beate Marie per manus Thilonis nostri notarii.

Opothov, *Opatów*. Slup, *Słupy*. Opathovece, *Łęka Opatowska*. Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szląsku*. Santech, *Santok*. Promant, *Przemęt*.

[illegible]

[redacted]

Nr. 493.

Premisl dux Polonie 1280 Febr. 13, in Kalis; confert monasterio fratrum Praedicatorum in Wronki tamdiu omnes proventus de villa sua Piotrowo, donec omnia aedificia eiusdem monasterii de lateribus vel lapidibus fuerint extructa, idemque monasterium pluribus privilegiis munit.

Pergam. orygin. surowy; na powierzchni widać jeszcze szczątki włosów, które wraz z pismem miejscami przez mole zniszczone. Pieczęci nie masz, pozostał urwany sznur nici jedwabnych, wyblakłych. (Dopełniono z: Poznań, Königl. Staats Arch. Wronki, Dominik. 2.)

Kurnik, Biblioteka. Diploma Nr. 7. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Pol. 60.

In nomine Domini amen. Ut legittime gesta immutabiliter perseverent, dignum est ut scriptis et sigillis autenticis roborentur. Noverint igitur universi presentem paginam inspecturi, quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie domui Wroncensi fratrum Ordinis Predicatorum villam nostram dictam Pothrovo, locatam in iure Theutonico, contulimus et conferimus ad opus ecclesie et tocius claustri ac officinarum omnium, de lateribus seu lapidibus construendarum, ita quod totus census in duplici grano quam eciam argento cum omnibus utilitatibus et exactionibus que ad nos in eadem villa pertinent et possunt pertinere, in dicta opera convertantur tamdiu, quousque per eosdem fratres in domo Wroncensi omnia predicta de lateribus sint perfecta. Currum tamen solum qui de predicta villa ad nostra servicia pertinet, nobis integre reservamus. Damus eciam prefatis fratribus in loco ubi domum pro formandis lateribus construxerunt, pro orto, pro pomerio, pro argilla fodienda, pro formandis lateribus ac aliis ibi eis necessariis, de cetero quantum eis videbitur expedire. Ubicunque autem cementum inventum fuerit vel lapides, hoc tempore vel futuro, ipsis fodere liceat et in domum suam deducere: hec autem pro edificiis domus, sine contradiccione hominum super hoc minime valitura, cum hec res pro sacris edificiis maxime a Domino sint create. In omnibus eciam silvis nostris liceat predictis fratribus succidere ligna pro omnibus necessitatibus domus sue, exceptis arboribus in quibus apes sunt mellificia producentes. Lacum eciam nostrum dictum Rechen ad piscacionem iam dictorum fratrum exponimus, ita quod in ipso nulli hominum piscari liceat nisi pro necessariis dicte domus. Ut autem hii qui Domino famulantur, in prefata domo vivant pacifice et quiete, precipimus et statuimus, ut nullus scolthetorum vel consulum seu rectorum civitatum terre nostre, nunc et in perpetuum aliqua statuta in gravamen eorundem fratrum presumat statuere ausu temerario vel nefando; quod si per aliquam concitacionem vel personam contrarium factum fuerit, penam huius transgressionis nobis ac nostris successoribus reservamus graviter infligendam. Quociensumque autem fratres Predicatores dicte domus currus suos vel naves miserint pro necessariis domus sue per terram nostram, ipsos ab omni theloneo et exaccione absolvimus ac liberos in perpetuum facimus et immunes. Omnia insuper que continentur in privilegio, quod prefate domui contulimus cum eis aream in Wronki dedimus, confirmamus. In cuius rei testimonium hanc paginam sigillo nostro fecimus roborari. Actum in Kalis anno Domini m.cc.lxxx Idibus Februarii testificantibus hiis, scilicet comite Beniamin palatino, domino Vincencio cancellario,

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

comite Nicholao iudice terre Poznaniensis, comite Petrkone pincerna, domino Gotfalko cantore Poznaniensi, comite Chemka castellano de Razim.

Wroncensis, *de Wronki.* Pothrovo, *Piotrowo.* Lacus Rechen, *jezioro p. w. Rzeczyn.* Razim, *Radzim, niegdyś gród na wyspie rz. Warta, o milę powyżej m. Oborniki, z którego wysokie grodziszcze i nasypy, i głębokie przekopy pozostały.*

Nr. 494.

Secundus Premizl dux Polonie 1280 Mart. 31, in Poznan; vendit civitati Poznaniensi utilitates quasdam ibidem consistentes.

Pergam. orygin. Na sznurze nici jedwabn. czerwon. przywieszona pieczęć Przemysława księcia, (pieczęć XV).

Poznań. Archiw. Miejskie. Diploma Nr. 3.

In nomine Domini amen. Humani generis acciones memoria perpetua indigentes plerumque ab hominum noticia dilabuntur, que scripturarum seu testium munimine non renovantur. Igitur nos secundus Premizl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod ex salutari prudentia nostrorum specialium consulium (sic) civitatis Posnaniensis, domini videlicet Henrici dicti de Thuch, Girconis, Sifridi, Hermanni et Gerlibi, defectum nostre civitatis Posnaniensis nunc et processu temporis Christo mediante cum omni affectu et diligencia cupimus reformare. Cum igitur iuris et consuetudinis sit per orbem universum, quod unaquaque civitas pro suis defectibus specialitatem habeat in certis reditibus deputatis, nos habentes maturum consilium nostrorum baronum, omnes utilitates subsequentes iure hereditario in perpetuum obtinendas civitati nostre Posnaniensi vendidimus pro quadam summa pecunie, non tantum racione lucri, sed ut dicta civitas de die in diem semper in melius in suis defectibus emendetur. Hec sunt utilitates, que, quidquid in eiusdem civitatis ambitu nunc et in posterum edificari vel excogitari poterit, sepedicta civitas perpetuo possideat pacifice et quiete. In theatro, quod in Theutonico cameras nuncupatur, et apothecas institorum et sutorum et pellificum, et macella carnificum et pistorum, et vini cellaria. Insuper curiam carnificum in qua animalia occiduntur, omnem utilitatem apothecarum, hospitum ad annale forum in Poznan venientium, ipsa civitas perpetuo valeat obtinere, preter duas cameras mercatorum. Ut autem nostra non tantum venditio sed donatio perpetuo inviolabiliter perseveret, presentem paginam inpermutabiliter nostri sigilli munimine confirmamus. Due camere mercatorum superius nominate, sculteto pertineant civitatis. Hii sunt testes: comes Nicolaus iudex Poznaniensis, comes Vlost castellanus de Obritsco, dominus Ianko procurator Poznaniensis. Acta sunt anno gracie Domini M.CC.LXXX, et data in Poznan in dominica qua cantatur Letare per manus Thylonis notarii curie nostre.

Obritsco, *Obrzycko.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Nr. 495.

Secundus Premisl dux Polonie 1280 s. d., in Gnezna; confirmat omnes donationes, domui Hospitalis s. Sepulchri Gneznensis a patre, patruo et avia suis, nec non a Fulcone archiepiscopo Gneznensi largitas, et hereditates praedictae domus multis privilegiis munit.

Warszawa. Archiw. Główne Ks. M. 66, fol. 28v. — Nakielski. Miechovia, pag. 205. — Gniezno. Archiw. Consistorii Metropol. Acta od annum 1577.

In nomine Domini amen. Humani generis actiones memoria perpetua indigentes plerumque ab hominum noticia dilabuntur, que scripturarum vel testium munimine non renovantur. Igitur nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus presentibus et futuris presens scriptum intuentibus, quia ob honorem Dei, in memoriam et remedium animarum nostrarum, illustrissimi principis patris nostri carissimi domini Premislonis Dei gracia ducis Polonie, et preclari principis patrui nostri dilecti domini Boleslai felicis memorie ducis eiusdem terre, et dilecte avie nostre domine ducisse Adewigis, venerabilisque patris nostri domini Fulconis Dei gracia archiepiscopi Gneznensis ecclesie, donaciones domui Hospitalis sancti Sepulcri Hierosolymitani in Gnezna existenti per universas eiusdem hereditates rationabiliter factas per eosdem, de nostra non ficta voluntate et salubri habito nostrorum baronum consilio cum omni diligencia et affectu innovamus nostris privilegiis confirmantes, sicut in prefatorum predecessorum nostrorum privilegiis iuxta formam materie invenimus contineri. Absolventes omnes hereditates, quas nunc domus supradicta possidet et processu temporis poterit per modum aliquem possidere, ab omnibus exactionibus et solucionibus que ad nostrum dinoscuntur dominium pertinere, videlicet a naraz, a podvod, a prevod, a stroza, a podvorove, a citacione castri, a bove, a vacca, a vicinia, ab edificacione carceris (sic); ita quod ab his omnibus et aliis solucionibus, que nunc in nostro sunt dominio et procedente tempore exoriri possunt, penitus sint solute. Volumus eciam, ut homines domui debito servicio alligati, ad solvendum poradlne non arctentur. Ut autem predecessorum nostrorum donacio nostraque confirmacio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine confirmamus presentibus hiis testibus: comite Arkenboldo palatino Gneznensi, comite Pretslao castellano Gneznensi, Boguslao castellano de Uschye, comite Iacobo castellano de Rogoszna, comite Nicolao venatore Gneznensi, comite Mroxcone castellano de Bidgostia. Datum in Gnezna anno gracie Domini M.CC.LXXX per manus Thilonis scriptoris nostri.

Uschye, *Ujście.* Rogoszna, *Rogoźno.* Bidgostia, *Bydgoszcz.*

[illegible]

Nr. 496.

Secundus Premisl dux Polonie 1280 Jul. 3, in Poznan; confirmat omnes donationes hereditatum et concessiones libertatum, cocnobio de Owinska a patre suo b. m. duce Premislao et patruo b. m. duce Boleslao factas.

Poznań. Towarzystwo Przyjaciół Nauk. Owinska, privil. Nr. 3.

In nomine Domini amen. Nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie, exaltacionem sancte Ecclesie nostris zelantes temporibus et saluti nostre prout Dominus donaverit providentes, notum esse volumus presentibus et futuris, quod ad honorem Dei et beate Virginis et pro remedio animarum patris nostri et matris nostre et in remissionem peccatorum nostrorum, per venerabilem dominam Claram abbatissam et Annam domicellam de Ovensko sororem nostram charissimam, donaciones factas per gloriosum principem dominum Premislium felicis memorie ducem Polonie patrem nostrum charissimum, et per patruum nostrum dilectum eiusdem terre principem ducem Boleslaum, cum omni affectu et reverencia innovamus, nostris privilegiis confirmantes Ordini Cisterciensi et filiabus eiusdem Ordinis super hereditatibus subsequentibus. Prima que vocatur Owensko que est sita super Wartham fluvium, cum quatuor villis sibi adiacentibus, scilicet Bolęchow, Raduiewo, Marszowice, Verenicza, ab iisdem virginibus sacris, sub Ordinis prefati professione ibidem Deo famulantibus, perpetuo possidenda; ita ut hee quinque hereditates, infra unum ambitum uno circuitu in unum territorium quod Owensko dicitur, in quo ipsum claustrum consistit, cum sua plena integritate sint coniuncte, et conventus dominarum Deo serviens in loco eodem semper consistat. Confirmamus eciam cenobio eidem plures possessiones, scilicet Tmienic, Chludowo, cum decimis earum et cum decimis suprascriptarum quinque villarum; Samolese, Dobegneve, Olesno, Golina Ceslai, Mikulice, Zywino, Massawicza, Raskowice, Rokitnica, Gluchow. Confirmamus eciam dominabus eisdem triginta marcas de moneta Poznaniensi pro vestitu, et duodecem lapides cere, triginta lapides de sepo pro officio divino. Et quia dicta domus Dei super Wartha est sita, volumus ut famule Christi in ea habitantes, in utraque rippa ipsius fluvii cum universis utilitatibus, videlicet silvis, pratis, pascuis, agris, aquis, molendinis, piscibus, castoribus, venacionibus cum aliis utilitatibus, libere infra terminos domus sue semper dominentur. Confirmamus eciam eisdem dominabus, in suis hereditatibus ubicunque voluerint civitates et villas locare Theutonicis, quocunque iure ipsis dominabus placuerit: ita ut omnes proventus earundem civitatum et villarum, scilicet theloneum, omne iudicium sive parvum sive magnum, ad claustrum earum semper attineat. Nulli ergo hominum liceat quemcunque de hominibus dominarum de Owensko ad quodcunque iudicium sive castrum provocare aut iudicare, nisi ad eum, qui a domina abbatissa loci illius iudex fuerit constitutus. Si autem casus tam gravis fuerit exortus quem iudex claustri non poterit iudicare, nusquam iudicetur nisi in presencia nostra, ita tamen, ut mediante nuncio claustri, omnis utilitas inde proveniens ad ipsum claustrum revertatur. Sed quia eandem domum Dei affectu semper complere cupimus, volumus ut venerabile collegium sponsarum Christi in ea habitans, tam pro suis civibus quam eciam pro hospitibus et advenis mercenariis et ministris universis, in claustro et extra claustrum infra terminos ipsos degentibus, plena gaudeant libertate: ita ut universi in supradictis hereditatibus habitantes, a nostris prorsus ser-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

viciis et exactionibus sint absoluti, scilicet przewod, stroza, podwoda, powoz, stan, podworowe, chlodnice, powolowe, constructione castrorum, et si que sunt alie exactiones. Nulli ergo hominum liceat aliquam exactionem, de iure aut consuetudine habitam vel habendam, infra omnes terminos claustri de Owensk a quoque hominum exigere, aut modo aliquo extorquere ad opus nostrum sive ad opus alicuius baronum vel officialium nostrorum; quorum iurisdictiones, si que fuerunt hactenus in eisdem locis, per presentem indulgenciam volumus omnino enervari. Volumus eciam, ut nullus de hominibus dicti claustri ad quamcunque se moveat expedicionem, nisi pro communi defensione terre. Cum autem contigerit nos aut nostros heredes extra terram expedicionem movere nostras iniurias ulciscendo, volumus, ut claustri eiusdem hereditatum incole a talibus expedicionibus absoluti, per se et sua vectigalia ad opus dicti claustri assidue se invitent pro domine abbatisse et suorum officialium seu procuratorum voluntate, donec Domino propiciante ad propria revertamur. Item volumus et mandamus, ut procuratores dominarum de Owensk, pro cunctis necessitatibus earum per totam terram nostram sine solucione thelonei libere semper incedant. Si que autem hereditates sive civitates sive fora a domina abbatissa titulo empcionis seu commutacionis aquisite fuerint, seu oblate pro remedio animarum, vel a quibuscunque donata fuerint, suprascripta in omnibus gaudeant libertate. Ut ergo hec nostra confirmatio perpetuo inviolabiliter perseveret, presens scriptum nostri sigilli munimine confirmavimus. Hii sunt testes: venerabilis pater dominus Iohannes episcopus Poznaniensis qui sigillum suum apposuit, comes Beniamin palatinus Poznaniensis, comes Harcombold palatinus Gneznensis, comes Thomislaus castellanus Poznaniensis, comes Pretslaus castellanus Gneznensis, dominus Vincentius cancellarius Poznaniensis, dominus Andreas cancellarius Gneznensis, comes Nicolaus iudex Poznaniensis, comes Andreas iudex Gneznensis. Datum in Poznan quarto die sancti Petri, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo, per Thilonem notarium nostrum.

Ovensko, *Owińska.* Bolechowo, Radujewo, Marszewice *dziś tak samo.* Verenicza, *Wierzenica.* Tmienic, *nie odgadnione.* Chludowo, *Kludowo.* Samolese, *Samołęż.* Dobegneve, *dziś z niemiecka* Woldenberg, *Następne miejscowości są albo przyległe miastu Woldenberg a dziś pod niemieckiemi przezwiskami ukryte, lub też są:* Olesno, *Oleśno;* Golina Ceslai, *Gole;* Mikulice, *w dokum. Nr. 303* Milakoviza, *Miłosławice;* Zywino, *w dokum. Nr. 303* Sienno, *Sienno;* Massawicza, *Miastowice;* Raskowice, *Raczkowo;* Rokitnica, Głuchow, *dziś tak samo.*

Nr. 497.

Secundus Premisl dux Polonie 1280 Octob. 1, in Poznan; concedit monasterio de Obra, ut villas Obra, Iasiniec et Ujazd iure Theutonico locare possit.
Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. pag. 18.

In nomine Domini amen. Humani generis actiones memoria perpetua indigentes plerumque a notitia hominum dilabuntur, que scripturarum seu testium munimine non renovantur. Igitur nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis presentibus et futuris presentem paginam inspecturis, quod ob reverentiam beate Marie virginis gloriose et in remissionem nostrorum peccaminum, et

[illegible]

[illegible]

[redacted]

eciam viri venerandi domini abbatis Iohannis de Obra ob sua fidelia servicia condignis peticionibus acquiescere cupientes, eidem domui de Obra in villis subsequentibus, Obra videlicet, Iazinez et Uiazd, liberum damus arbitrium locandi ius Theutonicum, eo iure, quo omnes civitates et ville in districtu nostri dominii collocantur. Absolventes ipsas hereditates ab omni solutione Polonica que nostro dignoscitur dominio pertinere, videlicet a naraz, a powoz, a prewod, a stroza, a podworowe, a poradlne, ab opole, a bove, a vacca, ab expeditione, castri citacione: ita quod incole dictarum in hoc (sic) nostro sigillo coram nobis compareant provocati. Ut autem nostra donacio simulque confirmacio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem litteram nostri sigilli munimine confirmamus presentibus hiis testibus: comite Petircone pincerna Poznaniensi, Thoma, Iohanne venatore Poznaniensi, comite Vincencio castellano de Santoch. Datum in Poznan anno gratie Domini millesimo ducentesimo octogesimo in festo sancti Remigii confessoris, per manus Tilonis notarii curie nostre.

Obra, *Obra.* Iazinez, *Jasiniec.* Uiazd, *Ujazd.* Santoch, *Santok.*

Nr. 498.

Secundus Premisl dux Polonie 1280 Nov. 11, in Kalis; confert Herdano sculteto hereditates suas, dictas Dobrzec wielki, D. mały et Olsze, iure Theutonico locandas.

Kalisz. Archiw. Rządowe. Luźna karta papieru, której środek przegniły odpadł, a z nim cała połowa dokumentu; pismo XVII wieku.

In nomine Domini amen. Humani generis actiones memoria perpetua indigentes plerumque ab hominum notitia dilabuntur, que scripturarum seu testium munimine non renovantur. Igitur nos secundus Premisl Dei gratia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod statum terre nostre cupientes in melius reformare qui in maxima parte est positus in deserto, dedimus dilecto et speciali nostro sculteto Herdano suisque successoribus nostras hereditates Dobrcze maiorem et minorem, et Olsze, sitas circa civitatem nostram Calisiensem, Teutonico iure locandas, eo iure, quo omnes civitates seu ville in districtu nostri dominii potiuntur. Damus itaque sibi suisque successoribus seu heredibus septimum mansum ratione sue locationis iure hereditario in perpetuum obtinere. Quitquid autem in districtu supradictarum hereditatum utilitatis potest nunc et in posterum reperiri, ipse et sua posteritas perpetuo percipiat ex integro, exceptis agris nostris et piscina, que pro nobis specialiter reservamus. Hec sunt autem utilitates: tertium denarium iudicii, et molendinum liberum quod est positum inferius piscine nostre. Si que alia molendina processu temporis in fluvio Prossna edificari poterint, quantum de eodem fluvio supradicte hereditates possident, ipse et sua posteritas edificet libere obtinenda. Habeat etiam dictus scultetus noster et sui successores piscandi liberum arbitrium in dicta Prossna, quantum de ipsa possidet in hereditatibus superius nominatis. Locus autem qui aptus est ad edificandum molendinum, situs superius piscinam nostram, hereditarie et libere possid... um piscina. Damus etiam ... domino advocato de Pisdr, domino Bartholdo notario Calissiensi, domino Oblino cive de Pisdr mercatore speciali nostro. Datum in Calis anno gratie Domini mille-

[illegible]

simo ducentesimo octogesimo in die sancti Martini confessoris, per manus Thilonis notarii curie nostre.

Dobrcze maior et minor, *Dobrzec wielki i D. mały*. Olszc *p. m. Kalisz, nie odgadnione*. Pisdr, *Pyzdry*.

Nr. 499.

Philippus Firmanus episcopus, apostolice Sedis legatus 1281 Mart. 25, Rome; confirmat omnes donationes et libertates, coenobio de Ołobok a principibus et nobilibus concessas.

Poznań. Königl. Staats Archiv. Ołobok, Acta non foliata. (Z pergam. orygin., u którego na niciach jedwabnych czerwon. i żółt. zawieszona bulla: Martinus Pp. IIII.)

Philippus miseracione divina Firmanus episcopus apostolice Sedis legatus, religiosis dominabus abbatisse et conventui monasterii de Olobok Gneznensis diocesis, Cisterciensis Ordinis, salutem in Domino. Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere assensum, et vota que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter dilecte in Domino filie, vestris iustis postulacionibus grato concurrentes assensu, collationes, donationes, libertates, immunitates et exemptiones, ex collatione principum, donatione nobilium et largitione fidelium vobis et monasterio vestro factas et concessas, prout provide facte sunt et concesse ratas habentes et gratas, eas auctoritate qua fungimur confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli eius se noverit incursurum. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roborantes. Datum Rome VIII Kalendas Aprilis M.CC.LXXXII, Indictione X, pontificatus domini Martini Pape IIII anno primo.

Olobok, *Ołobok*.

Nr. 500.

Premisl dux Polonie 1281 Octob. 23, in Poznania; confert ecclesiae Poznaniensi pro area eiusdem in civitate Poznan sita, particulam suae hereditatis, villae Urniszewo adiacentem.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B. Nr. 151.

In nomine Domini amen. Quoniam que aguntur in tempore simul labuntur cum tempore, necesse est ea litterarum subscriptione et sigillorum munimine perhennari. Nos igitur Premisl Dei gratia dux Polonie notum facimus omnibus presentem litteram inspecturis, quod pro area ecclesie beati Petri in Poznania, quam Stephanus canonicus eiusdem ecclesie possedit, dedimus particulam hereditatis nostre quam

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

inhabitant iumentarii plantenorum (sic) qui vulgariter chobilnici nuncupantur, dictamque particulam hereditatis iunximus hereditati Urneschevo ecclesie memorate, perpetuo possidendam. Ut autem firmius Urnesevo hereditas ecclesie iam dictam hereditatem obtineat, per nostrum vlodarium de Dlusk, Petrum dictum Schvirchovicz, per gades fecimus limitari: procedendo a Chomorniczc, hereditate ecclesie beate virginis Marie de Sroda, per mediam paludem que Darnovo nominatur, hinc per monticulum qui dicitur Koschela, demum directe versus montem Lisciami nominatum. Ut autem protestatio huius commutationis robur firmitatis in perpetuum obtineat, presentem litteram sigilli nostri munimine fecimus roborari presentibus hiis testibus: comite Beniamyn palatino Poznaniensi, Thomislao castellano Lendensi, domino Clemente plebano de Przemant. Datum in Poznania anno Domini millesimo CC.LXXX primo, in die beati Severini episcopi et confessoris, decimo Kalendas Novembris, per manum Stanislai clerici curie nostre.

Urneschevo, *Urniszewo.* Dlusk, *Dłusk.* Chomornicze, *Kromolice.* Sroda, *Środa.* Lendensis, *de Ląd.* Przemant, *Przemęt.*

Nr. 501.

Mestwinus dux Pomeranorum 1281 s. d. in claustro Lubin; confert comiti Nicolao iudici Poznaniensi villam Wielkie Kiszewy, eamque amplis libertatibus munit.

Stettin. Königl. Staats Archiv. Dreger Mscrpt. III, Nr. 635.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. A memoria hominum citius elabuntur, que nec voce testium nec scripto eternantur. Proinde noverint universi presentes et posteri, quod nos Mestwinus Dei gratia dux Pomeranorum nobili viro comiti Nicolao iudici Poznaniensi, filio comitis Prepolci, villam nostram contulimus que vulgariter Vela Kysseva nuncupatur, cum suis post eum heredibus pacifice et quiete possidendam cum omni iure ac utilitate, secundum quod eam personaliter consvevimus possidere, cum stagnis, rivulis, pratis, pascuis, silvis, nemoribus, agris cultis ac incultis, et omnibus aliis utilitatibus que nunc apparent vel in posterum poterunt apparere. Excipimus enim homines in eadem hereditate residentes ab omni exactione cuiuslibet solutionis, ac opere servili, a castris firmandis, a naraz, podvorove, pomozne, povelove, povoz, vivoz, strosa, et ab aliis omnibus exactionibus quocumque vocabulo nominentur, exceptis expeditionibus et a defensione terre nostre. Volumus insuper, ut homines iam dicti per nullum citentur, nec citati compareant, nec aliquis eos iudicet, nec palatinus nec castellanus, excepto nobismet ipso vel comite eorum. Ut autem hec nostra donatio inconvulsa maneat et perseverans, presentem paginam nostri sigilli munimine contulimus roboratam. Acta sunt hec publice in claustro Lubin hiis presentibus: venerabili patre nostro domino Iohanne ecclesie Poznaniensis episcopo, domino Floriano abbate, domino Vincentio cancellario, comite Sweneza castellano, comite Mroskone castellano de Bydgost, comite Uneslao subcamerario de Gdanczk, et aliis quam pluribus astantibus viris fidedignis. Scriptum et datum per manum

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

capellani nostri domini Theoderici anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo primo.

Vela Kysseva, *Wielkie Kiszewy, z niemiecka Alt Kischau.* Lubin, *Lubin.*

Nr. 502.

Martinus Pp. IV 1281 Dec. 23, apud Urbem veterem; fratrem Henricum de Brem ecclesiae Gnesnensi in archiepiscopum praeficit et de more commendat.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 162.

Martinus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio fratri Henrico de Brem, electo Gneznensi, salutem et apostolicam benedictionem. Onerosa pastoralis officii summi dispositione pastoris nobis licet immeritis cura commissa sollicita nos pulsat instantia, ut inter cetera que undique negotia confluunt, quibusve noster animus redditur multiplici varietate distractus, ad provisionem ecclesiarum vacantium sollicitius intendamus, ne ipsis pastoris presidiis destitutis, ambulantis in circuitu lupi rapacis astucia earum oves rapiat et dispergat, ne manus avida illarum bona diripiat, iura presumptionis usurpet: ideoque solliciti reddimur, ut eedem ecclesie a pastoribus dirigantur ydoneis, et rectoribus providis gubernentur. Tunc enim puppis salubri processu dirigitur, cum rectoris industrii gubernatione non caret; tunc etiam fructibus ager exuberat, cum sibi cultoris non deest presentia diligentis. Sane dudum Gneznensi ecclesia pastore vacante per obitum bone memorie Martini Gneznensis archiepiscopi, (dilecti filii) Capitulum eiusdem ecclesie convenientes in unum, Wlostiberium ecclesie eiusdem canonicum in archiepiscopum Gneznensem concorditer elegerunt. Postmodum autem, predictis Capitulo supplicantibus felicis recordationis N. Pape predecessori nostro, ut cum idem canonicus, propter inopiam ecclesie prefate ac expensarum defectum necnon et viarum discrimina, non posset commode ad apostolicam Sedem accedere pro sue electionis negotio prosequendo, providere super hoc paterna sollicitudine dignaretur: idem predecessor venerabili fratri nostro.. episcopo Firmano, in illis partibus apostolice Sedis legato, inquisitionem faciendam de modo electionis predicte ac ipsius canonici meritis, per suas litteras sub certa forma commisit. Cumque predictus legatus predictum canonicum ad suam presentiam evocasset, idem canonicus iuri, quod sibi ex electione huiusmodi competebat vel competere poterat, libere ac sponte in manibus legati renuntiavit eiusdem. Nos itaque paterno desiderantes affectu, quod de sponso legitimo et ydoneo provideretur ecclesie memorate, ac attendentes, quod si eius provisio differretur, multis subiceretur periculis et gravia in spiritualibus et temporalibus detrimenta subiret, ad personam tuam, de qua super litterarum scientia, honestate morum, aliisque virtutum meritis laudabile testimonium a fide dignis accepimus, nostre mentis oculos duximus dirigendos, ac te fratrum Minorum Ordinis professorem, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, predicte ecclesie preficimus in archiepiscopum et pastorem, sperantes, quod cum esse dicaris consilio providus, generis nobilitate preclarus ac in spiritualibus et

[illegible]

[redacted]

temporalibus circumspectus, ecclesia ipsa, que hactenus debite defensionis auxilio destituta, direptioni patens et prede gravis desolationis iacturam dicitur incurrisse, tue circumspectionis industria et virtute ad statum debitum restauretur, et optata in spiritualibus et temporalibus suscipiat incrementa. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus impositum a Domino tibi onus devote suscipiens, sic super gregem dominicum tibi commissum noctis vigilias diligenter observes, ut liber invadendi aditus non pateat invasori. Beatus siquidem eris, si Dominus insuspicabili hora venturus, te invenerit sic agentem; quia cursu consumato qui tuo labori proponitur, et horum fide servata que tue sollicitudini committuntur, te immarcescibili corona iustitie decorabit. Datum apud Urbem veterem X Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Gneznensis, clero Gneznensis civitatis et diocesis, episcopis suffraganeis ecclesie Gneznensis, populo Gneznensis civitatis et diocesis, duci Cracovie, duci Polonie, duci Wratislaviensi, *verbis competenter mutatis etc. Datum ut supra.*

Nr. 503.

Secundus Premizl dux Polonie 1282 Febr. 7, in Campno; confirmat comiti Pribislao palatino et fratri eius com. Paulo castellano de Swiecie donationem hereditatum Batkowo et Pakość, olim a Boleslao duce Polonie factam.

Pergam. orygin. Na pasmie nici jedwabn. zielon. przywieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XXI.)

Włocławek. Archiv. Capituli.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio littere, cuius assercio nutrit memoriam et roboratha suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premizl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod inthuentes fidele servicium et utile dilectorum baronum nostrorum, comitis videlicet Pribislay polani (sic) de Suece et fratris sui comitis Pauli castellani eiusdem loci, ipsis et eorum successoribus donacionem racionabilem karissimi patrui nostri, illustrissimi principis domini Bolezlay ducis Polonie, duarum hereditatum que Badkovo et Pacosc wlgariter nuncupantur, iure hereditario in perpetuum confirmamus inviolabiliter optinendas. Absolventes ipsas hereditates ab omni exactione Polonica, que nunc in nostro est dominio et processu temporis poterit exoriri, videlicet a naraz, a povoz, a prevod, a stroza, a podvorove, ab opole, a bove, a vacca, a castri citacione: ita quod incole earundem hereditatum, nisi sint nostro sigillo coram nobis compareant provocati. Homicidium perpetratum per ipsos incolas, ipsi et eorum posteritas in perpetuum percipiant ex integro. Liberum eciam damus arbitrium ipsis et eorum successoribus, dictas hereditates libere donare, commutare, vendere, cuicumque ipsis videbitur expedire. Ut autem supradicti patrui nostri donacio nostraque confirmacio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam. Testes sunt hii: dominus Andreas cancellarius Gneznensis, comes Petreo pincerna Poznaniensis, comes Zegotha venator Kalisiensis, comes Nasan Conarski Kalisiensis, comes Sandivoyus subcame-

[illegible]

[redacted]

rarius Gneznensis. Datum in Campno anno gracie Domini M.CC.LXXXII, sabatho infra octavas Purificacionis sancte Marie, per manus Thilonis notharii nostri.

Suece, *Swiecie.* Badkovo, *Batkowo.* Pacosc, *Pakość.* Conarski, *de Konary.* Campno, *Kępno.*

Nr. 504.

Premisl dux Polonie 1282 Mart. 3,[1] **in civitate Poznan;** confirmat donationem hereditatum Donatowo et Grzymisław, a Vincentio cancellario, Nicolao iudice terrae Poznaniensis et Miroslao subpincerna Kalisiensi fratribus, Sororibus beati Dominici pro claustro in Poznań construendo factam; specialem quoque praedicti Nicolai collationem, qui villas Roszczki, Białokosz et Sokolniki pro eodem deputaverat, ratam habet.

Poznań. Königl. Staats Arch. Relation. Poznaniens. a. 1619, fol. 1628.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Quoniam status hominum est mutabilis secundum varietatem temporum, ne calumpniam sustineant que aguntur legittime, iustum est ut scriptis et sigillis authenticis roborentur. Nos igitur Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis presentibus et futuris presens privilegium inspecturis, quod coram nobis et nostris baronibus constituti dominus Vincentius cancellarius noster, ac fratres eius Nicolaus iudex terre Poznaniensis simulque Miroslaus subpincerna Kalisiensis, pro anima fratris sui beate memorie Bozate duas hereditates, Donatowo videlicet et Grzimislawe, cum iumentis et aliis bonis mobilibus dederunt claustro Sororum beati Dominici, constituendo in civitate Poznaniensi fratrum Ordinis Predicatorum et nostro beneplacito et assensu. Prefatus vero iudex Nicolaus eidem claustro has hereditates addidit, videlicet Rozcino, Balokosse et Sokolniche, cum lacubus et omnibus aliis utilitatibus que in eisdem hereditatibus nunc sunt et in posterum poterunt reperiri. Nos vero patronus et heres eiusdem claustri cum omnibus nostris successoribus existere cupientes, ordinamus et volumus, ut in civitate Poznaniensi idem claustrum construatur ubicunque visum fuerit Fratribus Predicatoribus expedire. Confirmamus igitur iam dictas hereditates claustro superius nominato, dantes in eis plenam libertatem a stroza, a naraz, a podwoda, a powos, a citatione castri, a poradlne, et ab aliis omnibus gravaminibus seu exactionibus secundum iura Polonica institutis, dantes plenam libertatem ipsas in iure Theuthonico vel quocunque alio locandi. Incole eciam predictarum villarum nullique penitus astent iudici, preter iudicem qui a predicto claustro fuerit constitutus; pena autem omnium solucionum, tam pro homicidiis quam aliis culpis omnibus, ad utilitatem eiusdem monasterii convertatur. Quicunque enim homicidium in terminis predictarum hereditatum perpetraverit, vel ubicunque alias inhabitatorem earundem hereditatum quocunque modo leserit vel occiderit, pena pecuniaria ad idem claustrum integre pertinebit. Homines autem earum villarum nec ad expeditionem, nec civitatum municionem seu castrorum edificationem aut fossatorum fossionem in perpetuum tenebuntur; sed in eodem tempore claustro fideliter laborabunt. Ut vero memoratum claustrum aque fluentis solacio pociatur, damus eidem plenam potestatem facere aque ductum per civitatem usque ad claustrum, a nostro videlicet molendino quod est in

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

civitate, usque ad claustrum, nullo penitus resistente. In cuius rei testimonium presentem paginam sigillo nostro fecimus roborari. Acta sunt hec in civitate Poznan anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, quinto Nonas Martii, Indictione nona.

Donatowo, *Donatowo*. Grzimislawe, *Grzymisław*. Rozcino, *w XV wieku Rosciegniewo, Rosciegniewice, dziś Roszczki*. Balokosse, *Białokosz*. Sokolniche, *Sokolniki*.

Nr. 505.

Philippus Firmanus episcop. apostolice Sedis legatus 1282 Apr. 12, in Werat... confirmat decimas monasterio de Łekno quondam a Vincentio archiepiscopo Gneznensi collatas, eisque decimas de novis villis addit.

Pergam. orygin. Dwie dziurki od przywieszenia pieczęci.
Wągrowiec. Archiv. monasterii, Diplomata.

Philippus miseracione divina Firmanus episcopus apostolice Sedis legatus, universis ecclesiarum rectoribus ceterisque Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit salutem in Domino sempiternam. Religiosam vitam eligentibus maiorum convenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur quod absit sacre religionis infringat. Eapropter dilecti in Domino abbas et conventus de Luckna Ordinis Cysterciensis, Gneznensis dyocesis, pro renovacione decimarum, ecclesie sue a Vincentio Gneznensi archiepiscopo confirmatarum, ac confirmacione novalium, a villis antiquis exceptis, quas in presenciarum iuste et quiete possident, humili a nobis supplicacione postulabant. Nos dictos fratres benigno favore amplectentes, ipsorum precibus inclinati memoratas decimas approbando confirmamus. De novalibus vero in silvis et rubetis inposterum excollendis, sive ville de locis suis transponantur seu dividantur, earundem decimas prefatis fratribus de Luckna auctoritate nobis concessa presentis scripti patrocinio conmunimus, decernentes irritum et inane, quidquid contra confirmacionem nostre institucionis a quoquam contigerit attemptari. Hec sunt vocabula novarum villarum que in subscripto continentur: Legenisco, Gavlodovo, Brezna, Goszanovo, Crotochino, Cracoszrz, Buccovz, Camiez et Durove. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostre confirmacionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum in Werat.. (*4 lit. del.*) II Idus Aprilis, anno Domini M.CC. octuagesimo secundo, Indictione decima, pontificatus domini Martini Pape quarti anno secundo.

Luckna, *Łekno*. Legenisco, *Łęgiszewo*. Gavlodovo, *Chawłodno*. Brezna, *Brzeźno*. Goszanovo, *Gocanowo*. Crotochino, *Krotoszyn*. Cracoszrz, *później Krukowityce, osada znikła, przyległa m. Łekno*. Buccovz, *Bukowiec*. Camiez, *Kamniec*. Durove, *Durowo*.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 506.

Bogumilus heres de Gorka 1282 Apr. 21, in Crzywyn; vendit Andreae et Alberto sculteciam in villa Gorka iure Theutonico.

Poznań. Königl. Staats Archiv. Inscription. Costens. a. 1570, fol. 502.

In nomine Domini amen. Cunctorum memoria oblivione deprimitur, que litterarum ac testium munimine non firmantur. Noverint ergo universi tam presentes quam futuri ad quos presens scriptum devenerit, quod nos Bogumilus heres de Gorka, maturo consilio prehabito et ex bona animi nostri deliberacione amicorumque meorum, Andree et Alberto duobus fratribus et eorum successoribus sculteciam nostram in predicta Gorka vendidimus cum duobus mansis iure Teuthonico pro decem marcis usualis argenti, vero iure hereditario in perpetuum libere possidendam. Dantes eis et omnibus collonis in predicta hereditate residentibus infra spacium octo annorum libertatem, excipientes eos ab omni servicio ducali vel senioris terre istius, et ab omnibus expedicionibus, exactionibus et omnibus solutionibus quocunque nomine vocitentur; ita tamen, quod elapsis annis libertatis, predicti sculteti et eorum posteri ad expeditionem totius terre proclamatam cum uno equo valente alteram mediam marcam nobis et nostris progenitoribus servire tenebuntur, sed in nostris expensis. Kmethones vero censum in festo beati Martini solvent de quolibet manso tres mensuras tritici, quatuor siliginis et tres avene, et fertonem pro decima usualis argenti; quem censum predicti sculteti et eorum posteri in eadem villa nostre curie presentare tenebuntur. Damus etiam predictis scultetis et eorum posteris in eadem hereditate tabernam cum duobus hortis, macellum carnis et pistrinam, sutoriam et fabricam libere possidere. Item damus nostris scultetis et eorum posteris unum pratum, sive sit parvum sive magnum, sicut potest fieri inter Sarbino et inter granitiem Ruffi templi, libere possidere. Item damus predictis scultetis et eorum posteris omnimodam facultatem greges bidencium et bicornium expellere ad pascua, que possunt inveniri in predicta hereditate sicut circumferencialiter est situata vel locata. Item damus sepedictis scultetis et eorum posteris silvam ultra eorum mansos, sicut mansi in latitudine et longitudine eorum continentur, lignis, humulo, et quidquid ibi pro suis usibus possunt invenire libere perfrugi. Damus eciam nostris scultetis et eorum posteris de iudicio tercium denarium; nobis et nostris successoribus duos excipimus. Item damus eciam nostris scultetis et eorum posteris iuramentum quod vulgariter nuncupatur przysozne. Item statuimus, quod omnes incole in predicta villa de duobus iudiciis generalibus nobis et nostris successoribus de quolibet iudicio quatuor scottos singulis annis dare tenebuntur; in tercio vero iudicio sculteti et eorum posteri quatuor scottos dare tenebuntur. Item statuimus inter nos et scultetos nostros: cum aliquo homine incole predicte ville fuerint impediti pro aliquo iure seu facto, predicti sculteti dent nobis scire, et cum senciemus a quo fuerint impediti, tunc predicti sculteti ad illos ex parte nostri legationem deferre tenentur in eorum equo proprio, sed in nostris expensis. Item statuimus inter nos et scultetos nostros, quod si ad aliquam expeditionem equum apud eos recipiemus et eundem equum non restituemus, predicti sculteti et eorum posteri nobis et nostris successoribus servire non tenentur tam diu, donec eorum equum non restituemus vel exolvemus. Item statuimus, quod quilibet colonus debet habere triplicem agriculturam, mensurando eam in

[illegible]

[redacted]

latitudine decem virgas et in longitudine quindecim, intra vulgariter dicendo; et super quamlibet agriculturam debet habere vulgariter dicendo po piethnasczie intras, ter numerando. Item statuimus, quod omnes incole ville predicte nobis in festo Pasche de quolibet manso viginti ova et scultetis decem dare teneantur. Eciam in festo Nativitatis Domini, omnes incole dicte ville nobis de quolibet manso duos pullos et tercium scultetis dare tenentur. Item statuimus, quod omnes colloni nobis tribus diebus in anno arrare, et quartum diem laborare in falcatione feni vel in composicione tenebuntur. Ut autem hec ordinacio et vendicio robur perpetue firmitatis obtineat, presentes scribi fecimus et nostri sigilli munimine roborari presentibus hiis testibus: Wlodissone sculteto de Magna Lanka, Wythkone fratre eius, comite Iaroslao de Zamoczino, Woyslao proconsule de Crzywyn et Hanscone concive ibidem, et aliis quam plurimis fide dignis. Datum et actum in Crzywyn in domo Woyslai per manus domini Hermani plebani de Crzywyn, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo secundo, feria tercia proxima ante festum beati Adalberti episcopi et martiris gloriosi.

Gorka, *Górka.* Sarbino, *r. 1548* Skarbno, *osada znikła.* Ruffum templum, *dziś Czerwona wieś.* Magna Lanka, *Wielkie Łąki.* Zamoczino, *Szamocin.* Crzywyn, *Krzywin.*

Nr. 507.

Secundus Premisl dux Polonie 1282 s. d., in Dlusk; confirmat privilegia a ducibus quondam Poloniae Boleslao et Mescone monasterio de Mogilno collata, et insuper nova concedit.

Wilanów. Biblioteka. Rejestr rewizorów do Wielkopolski, fol. 117. — Poznań, Archiv. Consistorii Archiepiscopalis, Lib. privil. fol. 117.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Quoniam ea que in tempore aguntur, labente tempore a memoria evanescunt nisi testimonio et scriptura authentica perennata fuerint, igitur notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris, quod nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie ducti vero pietatis amore, zeli et iusticie habentes memoriam illustris principis pii Boleslay simul cum excellentissimo duce Mescone viam universe carnis ingressorum, pro remedio animarum ipsorum cum summa devocionis diligencia studuimus ipsorum predecessorum privilegia roboracione confirmare roborantes ea ampliori amore, et donationes ipsorum, pro emendacione peccatorum nostrorum et anime nostre in remedium, ex affectu cordis nostri percepte protectionis et in auxilium sacre ecclesie sancti Iohannis Evangeliste in Mogilno summa provisione ducti, statuimus firma et stabili impressione nostri sigilli et memoria perpetuare. Speciali vero et prerogativa dilectione, sancto Iohanni Evangeliste et patrono ibidem, et eius servitori domino abbati Petro et prefato monasterio Mogilnensi, super opuscola instrumentorum ipsorum predecessorum has libertates contulimus cum omnibus utilitatibus et proventibus: omnes villas eorum et incolas ipsarum ab omnibus solucionibus Polonicalibus que nostro dominio dinoscuntur pertinere, videlicet a naraz, a povoz, a prevod, a poradlne, a potvorove, a stroza, a porco, a bove et vacca, ab ove, a theloneis, angariis et preangariis, ab exactionibus, pensionibus, prestacionibus, et ab omni iugo tributorie servitutis quocumque vo-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

cabulo censeantur, et generaliter ab omnibus solucionibus que nunc sunt vel in posterum possunt exoriri misericorditer absolventes. Item volumus, quod omnes ville ipsorum cum hominibus a citatione castri sint penitus liberi et exempti; ita tamen, quod nec ad presenciam palatini nec alicuius castellani evocabuntur nec eciam citati comparebunt, sed tantummodo per litteram nostro sigillo sigillatam evocati in nostra presencia comparebunt. Insuper homicidia inter duos ascripticios et inter duos liberos, sive ex una parte liberi et ex altera ascripticii villarum, supradicte domui per totum cedant et ecclesie sepedicte. Ut autem hec nostra donatio et confirmacio privilegiorum nostrorum predecessorum robur obtineat perpetue firmitatis, presentem paginam fecimus nostri sigilli munimine roborari, subnotatis testibus, videlicet comite Beniamin palatino Poznaniensi, comite Predslao castellano Gneznensi, comite Andrea iudice Gneznensi, comite Bossata castellano Landensi, Vincencio cancellario preposito Poznaniensi, et aliis plurimis fide dignis. Actum et datum in Dlusk anno Domini M.CC.LXXX secundo.

Mogilno, *Mogilno.* Landensis, *de Ląd.* Dlusk, *Dłusk.*

Nr. 508.

Philippus Firmanus episcop. apostolice Sedis legatus 1282 Jun. 2, apud Velun; litteras, quas **Urbanus Pp. IV 1262 Apr. 27 Viterbii** monasterio de Ołobok dederat, transsumi facit.

Pergam. orygin. Na sznurze jedwabn. czerwon. okręconym niciami jedwabiu żółtego, zawieszona pieczęć podługowata z wosku żółtego, na któréj pokład wosku czarnego z wyciskiem wyobrażającym osobę w przybraniu biskupiem, z prawicą wzniesioną do błogosławienia; lewica wsparta o pastorał. Napis: S. Philippi Dei Gra... Romani.

Poznań. Towarzystwo Przyjaciół Nauk. Diplomata.

Universis presentes litteras inspecturis, Philippus miseracione divina Firmanus episcopus apostolice Sedis legatus salutem in Domino. Tenorem quarundam litterarum felicis recordacionis domini Urbani Pape quarti, prout sub ipsius vera bulla perspeximus contineri, de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari; qui quidem tenor talis est: *(Sequitur diploma Nr. 398).*

In cuius rei testimonium presentes concessimus litteras, sigilli nostri appensione munitas. Datum apud Velun anno Domini M.CC.LXXXII, Indictione decima, quarto Nonas Iunii, pontificatus domini Martini Pape IIII anno secundo.

Velun, *Wieluń.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Nr. 509.

Secundus Premizl dux Polonie 1282 Jun. 6, in Calis; concedit 7 mansis ad hospitale s. Spiritus in Kalisz pertinentibus plenam libertatem, et insuper hospitali praedicto multiplicia privilegia largitur.

Transsumpt orygin., potwierdzony przez: Wladislaus dux regni Maioris Polonie 1299 Dec. 30, in Kalis.

Kalisz. Archiw. Rządowe, Diplomata. — Warszawa, Archiw. Główne, Ks. M. 59, fol. 103.

In nomine Domini amen. Humani generis actiones memoria perpetua indigentes plerumque ab hominum noticia dilabuntur, que scripturarum seu testium munimine non renovantur. Igitur nos secundus Premizl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod ob honorem Dei et sancti Spiritus, et eciam condignas peticiones venerabilis patris Philippi Firmani episcopi apostolice Sedis legati pio prosequentes affectu, de nostra non ficta voluntate et pro salute nostra nostrorumque progenitorum, hospitali sancti Spiritus in civitate Calissiensi sitto, super septem mansos ad iam dictum hospitale pertinentes plenam damus et conferimus libertatem iure hereditario possidendam; ita tamen, quod dicti mansi cum omnibus utilitatibus modo habitis et imposterum accrescentibus, dicto hospitali tenebuntur perpetuo deservire. Volumus eciam, ut iam dictum hospitale cum civitate Calissiensi et villa Thynecz tam in lignis quam in pascuis ac aliis utilitatibus consimili gaudeat libertate. Piscatorem eciam eidem tenere concedimus hospitali. Cum igitur pro salute nostra dictum hospitale in nostram tutelam recepimus specialem, volumus ut ipsum hospitale nullus hominum audeat violenter perturbare. Volumus eciam, ut preceptor in omnibus proprietatibus dicti hospitalis, in presenti habitis et inposterum habituris, iudicare habeat omnes causas eiusdem iudicii, penas et utilitates plenarie percipiendo. Ut autem nostra donacio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam. Si quis autem de nostris terrigenis temerarie nostra facta racionabilia violare presumpserit, nostram se senciat indignacionem incurrisse. Datum in Calis anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo secundo presentibus hiis: domino Andrea cancellario et archidiacono Calissiensi, domino Gabriele preposito sancti Georgii, Henrico advocato Calissiensi, Conrado scultcto de Thynecz institore, et aliis quam pluribus fidedignis. Datum per manus Tilonis notarii curie nostre VIII Idus Iunii.

Thynecz, *Tyniec.* Prepositus s. Georgii, *sc. de Gniezno.*

[illegible]

[redacted]

Nr. 510.

Philippus Firmanus episcop. apostolice Sedis legatus 1282 Jun. 11, apud Velun; confirmat privilegium quod dederant coenobio de Ołobok: **Premisl et Boleslaus fratres uterini duces Polonie 1283 Mai. 11, in Gnezna.**

Kalisz. Archiw. Rządowe. Inscription. castrens. Calissiens. a. 1641 lib. 24, fol. 336 v. (Kopia z pergam. orygin. opatrzonego pieczęcią).

Philippus miseracione divina Firmanus episcopus apostolice Sedis legatus, religiosis dominabus abbatisse et conventui monasterii de Olobok Gneznensis diocesis, Cisterciensis Ordinis, salutem in Domino. Cum a nobis petitur quod iusticie et honestati consentaneum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem nostri officii ad debitum perducatur effectum. Exhibita pridem nobis vestra petitio continebat, quod bone memorie Premisl et Boleslaus fratres uterini, quondam duces Polonie, provida deliberatione pensantes et vestram et dicti monasterii vestri indigenciam et paupertatem, nonnullas libertates, facultates, exemptiones, immunitates, donationes et concessiones, vobis, monasterio et hominibus vestris in nonnullis villis, terris, possessionibus, foris et bonis ipsius monasterii, pro suorum predecessorum et successorum suorum animarum remedio in perpetuam eleemosynam concesserunt, fecerunt ac etiam contulerunt, prout in privilegio inde confecto, ipsorum ducum et pie recordationis Fulconis archiepiscopi Gneznensis sigillis munito, cuius tenorem de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, plenius continetur. Nos autem iustis vestris postulacionibus inclinati, quod ab eisdem ducibus super his provide factum est ratum habentes et gratum, id auctoritate qua fungimur confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmacionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Tenor vero dicti privilegii talis est: *(Sequitur diploma Nr. 311).*

In cuius rei testimonium presentem concessimus paginam, sigilli nostri appensione munitam. Datum apud Velun tercio Idus Iunii, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, Indictione decima, pontificatus domini Martini Pape quarti anno secundo.

Olobok, *Ołobok.* Velun, *Wieluń.*

Nr. 511.

Premisl secundus dux Polonie 1282 Jun. 11, in Kalis; innovat privilegium locationis civitatis Kalisz iure Novi fori, Henrico advocato eiusdem civitatis antea datum.

Transsumpt potwierdzony przez: Vladislaus dux regni Polonie 1298 Sept. 9, in Kalis.
Kalisz. Archiw. Rządowe. Inscript. Castrens. Calissiens. a. 1546 Lib. 4, fol. 116.

In nomine Domini amen. Humani generis actiones memoria perpetua indigentes plerumque ab hominum notitia dilabuntur, que scripturarum seu testium munimine non renovantur. Igitur nos Premisl secundus, Dei gratia dux Polonie, notum

[illegible]

facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod intuentes fidele servitium et utile dilecti et fidelis nostri advocati Kalisiensis Heynrici, et etiam statum terre nostre cupientes in melius reformare, locationem eiusdem civitatis, quam a serenissimo patruo nostro felicis recordationis domino Boleslao Dei gratia duce Polonie iure hereditario pro se suisque successoribus rite ac rationabiliter comparavit, iam dicto advocato et suis posteris perpetuo possidendam innovamus nostro privilegio confirmantes; ita videlicet, quod dictus advocatus ex omni parte civitatis nostre Kalis ad duo milliaria locationem habeat eo iure, quo civitates et ville Novi fori in suis legibus potiuntur, sextam marcam in singulis locationibus quas locaverit, iure hereditario libere possidendo. Annis vero libertatis expiratis, de quolibet manso fertonem argenti usualis, quatuor mensuras tritici, quatuor siliginis, quatuor avene pro censu, et cui cedit decima, persolventur. Ratione autem sue locationis unum molendinum in Pywniz liberum ac integrum possidebit. Molendinum vero ante civitatem Kalisiensem situm, per medium eidem deserviet advocato; ita tamen, quod de dicto molendino nobis una, et advocato alia marca singulis annis censualiter proveniet. Quodquod autem molendina idem advocatus infra miliare in ascensu Prosne fluminis et descensu construxerit, nobiscum per medium dividentur. In civitate autem Kalis dictus advocatus sextam curiam, sextum hortum, tria balnea et alia que construi poterint, curiam pro peccoribus mactandis, unum piscatorem, sextam cameram theatri, macella carnificum, sutorum et pistorum, et tres mansos liberos pro allodio in Borkow, perpetuo cum suis heredibus pacifice possidebit et quiete. Piscaturam circa Piwonice et hortum liberum, pratum circa antiquam civitatem, et ibidem unum hortum liberum perpetuo possidebit. Item, cuiuscunque conditionis fuerit homo, adstabit in Kalis advocati iudicio; qui iudicare habet omnes causas magnas et parvas, utpote homicidia, mutilationes, exustiones, et omnes alias que poterunt exoriri, quocumque mediante querimonia coram ipso fuerit recitata: et quicunque renuerit et nostrum iudicium spreverit, sciat se nostram indignationem graviter incurrisse. Tertium etiam denarium cum suis coheredibus perpetuo possidebit de re qualibet iudicata. Ville vero que in districtu predicte civitatis sunt sitte, videlicet Tlokina, Tyniec, Borkowo, Russowo, Kokanino, Maykowo, Piwonice, Dobrzec, et adhuc omnes situande, intererunt provinciali iudicio ter in anno. Antiqua etiam civitas suberit iudicio advocati. Targowe vero in nova et antiqua civitate in perpetuum non solvetur, sed pro huiusmodi solutione, pariter ex tabernis castellanus duodecem marcas percipiet in moneta. Taberne per milliare non erunt, exceptis que sunt ecclesiarum Forum vero in Kalis secunda feria celebretur; cetera vero omnia iura sicut in Novo foro in Kalis firmiter observentur. Ut autem nostra innovatio similiterque confirmatio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam presentibus his testibus: comite Cechoslao pincerna Kalisiensi, comite Zegota venatore Kalisiensi, comite Sandivogo subcamerario Kalisiensi, comite Nicolao subdapifero Kalisiensi, Phalisio procuratore Kalisiensi. Datum in Kalis anno gratie Domini millesimo ducentesimo octuagesimo secundo per manus Tilonis notarii curie nostre, tertio Idus Iunii, Indictione decima.

Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szląsku.* Pywniz, *Piwonice.* Borkow, *Borkowo.* Antiqua civitas, *Stare miasto Kalisz*, gdzie z dawnego grodu pozostały wysokie nasypy, na których znajdują się gruzy z łupanych i obrabianych kamieni. Tłokinia, Tyniec, Russów, Kokanin, Majkow, Dobrzec, *dziś tak samo.*

Nr. 512.

Secundus Premizl dux Polonie 1282 Jul. 28, in Lubin; protestatur, Nicolaum filium quondam Voynonis sortem hereditatis Wieszkowo monasterio de Lubin vendidisse.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci.
Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B, 23.

In nomine Domini amen. Humani generis actiones memoria perpetua indigentes plerumque ab hominum noticia dilabuntur, que scripturarum seu testium munimine non renovantur. Nos igitur secundus Premizl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod reverendus pater dominus Martinus abbas Lubinensis a Nicolao filio quondam Voynonis emit sortem unam, sitam iuxta hereditatem domus Lubinensis Veskovo, que eciam sors Weskovo vulgariter nuncupatur, pro decem marcis argenti usualis, quam sortem idem Nicolaus in nostra nostrorumque baronum presencia domui Lubinensi porrexit iure hereditario in perpetuum possidendam; ita videlicet, ut nullus de suis successoribus vel cognatis ipsam redimere vel repetere presumat in perpetuum nullo modo. Ut autem dicti domini abbatis M. racionabilis empcio nostraque protestacio perpetuo inviolabiliter perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam presentibus hiis testibus: comite Boguslao castellano de Usce, comite Iacobo castellano de Rogozna, comite Sandivoyo subcamerario Poznaniensi. Datum in Lubin anno gracie Domini M.CC.LXXXII. V Kalendas Augusti per manus Thilonis notarii curie nostre.

Lubinensis, *de Lubin.* Veskovo, *Wieszkowo.* Usce, *Ujście.* Rogozna, *Rogoźno.*

Nr. 513.

Secundus Premizl dux Polonie 1282 Jul. 28, in Lubin; confirmat commutationem hereditatis monasterii de Lubin dictae Maryszewo, pro Irka, hereditate Stephani castellani de Krobia.

Pergam. orygin. Nici jedwabne czerwone, pieczęci nie masz.
Poznań. Königl. Staats Arch. Lubin 4.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premizl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam intuentibus, quod in nostra nostrorumque baronum presencia reverendus pater dominus Martinus abbas sancte Marie de Lubin, cum honorabili viro comite Stephano castellano Crobensi, filio quondam comitis Scedrici castellani de Criwin, talem fecit super quibusdam hereditatibus racionabilem commutacionem sub hac forma: quod dictus dominus abbas M. pro domo Lubinensi ab eodem comite Stephano commutavit hereditatem que Marissevo wlgariter nuncupatur, iure hereditario perpetuo possidendam, pro hereditate domus supradicte que Girka dicitur in

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

wlgari. Ut autem supradictorum virorum nobilium racionabilis commutatio nostraque protestatio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli muniimine duximus confirmandam presentibus hiis testibus: comite Boguslao castellano de Usce, comite Iacobo castellano de Rogozna, comite Sandivoyo subcamerario Poznaniensi. Datum in Lubin anno gracie Domini M.CC.LXXX.II, V Kalendas Augusti, per manus Thilonis notarii curie nostre.

Lubin, *Lubin.* Crobensis, *de Krobia.* Criwin, *Krzywin.* Marissevo, *osada znikła, graniczyła z Irką.* Girka, *Irka.* Usce, *Ujście.* Rogozna, *Rogoźno.*

Nr. 514.

Secundus Premizl dux Polonie 1282 s. d., in Grabonog; protestatur, comitem Stephanum castellanum de Krobia, hereditatem suam Maryszewo cum villa monasterii de Lubin dicta Irka commutasse.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia dwóch pieczęci.

Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B, 24. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 62.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premizl Dei gratia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra nostrorumque baronum presencia, honorabilis vir dominus Martinus abbas de Lubin cum comite Stephano castellano Crobensi talem fecit commutacionem hereditatum, quod idem comes Stephanus hereditatem suam Marisevo nuncupatam domino abbati superius nominato porrexit pro Girka sub hac forma, quod sepius dictus Stephanus rivulum fluentem inter Girkam et Marisevo integraliter possidebit. In huius rei testimonium, presentem litteram nostro sigillo et domini abbatis de Lubin et conventus ibidem curavimus confirmare. Datum in Grabonog anno gratie Domini M.CC.LXXXII presentibus hiis testibus: comite Boguslao castellano de Usce, comite Borislao castelano de Zun, comite Sandivogio subcamerario Poznaniensi, per manus Thilonis notharii nostri.

Lubin, *Lubin.* Crobensis, *de Krobia.* Marisevo, *osada znikła, graniczyła z wsią Irka.* Girka, *Irka.* Grabonog, *Grabonog.* Usce, *Ujście.* Zun, *Żoń.*

Nr. 515.

Philippus Firmanus episcop. apostolice Sedis legatus 1282 Aug. 9, apud monaster. Henricov; committit Priori provinciali fratr. Praedicatorum de Polonia, ut de quolibet conventu suae provinciae unum fratrem maturiorem et honestiorem eligat, qui quaedam graviora peccata loco episcopi absolvere possit.

Fr. Piekosiński. Kod. dyplom. Małopolski. (Z pergam. orygin., od którego pieczęć oderwana).

Philippus miseracione divina Firmanus episcopus apostolice Sedis legatus, religioso viro et amico in Christo carissimo fratri.. Priori provinciali fratrum Predi-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

catorum in Polonia, salutem et sincere in Domino caritatis affectum. Zelum animarum habentes earumque periculis occurrere paterna sollicitudine intendentes et de ipsarum cogitantes salute, vobis, de cuius fide ac circumspeccione plenam in Domino fiduciam obtinemus, presencium tenore qua fungimur auctoritate committimus, ut cum propter latitudinem ac diffusionem diocesum, episcoporum occupaciones multiplices, viarum discrimina et alias plures causas, episcopi ipsi dioceses suas, prout suarum et subditorum expediret animarum saluti, eosdem suos subditos visitare, vel subditi ipsi ad eosdem episcopos pro diversis casibus atque articulis, tam de iure communi quam per nostras et synodales constituciones solis pontificibus reservatis, tute vel commode non possint accedere, et sic multi remaneant in peccato vel ex hiis causis sine absolucione decedant: tales vos et aliqui maturiores et honestiores fratres, unus videlicet pro quolibet conventu dicte provincie, quos ad hoc discrecione previa duxeritis eligendos, de casibus omnino occultis, videlicet incestibus, adulteriis, peccato contra naturam, procuratis aborcionibus, maleficiis et in... itacionibus atque sacrilegiis possitis absolvere et numerum agere cum eisdem, imposita eis pro culpe merito prout vos et ipsi fratres expedire videritis penitencia salutari, et iniuncto ipsis secundum diversitatem casuum, quod de iure talibus fuerit iniungendum. Prohibemus autem, ne hoc publicetis inter fratres; sed sigillatim dicatis cuilibet illorum quos ad hoc duxeritis eligendos: quia si hoc fieret, posset aliquando inter prelatos et vos scandalum suboriri, quod omnino volumus evitari. Huiusmodi autem concessionem volumus perdurare, nisi per prelatos communiter, vel per aliquos eorum singulariter vel specialiter, vobis seu electis ad hoc fratribus aut eorum aliquibus dicta potestas fuerit interdicta. Datum apud monasterium de Henricov V Idus Augusti, Indiccione decima, pontificatus domini Martini Pape IIII anno secundo.

Henricov, *dziś z niemiecka Heinrichau.*

Nr. 516.

Secundus Premizlo dux Polonie 1282 Nov. 5, in Poznan; confirmat donationem proprietatum Kwarczan et Wielawieś, quondam ab avo suo Wladislao duce Poloniae Domui militiae Templi factam, ipsasque amplis libertatibus munit.

Transsumpt potwierdzony przez: Conradus episcop. Lubucens. 1284 Nov. 13, s. l. *Wohlbrück. Gesch. d. ehemal. Bisthums Lebus I, p. 145.*

— — nos secundus Premizlo Dei gratia dux Polonie notum facimus, — quod — — eam donacionem, quam avus noster illustris princeps dominus Vlodislaus dux Polonie de consensu dilecte consortis sue domine Hadwigis et filiorum suorum, domini Premizlii patris nostri karissimi necnon domini Bolezlay patrui nostri dilecti, venerabili domui milicie Templi fratribusque ad eam pertinentibus super proprietatibus inferius notatis vite sue temporibus racionabiliter fecerat, Quarczano videlicet et Velaves cum eorum omnibus attinenciis et proventibus —, de nostra non ficta voluntate et salubri habito nostrorum baronum consilio innovamus nostris privilegiis stabiliter confirmantes, ita videlicet, quod iam dicte proprietates domus Templi ab omnibus exactionibus Polonicis et Theutonicis nobis et nostris baronibus pertinentibus, et omnes ville ipsis subiacentes, perpetuo sint penitus absolute a stroza, a na-

raz, a povoz, a prevod, a podvozne (sic), a castri citatione, a bove, a vacca; nulli eciam castellano subiacere teneantur. Homicidium perpetratum inter incolas et terminos dictarum proprietatum, fratres domus Templi pro se tantum, exclusis omnibus aliis, percipiant ex integro; iudicare eciam habeant omnes causas parvas et magnas, eiusdem iudicii fructus integraliter percipiendo. Ipsas vero proprietates perpetuo absolvimus ab omnibus exactionibus que nunc sunt et processu temporis poterunt exoriri, quocunque nomine censeantur, sicut in privilegio avi nostri dicti superius continetur. — — Datum in Poznan anno gratie Domini M.CC.LXXX.II, Nonas Novembris.

Quarczano, *z niemiecka Quartschen.* Velaves, *późniéj z niem.* Grossendorf, *praeceptorium Templariuszów, osada znikła.*

Nr. 517.

Johannes episcopus Poznaniens. 1282 Nov. 6, in Censzim; commutat villam ecclesiae suae dictam Ratyń, cum villa monasterii de Ląd nomine Skarboszewo, et limitationem quarundam villarum utriusque partis statuit.

Transsumpt oryg. potwierdzony przez: Andreas episcop. Poznaniens. 1298 Apr. 25, in Censzim.

Poznań. Archiv. Capituli I, 8.

In nomine Domini amen. Cum memoria hominis una cum homine decidat et arescat, expedit ut gestarum rerum series inscribatur litteralibus documentis, ut pro eis que a memoria revolvuntur, recurramus tamen ad speculum vel exemplar. Hinc est quod nos Iohannes Dei gratia episcopus Poznaniensis una cum consensu Capituli nostri Poznaniensis notum esse volumus omnibus presentem litteram inspecturis, quod inter nos et viros religiosos, dominum abbatem et conventum de Lenda Cistersiensis Ordinis, talis contractus sive commutatio villarum intervenit: videlicet, quod nos ipsi domino abbati et conventui villam nostram Dratinam vulgariter nuncupatam dedimus sive commutavimus pro villa eiusdem abbatis et conventus Scarboszevo, addentes littus de villa nostra Slupcza molendino ipsorum quod est super rivulum Virbecz, eo quod predicta eorum hereditas Scarboszevo esse amplior videretur, cum omnibus utilitatibus, piscationibus et aliis que in ipsius molendini stagno poterint inveniri, et viam ad ipsum molendinum ac terram de predicto littore pro stagno reparando concessimus fodiendam. Preterea, quidquid ambiguitatis super aliis villis nostris: Golcovici, Czeczici et Policzko, et villa ipsius domini abbatis et conventus Iarosino nominata excitatum fuerat et exortum, taliter duximus complanandum, quod illi termini sive limites predictarum villarum deberent per medium dividi, in quibus maior esse ambiguitas videtur. In cuius rei robur et memoriam, presentem litteram nostro et nostri Capituli sigillis fecimus roborari. Datum in Censzim anno Domini MCC octogesimo secundo, octavo Idus Novembris, presentibus hiis: domino Thoma procuratore et cantore Poznaniensi, magistro Miroslao canonico Gneznensi, magistro Rinerio Gneznensi canonico, domino Valtero capellano curie ipsius domini episcopi et Vlostone scriptore.

Lenda, *Ląd.* Dratina, *Ratyń.* Skarboszewo, Slupca, Wierzbiec rivulus, *dziś tak samo.* Golcovici, *Gołkowo.* Czeczici, *Dziedzice.* Policko, Iaroszyn, *dziś tak samo.* Censzim, *Ciążyń.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Nr. 518.

Premisl dux Maioris Polonie 1282 Nov. 22, in Poznan; roborat donationem hereditatis Trzuskotowo, cum aliis adiacentibus a comite Archenboldo palatino Kalisiensi coenobio de Owińska collatae, et incolas earum pluribus privilegiis munit.

Poznań. Towarzystwo Przyjaciół Nauk. Owińska, privil. Nr. 4.

In nomine Domini amen. A memoria facta mortalium cicius elabuntur, que testibus et scriptis posterorum notitie non traduntur. Proinde noverint universi fideles Christi presentes et posteri hanc paginam inspecturi, quod nos Premisl Dei gracia dux Maioris Polonie fatemur et protestamur, nobilem virum comitem Archenboldum nostrum palatinum Kalisiensem, ob amorem Dei sancteque Marie virginis matris eius, cum nostro consensu et favore, domui ac conventui sanctimonialium feminarum in Owensko contulisse hereditatem que vulgariter Troskotowo nuncupatur, cum aliis adiacentiis in eodem confinio et ambitu, quas pecunia et suis fidelibus servitiis comparavit, que sic vocantur: Pustolczino, Iancze et aliud Iancze, Bnowo, Zniczolowo et Obrambice, ob remedium anime sue et uxoris eius iam defuncte, que ibidem in ecclesia est honorifice tumulata, et aliorum charorum suorum defunctorum ceterorumque adhuc viventium seu mortuorum, cum omni iure et utilitate, videlicet silvis, nemoribus, pratis, pascuis, agris cultis et incultis, stagnis, piscaturis, aquarum decursibus, molendinis, et aliis omnibus usibus qui nunc sunt in eis vel in posterum possint provenire subtus terram vel super terram, cum terminis antiquitus assignatis, secundum quod eas consvevit ipsemet libere possidere. Libertas autem et exempcio prescriptarum hereditatum in unum coniunctarum est: ut incole coram nullo castellano citentur, nec citati respondeant alias quam coram iudice domus prenotate. Quod si eciam homicidia fuerint inter incolas eosdem, nullus penam recipiet nisi domus. Si vero ibi homo alienus cuiuscunque occisus fuerit ab incolis memoratis, predicta domus solucionis fructum integraliter assequetur. Excepti sunt eciam iidem incole ab edificacione ac firmatione custodiaque castrorum, insuper ab exactionibus naraz, podworowe, powolowe, chlodnice, powoz, wywoz, pomostne (sic), et ab aliis omnibus solutionibus, quibuscunque vocabulis nominentur. Ut autem hec eius donatio nostraque protestacio robur perpetue firmitatis obtineat et inconvulsa in perpetuum perseveret, presentem paginam prefate domui sigilli nostri et venerabilis patris domini Iohannis Poznaniensis episcopi, nec non eiusdem comitis Archenboldi dedimus communitam. Eius vero donationis ac nostre protestacionis hii sunt testes: prefatus dominus Iohannes Poznaniensis episcopus, comes Thomislaus castellanus Poznaniensis, dominus Vincencius cancellarius Poznaniensis, comes Sandivogius castellanus de Mezyrecz, comes Syrzicius (sic) castellanus de Drezen, comes Sandivogius succamerarius Poznaniensis. Datum in Poznan anno gracie Domini millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, in die sancte Cecilie virginis, per manus Thilonis notarii curie nostre, Indictione decima.

Owensko, *Owińska.* Troskotowo, *Trzuskotowo.* Pustolczino, Iancze, Bnowo, Zniczolowo, Obrambice, *osady znikłe.* Mezyrecz, *Międzyrzecz.* Drezen, *Drzeń, dziś Drezdenko.*

Nr. 519.

Secundus Pzremislaus dux Polonie 1283 Mart. 7, Poznan; concedit civibus de Poznań, mercimonia ducentibus, libertatem a teloneo per totum suum dominium.

Lwów. Biblioteka Baworowskich. Lib. privil. civitatis Poznan fol. 15v.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et accio littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Pzremislaus Dei gracia dux Polonie notum facimus universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod bona deliberacione habita et nostrorum baronum consilio, statum nostre civitatis Poznan, que proxima parte in nichillum redegit (sic), cupimus in melius reformare. Honorabilium nostrorum ibi civium degencium attendentes precibus, omnes cives nostros dilectos, in iam dicta civitate nostra manentes, perpetuo per universum nostri dominii districtum, ad quamcumque partem se transtulerint pro suis mercimoniis peragendis, ab omni absolvimus thelonei exaccione; ita ut nullus de nostris vel nostrorum terrigenarum thelonariis ipsos in perpetuum presumat nullomodo molestare ab eis theloneum exigendo. Si quis vero presumptuosus inventus fuerit et nostris factis racionabilibus contrarius, qui ausu temerario ipsos presumeret perturbare, ablata restituet et nostram se senciat indignacionem irrecuperabilem incurrisse. Ut autem nostra racionabilis donacio simulque confirmacio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam. Datum et actum Poznan anno gracie Domini millesimo CC.LXXX.III, Nonas Marcii, per manus Tylonis notarii curie nostre.

Nr. 520.

Secundus Premisl dux Polonie 1283 Mart. 28, in Poznania; dat Bartholomaeo civi Poznaniensi pro hereditate ipsius Żabikowo, partem villae suae Winiary et 5 macella in civitate Poznań.

Warszawa. Archiw. Główne. Ks. M. 21, fol. 64.

In nomine Domini amen. Cum vivit litera vivit et actio litere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod dilecto civi nostro Poznaniensi Bartholomeo pro sua hereditate Zabicow et nostre saluti satisfacere cupientes, de nostra non ficta voluntate et salubri habito nostrorum baronum consilio sibi suisque successoribus legittimis damus quatuor mansos in Vinari villa nostra, liberos ab omni exactione et solucione, ita videlicet: a curru, a censu, a vicinia, a poradlne, et ab aliis omnibus exactionibus, que nunc ibi sunt et processu temporis poterint exoriri. Quod nulli penitus obediat de mansis supradictis, ipsos in perpetuum iure hereditario possidendo pacifice et quiete. Adiungentes eidem Bartholomeo et suis successoribus in civitate nostra Poznaniensi quinque maccella carnificum, ad quemcunque locum transferentur, libera

in perpetuum possidenda; dantes eidem eciam et suis posteris, supradictos quatuor mansos et quinque maccella libere vendendi, donandi, commutandi, prout ipsis procedente tempore videbitur expedire. Ut autem nostra donatio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam presentibus hiis: comite Nicolao iudice Poznaniensi, domino Theodrico lectore. Datum in Poznania anno gracie Domini millesimo ducentesimo octuagesimo tercio, in dominica Letare, per manus Thilonis notarii curie nostre.

Zabicow, *Żabikowo.* Vinari, *Winiary.*

Nr. 521.

Secundus Premisl dux Polonie 1283 Apr. 24, Gnezne; concedit monasterio de Łekno in hereditate ipsius Panigrodz forum celebrare, et libertatem iuris Theutonici ibidem renovat.

Kopia z pergaminu orygin., u którego przywieszona była pieczęć na sznurku jedwabnym czerwonym.

Wągrowiec. Archiv. monasterii. Protocollum 2dum, fol. 36.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod ob reverenciam Dei et sancte matris Ecclesie ac beate Marie virginis, nec non patris reverendi domini Petri abbatis de Lukna sociusque conventus ibidem fratrum commorantium, et eciam nostrorum progenitorum facta salubria pio prosequentes affectu, in hereditate domus prefate que Pangrodz vulgariter nuncupatur liberam conferimus auctoritatem forum celebrandi, omni libertate plenum. Confirmamus et renovamus ibidem libertatem iuris Theutonici, eo ordine, quo omnes civitates per districtum nostri dominii possident; dantes eisdem potestatem plenariam iudicandi omnes causas magnas et parvas, utpote mutilationes membrorum, exustiones, homicidia, furta, effusionem sanguinis, sacrilegia, et alias omnes que ibi possunt processu temporis exoriri, earumdem causarum fructus integraliter percipiendo: ita ut nemo nostrorum iudicum aut castellanorum vel cuiuscunque racione beneficii, ad ipsam hereditatem in perpetuum respectum aliquem valeat obtinere. Colonos predicte hereditatis a triginta modiis avene, quos nobis aliquando ex promisso solvere tenebantur, omnino duximus absolvendos. Volumus, ut apud prefatos ius Maideburgense in omnibus observetur. Ut autem hec nostra donacio simulque confirmacio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam presentibus hiis testibus: comite Andrea iudice, comite Zbiludo castellano de Nakil, comite Boguslavo castellano de Usze, domino Gabriele preposito sancti Georgii. Datum Gnezne anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo tercio, in crastino beati Adalberti, per manus Thilonis notarii curie nostre.

Lukna, *Łekno.* Pangrodz, *Panigrodz.* Nakil, *Nakło.* Usze, *Ujście.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 522.

Jacobus archiepiscop. Gnezdnensis 1283 Apr. 26, in Gnezdna; commutat decimas in Ratyń, Osiecza et Głowiewo, cum decimis monasterii de Ląd in Choceń, Gizałki, Biała et Grabienice.

Poznań. Königl. Staats Arch. Ląd, Lib. privil. B, Nr. 40. —

In nomine Domini amen. Nos Iacobus divina miseracione archiepiscopus Gnezdnensis ecclesie notum esse volumus universis presencium noticiam habituris, quod cum solicitudo pastoralis officii nos admoneat, ut pauperum opibus consulentes, non solum in spiritualibus, verum eciam pro nostre possibilitatis modulo in rebus temporalibus ecclesiarum nobis creditarum et eciam ecclesiasticarum personarum commodis debeamus et utilitatibus providere, nos iniunctum nobis debitum mera volentes intentione persolvere, attendentes eciam, quod hi quidem poterunt devotius Domino famulari quos extrinseca cura de victualibus non punget, religiosorum virorum fratrum de Landa Cisterciensis Ordinis paterna ut pium est sollicitudine miserantes, de nostri Capituli consensu decimas nostras in tribus villis, quarum nomina sunt Drethina, Osecha, Glowewo, eis et eorum domui perpetuo tribuimus, eo quod eis adiaceant et quod eas commodius convertere poterunt ad suum commodum et ad usum. In recompensationem autem decimarum ipsarum quas eis tribuimus, alias decimas in Hodzna, in Gizino, in Bala et in Grabieniche, dictorum fratrum domui pertinentes, ita ab ipsis fratribus integre recipimus, sicut eciam eis nostras decimas integre et liberaliter assignavimus et tenore presencium assignamus, videlicet prout eedem decime modo sunt et in posterum esse possunt. Quoniam autem de decimis quas ab eis recepimus hic fecimus mencionem, dicimus, quod tam super iisdem decimis quam aliis bona privilegia antecessorum nostrorum vidimus, et intelleximus, quod ipsi fratres dictas decimas et alias hucusque ex donacione antecessorum nostrorum ut diximus licite possederunt; unde, in signum permutacionis decimarum ipsarum et in signum confirmacionis privilegiorum ipsorum, presentem litteram nostro et Capituli nostri sigillis mandavimus communiri. Actum in Gnezdna anno Domini M.CC.LXXX.III, sexto Kalendas Maii, presentibus hiis dominis: Wlostiborio preposito, Goslao decano, Philippo archidiacono, Gabriele cantore, Alexandro custode Gnezdnensibus; Iohanne preposito, Petro decano, Nicolao cantore, Iosepho custode Lanciciensibus, et aliis quam plurimis fidedignis.

Landa, *Ląd.* Drethina, *Ratyń.* Osecha, *Osiecza.* Glowewo, *Głowiew.* Hodzna, *Choceń.* Gizino, *Gizałki.* Bala, *Biała.* Grabieniche, *Grabienice.*

Nr. 523.

Mistiwogius Pomoranie dux 1283 Jul. 26, in Svecze; dat ecclesiae de Włocławek portum maris, Morze dictum, et complures villas eidem adiacentes, multis privilegiis a se munitas.

T. Działyński. Lites ac res gestae I, pag. 91.

In nomine Domini amen. Notum sit omnibus presentibus et futuris, quod nos Mistiwogius Dei gracia Pomoranie dux, ob amorem Dei omnipotentis et matris ipsius beate Marie virginis ac in remissionem nostrorum peccaminum, nec non et propter fidele servicium venerabilis in Christo patris domini Alberti ecclesie Wladislaviensis episcopi, et fratrum ipsius Capituli Wladislaviensis orationum obtentum, dedimus eisdem episcopo et Capitulo ac successoribus ipsorum pure et liberaliter portum maris, qui More vulgariter nuncupatur, cum omnibus utilitatibus suis. Et insuper dedimus ipsis villas nostras Brod cum Golgolevo integraliter, sicut Michael tenuit. Svarisseno, Sopcowo cum Tulcze et aliis pertinenciis ipsius integraliter, sicut Wilten possedit. Mestyno tercium (sic) Wispno quod Cridlovo dicitur, Levino, Vicemino cum Sugrino et aliis suis campis seu locis villarum, quocunque alio vocabulo nuncupentur, integraliter sicut Glabuna pincerna noster tenuit. Porstolono iniunctum ville de Milobanie, medietatem ville de Ceczenwo quam capellanus et ecclesia nostra de Purik antea possidebat, et Mrestiinam iuxta Milorstovo villam eorum sitam, cum clausura nostra ibidem super Liabam posita et cum castoribus ac aliis utilitatibus et pertinenciis eiusdem ville, plene sicut dux Polonie dominus Premislius ad tempus a nobis ex nostra concessione tenuit: quam concessionem et privilegium seu litteram, si aliqua super ipsa concessione eidem duci per nos data fuerit, exnunc penitus revocamus, dantes et resignantes portum et villas iam dictas prefatis episcopo et Capitulo cum omni pleno iure et dominio, venacionibus scilicet, piscacionibus suis, campis, pratis, paludibus, silvis, nemoribus, boriis, mellificiis, aquis, terris et omnibus aliis utilitatibus et pertinenciis ipsarum, iure hereditario in perpetuum possidendas. Ut autem Deo et matri ipsius sancte Marie virgini pium famulatum exhibeamus et devotum, portum et villas iam prefatas ita liberas exnunc ab omnibus serviciis, solucionibus et exaccionibus esse volumus, quocunque nomine censeantur, quod in eisdem portu et villis ac utilitatibus ipsorum, nobis et nostris successoribus, palatinis, castellanis seu quibuslibet aliis beneficis ac officialibus nostris, nichil iuris, quod antea competebat nobis vel ipsis vel competere poterat in futurum, penitus reservamus. Ne vero tam pia devotio (sic) a nobis in posterum vel a nostris successoribus perturbetur, presens instrumentum cum appensione nostri sigilli dictis episcopo et Capitulo ac successoribus ipsorum in testimonium dedimus et tutelam. Actum et datum in Svecze anno Domini M.CC.LXXXIII in crastino beati Iacobi apostoli, presentibus Vaiisiloue palatino, Paulo castellano de Svecze, Ludero cancellario, Andrea castellano Gdanensi, Uncslao subcamerario; Theodrico, Timislao, Lamberto cappellanis curie, et aliis quam plurimis fide dignis ad hoc specialiter convocatis.

Wladislaviensis, *de Włocławek.* Portus maris dictus More, *nie odgadnione.* Brod, *Brody.* Golgolevo, *Gogolewo.* Svarisseno, *Swarocin.* Sopcowo, *Sobkowo, z niem. Subkau.* Tulcze, *nie odgadnione.* Mestyno, *Mestin.* Wispno quod Cridlovo

dicitur, *Wyspa, z niem. Wispau.* Levino, *Lewino.* Vicemino, *Witomin.* Sugrino, Porstolono, *nie odgadnione.* Milobanic, *mylnie zam.* Milobaucc, *Miłobądz, z niem. Mühlbanz.* Coczenwo, *Czeczów.* Purik *mylnie zam.* Pucik, *Pucko.* Mrestiina, *nie odgadnione.* Milorstovo, *Miłoszewo.* Liaba, *Luba rz. z niem. Leba.* Svecze, *Świecie.*

Nr. 524.

Martinus Pp. IV 1283 Jul. 30, apud Urbem veterem; Iacobum cantorem Gneznensem eidem ecclesiae in archiepiscopum praeficit et de more commendat.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 164.

Martinus episcopus *(etc.)*, dilecto filio Iacobo electo Gneznensi salutem *(etc.)*. Recte tunc ecclesiarum utilitati prospicitur et indempnitati salubriter precavetur, cum dilectis et providis ipsarum cura committitur, et viduatarum regimini pastores ydonei preponuntur. Unde nos, qui licet insufficientibus meritis in sublimi sumus apostolici culminis specula disponente Domino constituti, curis continuis angimur, ut eedem ecclesie nostre sollicitudinis studio per pastores gubernentur industrios, et per duces perspicuos in suis gregibus dirigantur. Sane dudum Gneznensi ecclesia per obitum bone memorie Martini Gneznensis archiepiscopi destituta pastore, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie convenientes in unum, Wlostiberium eiusdem ecclesie canonicum, in archiepiscopum Gneznensem concorditer elegerunt. Postmodum autem predictis Capitulo supplicantibus felicis recordationis Nicolao Pape predecessori nostro, ut, cum idem canonicus propter inopiam ecclesie prefate ac expensarum defectum necnon et viarum discrimina, non posset commode ad apostolicam Sedem accedere pro sue electionis negotio prosequendo, providere super hoc paterna sollicitudine dignaretur: idem predecessor venerabili fratri nostro.. Firmano episcopo, tunc in illis partibus apostolice Sedis legato, inquisitionem faciendam de modo electionis predicte ac ipsius canonici meritis, per suas litteras sub certa forma commisit. Cumque predictus legatus eundem canonicum ad suam presentiam evocasset, idem canonicus iuri, si quod sibi per electionem huiusmodi competebat vel competere poterat, libere ac sponte in manibus legati renuntiavit eiusdem, nosque paterno desiderantes affectu, quod de sponso legitimo et ydoneo provideretur ecclesie memorate, de dilecto filio fratre Henrico de Bren, Ordinis Minorum, quem nobis de nobilitate generis, litterarum scientia, honestate morum aliisque virtutum meritis fide dignorum testimonia multipliciter commendarunt, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, predicte Gneznensi ecclesie duximus providendum. Verum predicto fratre Henrico renuente provisionem huiusmodi acceptare, prefati Capitulum eiusdem ecclesie in te tunc cantorem ipsius ecclesie vota sua unanimiter direxerunt, te in suum archiepiscopum eligentes. Demum vero te in nostra et predictorum fratrum nostrorum presentia in nostris manibus libere ac sponte renuntiante omni iuri, si quod tibi per electionem huiusmodi de te factam fuerat acquisitum: nos huiusmodi renuntiatione recepta, periculis que per vacationem diutinam eidem possent ecclesie imminere provisione celeri occurrere cupientes, ad personam tuam, cui de vita laudabili, conversatione placida, litterarum scientia, morum honestate decora, spiritualium providentia et temporalium prudentia laudabile testimonium perhibetur, nostre considerationis oculos

duximus dirigendos, ac te de eorundem fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, eidem Gneznensi ecclesie in archiepiscopum preficimus et pastorem, in eo qui dat gratiam et largitur premia confidentes, quod dicta ecclesia per tuam sollertem industriam et providentiam circumspectam, spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad eandem ecclesiam, de apostolice Sedis et nostro favore confisus, cum divine gratia benedictionis accedas, te in cura ipsius, cuius plenam in spiritualibus et temporalibus administrationem tibi committimus, talem corde sollicito redditurus, quod grex tue circumspectioni creditus, in te salutis ministrum reperisse gaudeat, et tibi tandem eterni pastoris benignitas, unicuique responsura pro meritis, eterne retribuat gloriam claritatis. Datum apud Urbem veterem III Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. decano et Capitulo Gneznensis ecclesie, clero Gneznensis civitatis et diocesis, populo civitatis et diocesis Gneznensis, universis suffraganeis ecclesie Gneznensis, duci Polonie.

Nr. 525.

Martinus Pp. IV 1283 Aug. 13, apud Urbem veterem; mandat episcopis suffraganeis ecclesiae Gneznensis, ut Iacobum electum Gneznensem ad ordinem presbyteratus promoveant.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 165.

Martinus episcopus *(etc.)*, venerabilibus fratribus universis suffraganeis Gneznensis ecclesie salutem *(etc.)*. Cum nos nuper dilectum filium Iacobum electum Gneznensem, in diaconatus ordine constitutum, de fratrum nostrorum consilio Gneznensi ecclesie prefecimus in archiepiscopum et pastorem, volentes ipsius et ecclesie prefate parcere laboribus et expensis, quos eundem electum subire oporteret pro superioribus suscipiendis ordinibus moram apud Sedem apostolicam faciendo: fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus unus vestrum quem dictus electus super hoc duxerit requirendum, ipsum ad presbiteratus ordinem statutis a iure temporibus studeat promovere. Datum apud Urbem veterem Idibus Augusti, anno tertio.

Nr. 526.

Martinus Pp. IV 1283 Aug. 13, apud Urbem veterem; mandat suffraganeis Gneznensis ecclesiae, ut Iacobo electo Gneznensi munus consecrationis impendant.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 166.

Martinus episcopus *(etc.)*, venerabilibus fratribus suffraganeis ecclesie Gneznensis salutem *(etc.)*. Cum nuper dilectum filium Iacobum electum Gneznensem *(etc. sicut in diplomate praecedenti usque:)* oporteret faciendo moram apud Sedem apostolicam pro superioribus suscipiendis ordinibus et consecrationis munere obtinendo, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus unus vestrum quem

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

dictus electus super hoc duxerit requirendum, ascitis sibi reliquis, aut saltem duobus vel tribus ex vobis, seu aliis episcopis convicinis, si forte vos contingeret impedimento canonico prepeditos adesse non posse, eidem electo, postquam fuerit in presbiterum ordinatus, auctoritate nostra munus consecracionis impendat. Datum apud Urbem veterem Idibus Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Nr. 527.

Martinus Pp. IV 1283 Aug. 13, apud Urbem veterem; concedit Iacobo electo Gneznensi, ut ex curia recedere et munus consecrationis una cum pallio in sua ecclesia accipere possit.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae 1, 167.

Martinus episcopus (*etc.*), dilecto filio Iacobo electo Gneznensi salutem (*etc.*). Cum nos venerabilibus fratribus nostris, suffraganeis Gneznensis ecclesie, nostris sub certa forma demus litteris in mandatis, ut unus eorum, ascitis sibi reliquis aut saltem duobus ex eis seu etiam ex aliis episcopis convicinis, tibi, quem nuper de fratrum nostrorum consilio prefate prefecimus in archiepiscopum et pastorem, munus consecrationis impendat: ne te oporteat postmodum ad apostolicam Sedem pro obtinendo ab ea palleo, quod est insigne pontificalis officii, accedere seu nuntium destinare ac exinde laboribus seu sumptibus fatigari: palleum ipsum de corpore beati Petri sumptum, per dilectos filios Philippum custodem, Iohannem et Raynerium canonicos Gneznenses, a quibus iuramentum recepimus de palleo ipso fideliter presentando, venerabilibus fratribus nostris.. Plocensi et.. Poznaniensi episcopis suffraganeis predicte Gneznensis ecclesie destinamus, ut ipsi vel alter eorum dictum palleum, postquam prefatam consecrationem receperis, tibi assignent sub forma quam eis sub bulla nostra mittimus interclusam, et a te nostro et ecclesie Romane nomine, sub forma quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipiant iuramentum. Tu vero, postquam tibi palleum ipsum tibi traditum fuerit, eo intra ecclesiam tuam illis utaris diebus, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, et quod geris exterius, illud serves in mente: discretionem tuam monemus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus humilitatem et iustitiam, dante Domino qui dat munera et premia elargitur, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et predictam Gneznensem ecclesiam sponsam tuam, cures sollicite auctore Domino spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum apud Urbem veterem Idibus Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Nr. 528.

Psrimizlaus dux Poznanie et Calysie 1283 Oct. 2, s. l.; statuit, ut omnes civitates et oppida in districtu de Kalisz constituta, iura ipsorum iudiciaria a civitate Kalisz recipiant.

Pergam. orygin. Dwie dziurki od przywieszenia pieczęci.
Warszawa. Biblioteka prywatna. Diplomata.

Quoniam ea que geruntur in tempore corruptioni subiacent, per quam tendunt ad non esse, necesse est ea que racionabiliter fiunt, ne lapsu temporis elabantur, scriptorum auctoritate et memoria testium perhennari. Agnoscat igitur tam presens etas quam futura posteritas, quod nos Psrimizlaus Dei gracia dux Poznanie et Calysie recognoscimus tenore presentium publice protestando, quod ad alleviandos defectus et egestates fidelium nostrorum civium in Kalys, assignavimus omnes civitates et opida in districtu Kalysiensi et ipsius terminis, constitutis ipsis nostris fidelibus, ut iura sua iudiciaria recipiant apud ipsos: ibidem enim et non alibi nostram statuimus curiam publice celebrari. Primo itaque volumus, ut civitas nostra Kunyn omnia iura sua recipiat apud ipsos. Secundo Civitatem novam quam Nicolaus construxit, similiter civitati nostre Kalis assignamus, ut etiam iura iudiciaria repetat apud ipsam. Preterea civitatem Plessow et civitatem Syrkowe, Kezzilberch, Hurlam, Siltperch; civitatem nostram in Langenvort, preterea civitatem nostram Tankowe et Wilin, cum ad manus nostras devenerit; similiter civitatem nostram Bonzlaviam, cum rursum ad manus nostras redierit, civitati nostre similiter assignamus in Kalis, quia iura sua nulla primitus acceperunt. Volumus eciam, ut omnes ville ad prenominatas civitates spectantes, eodem (sic) iuri succumbant quo et prehabite civitates. Volumus preterea, ut quidquid a presenti nostra donacione in districtu Kalisyensi in novis plantacionibus fuerit exstirpatum, ad prefata iura constringatur, quod ipsa sua similiter recipiant iura in Kalys sicut cetere civitates. De metis autem et terminis terre nostre hanc fidem facimus: in parte una, inter nos et ducis Wratizlavie illustris principis terminos, meta una. In altera vero parte, donec ad aquam que Wrthe wlgariter nuncupatur. Quidquid ut prediximus in istorum terminorum intermedio fuerit exstirpatum, sive civitates fuerint sive ville, iura sua in Kalys similiter postulabunt. Cum vero dilectis nostris fidelibus civibus in Kalys, quos nostra donacio in omnibus que nostro intendunt honori actenus benigna prosecucione benivolos reppererit et fideles, speciali ut condignum est dileccionis privilegio prerogativam dederimus tam sollempnem, et ut omnes civitates, ville et oppida ut prediximus iura sua requirere debeant apud ipsos, volumus, ut omnes sentencie quas predicti cives fideles nostri in Kalis dederint, dummodo iuramentis suis ausi fuerint confirmare, inviolate permaneant et a nullis penitus reprobentur. Statuimus preterea, ut quemcumque iudicem civitati nostre prefecerimus in Kalys, ut non alias cause quelibet decidantur, et quod ab ipsius iudicio se nullus aliqualiter trahere presumat ad iudicium alienum. Hec omnia dilectis fidelibus nostris civibus in Kalis de nostre donacionis clemencia tradimus in solamen, quia ipsa caput est et speculum terre nostre, volentes, ut hec donaciones nostre ad heredes eorumdem nostrorum civium perpetue deferantur. Huius rei testes sunt: Herkenboldus dux milicie nostre, dominus Cechozlaus pincerna, dominus Woycech camerarius. Sunt eciam hec acta presentibus civibus nostris: Hen-

rico advocato de Butum, Bertoldo magistro consulum, Ekchardo de Pitchsin consule, Lutfrido de Swidiniz, Cunrado magistro pistorum, Iohanne institore, Ekchardo de Namzla, Iescone de Namzla, Tylone de Tlokin, Theoderico de Cracovia, Michahele scabino, Walthero Stiulero, Friderico Rethore, Arnoldo Crechilero. Ut autem nostre donacionis celebritas inconvulsa permaneat atque firma, presens scriptum tradidimus sigilli nostri munimine roboratum. Acta sunt hec anno Domini MCCLXXXIII, VI Nonas Octobris.

Kunyn, *Konin.* Civitas nova, *Nowe miasto.* Plessow, *Pleszew.* Syrkowe, *Żerków.* Kezzilberch, *pewnie Kotlin.* Hurla, *Orla, wieś, obok której stanęło m. Koźmin.* Siltperch, *Ostrzeszów.* Langenvort, *Langenforth.* Tankowe, *Tanków.* Wilin, *Wieleń.* Bonzlavia, *Bolesławiec.* Aqua Wrthe, *Warta rz.* Butum, *Bytom na górn. Szlązku.* Pitchsin, *Byczyna na Szlązku, z niem. Pitschen.* Swidiniz, *Swidnica.* Namzla, *Namysłów na Szlązku, z niem. Namslau.* Tlokin, *Tłokinia.*

Nr. 529.

Premisl secundus dux Polonie 1283 Oct. 14, in Poznan; admittit contra petitionem Mistivogii legationem villae Trzcinica, quondam a Bogusza filio Petri ecclesiae Poznaniensi factam.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. A, Nr. 56. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. Nr. 64.

In nomine Domini amen. Sopite iudicio principis questiones, scripto ad memoriam perpetuam commendantur ne per oblivionem processu temporis valeant suscitari; ut autem habeant eo maiorem roboris firmitatem, sigillorum et testium munimine roborantur. Nos igitur Premisl secundus Dei gratia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentis pagine seriem inspecturis, quod in nostra nostrorumque baronum presentia comitissa Chomecz, relicta quondam Boguse filii Petri, constituta, proposuit petens, quum maritus eius dictus Bogusa in ultima voluntate sana mente sanoque consilio legavit ob remedium anime sue et suorum ecclesie Poznaniensi ad mensam episcopalem villam que vulgariter Treczenicza nuncupatur, ut nostra dignaretur dominatio predicti militis donationem more consueto, ut robur obtineat firmitatis, misericorditer confirmare: Mistivogius filius quondam comitis Blisbory opposuit se, dicens dictam villam ad se pocius pertinere per successionem, quod non credebat villam eandem per suum patruum dictum Bogussam ecclesie prefate fore legatam. Nos illius excepcione audita, prenominate comitisse Chomecz et venerabili patri domino Iohanni episcopo Poznaniensi diem iterum pro termino duximus prefigendum, quo per testes probaret, iam dictum comitem Bogussam prenominatam hereditatem modo superius expresso legasse. Die prefixo adveniente, testibus in nostra presentia constitutis, dictus miles nolens testes admittere ad iurandum, renuntiavit omni accioni super villa Treczenicza superius nominata. Nos his singulis diligenter discussis et admissis, donationem predicti comitis Bogusse, ecclesie et episcopo Poznaniensi factam, ratam habentes, duximus admittendam, et ne super his in posterum valeat dubitari, presentem litteram conscribi facientes, nostro ac Capituli Poznaniensis sigillo decrevimus roborandam. Actum in Poznan secundo

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Idus Octobris, anno Domini MCCLXXXIII, Indictione XIV, presentibus: comite Petrcone castellano Poznaniensi, Gnevomiro iudice Poznaniensi, Alberto Iactorovicz, domino Vincentio preposito Poznaniensi et nostro cancellario, magistro Gregorio decano Poznaniensi, Philippo archidiacono Gneznensi. Ego Iacobus notarius, de mandato domini mei ducis scripsi et manu propria sigillavi.

Treczenicza, *Trzcinica.*

Nr. 530.

Secundus Premizl dux Polonie 1283 Dec. 31, in Kalis; dat hospitali s. Spiritus in Kalisz quoddam fundum ante civitatem praedictam situm.

Transsumpt oryginalny, potwierdzony przez: Sigismundus rex Polonie etc. 1539 Sept. 1, Cracovie, *w pergaminie orygin., u którego przywieszona pieczęć przedstawia na kwadrowanéj tarczy 1mo i 4to Orła w koronie; 2do i 3tio Pogoń.*

Kalisz. Archiw. Rządowe. Diplomata.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio comissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premizl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod ob reverenciam Dei et sancti Spiritus, in remissionemque nostrorum peccaminum, piis eciam et condignis peticionibus honorabilis viri fratris Lipoldi, preceptoris provincialis eiusdem Ordinis per Austriam, Ungariam et Poloniam, acquiescere cupientes, locum, fundum et aream in ingressu civitatis nostre Kalisiensis, infra portam ad manum dextram, in ea parte qua intratur de villa Thinecz, pro hospitali sancti Spiritus ad recepcionem pauperum et infirmorum damus, tradimus et confirmamus, libere et quiete in perpetuum possidendam. Ut autem hec nostra racionabilis donacio seu confirmacio perpetuo et inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam. Datum in Kalis anno Nativitatis Domini millesimo ducentesimo octuagesimo tercio, pridie Kalendas Ianuarii, Indiccione undecima, per manus Thilonis notarii curie nostre.

Thinecz, Tyniec.

Nr. 531.

Herkenboldus Gneznens. et Kalisiens. palatinus 1284 Jan. 6, in Zneyna; donat villam suam Ostrowite Prymasowskie ecclesiae Gneznensi.

Pergam. orygin. Na paskach pergamin. trzy pieczęcie przywieszono; pierwsza Wacława (pieczęć XXIII); *z drugiéj pozostał tylko pasek; trzecia podługowata, przedstawia pod bogatem gotyckiem cimborium stojącą osobę zwróconą w prawo, błogosławiącą klęczącą przed nią drugą osobę; napis odłamany.*

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 37.

In nomine Domini amen. Notum sit omnibus hoc scriptum visuris, quod ego Herkenboldus Gneznensis et Kalisiensis palatinus, pro eo quod decimam archiepiscopalem ville mee de Ostrovite de XV aratris sede vacante duodecim annis ten i et

percepi, pro qua decima petebatur et exigebatur a me pro annis singulis de quolibet aratro lapis cere; pro eo eciam quod villam Capituli eiusdem ecclesie, Slothcove nomine, circiter XXX annos tenui cum decima et aliis utilitatibus que ibidem obveniebant, quam villam bene instructam, cum quatuor bobus, duabus vaccis, porcis et ovibus restituere debebam, et restitui non dotatam; nec non pro remedio anime mee et in remissionem peccatorum meorum provida deliberacione dedi et contuli predictam villam meam Ostrovite beato Adalberto et ecclesie Gneznensi, videlicet archiepiscopatui, cum sortibus sibi iunctis, lacu, iuribus omnibus et pertinenciis, integre et absque ulla diminucione hereditario iure perpetuo possidendam, et veniens personaliter in Zneynam, ad manus venerabilis patris domini Iacobi Dei gracia Gneznensis archiepiscopi liberaliter tradidi, et multis astantibus publicavi ac in corporalem possessionem induxi. Actum ibidem in Zneyna anno Domini m.cc.lxxxiii in die Epiphanie Domini, presentibus: magistro Wencezlao preposito Glogoviensi, Iohanne archidiacono Poznaniensi, Gabriele preposito sancti Georgii, Woyzlao, Rinerio, Nicolao et Petro canonicis Gneznensibus, ac Iarachio filio Iaroslai, Stossone de Socolniche, Bogsa milite, et aliis quam plurimis viris ydoneis et honestis. In cuius rei testimonium, presentem litteram sigillo meo et sigillis aliquorum supradictorum testium dignum duxi roborandam.

Ostrovite, *Ostrowite Prymasowskie.* Slothcove, *Złotkowo.* Zneyna, *Żnin.* Socolniche, *Sokolniki.*

Nr. 532.

Secundus Premizl dux Polonie 1284 Jan. 8, in Rogozna; donat ecclesiae Gneznensi hereditatem Polanowo.

Pergam. orygin. Dwa wcięcia poprzeczne od przywieszenia pieczęci.
Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 38.

In nomine Domini amen. Ne res gestas aboleat decursus temporum, confirmat illas autenticarum titulus litterarum. Hinc est igitur, quod nos secundus Premizl Dei gracia dux Polonie tenore presencium notum esse volumus universis presentem paginam inspecturis, quod percunctatis fidelibus serviciis, nobis et nostro patruo B. illustri quondam duci Polonie per venerabilem patrem dominum Iacobum divina miseracione archiepiscopum Gneznensis ecclesie, cum esset in minori officio constitutus, exibitis, intuitu prestancie sue dedimus et contulimus ei hereditatem iuxta lacum Poviz que Polaninovici vulgariter nuncupatur, iure patrimoniali seu hereditario possidendam cum omnibus iuribus, utilitatibus et pertinentiis ipsius, existentibus et futuris, in terra et aqua, lacu videlicet in quantum ipsam contingit usque ad medietatem ipsius ex transverso. Dantes incolis dicte hereditatis omnimodam libertatem, quocumque iure, Polonico vel Teutonico, novo vel veteri locabuntur ibidem, liberantes eos ab omnibus angariis et perangariis, solucionibus et serviciis quocunque nomine censcantur, et eximentes eos ab omni iurisdictione omnium iudicum nostrorum, zupariorum, castellanorum, palatinorum et quocunque vocabulo nominentur, ipsos in causis et penis pecuniariis et sanguinis, iurisdictioni sui domini tantummodo relinquentes: excepto dumtaxat casu negligencie in reddenda iusticia: ut tantum per no-

strum sigillum ad nostram citati presentiam debeant comparere, penas in eo casu nobis et suo domino per medium soluturi. In huius rei testimonium presentem paginam nostro sigillo duximus confirmandam. Hii sunt testes: comes Pretslaus castellanus Gneznensis, comes Nicolaus iudex Poznaniensis, comes Mroxcec castellanus de Bidgosce. Datum in Rogozna anno gracie Domini M.CCLXXX.IIII, VI Idus Ianuarii, Indictione XII, per manus Thilonis notarii nostri.

Lacus Poviz *t. j. de Powidz.* Polaninovici, *Polanowo.* Bidgosce, *Bydgoszcz.* Rogozna, *Rogoźno.*

Nr. 533.

Martinus Pp. IV 1284 Jan. 18, apud Urbem veterem; Iacobo electo Gneznensi concedit, ut duobus viris idoneis officium tabellionatus conferre possit.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 168.

Martinus episcopus (*etc.*), dilecto filio I. electo Gneznensi salutem (*etc.*). Devotionis tue merita promerentur, ut in hiis que digne fieri possunt, nos tibi sentias gratiosos. Tuis itaque devotis supplicationibus inclinati, concedendi hac vice tabellionatus officium duobus viris, quos diligenti examine premisso ad hoc convenienti litteratura et fidelitate aut alias ydoneos esse repereris, tabellionatus officium iuxta formam quam in talibus tenere Sedes apostolica consuevit, recepto ab eis iuramento ut illud prudenter et fideliter exequantur, liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Datum apud Urbem veterem XV Kalendas Februarii, anno tertio.

Nr. 534.

Secundus Premizl dux Polonie 1284 Febr. 17, in Kalis; hereditatem Łagiewniki Kościelne Goslao decano Gneznensi confert.

Pergam. orygin. W dolnym, założonym brzegu pasmo nici jedwabn. zielon. przez dwa wcięcia poprzeczne przewleczone.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 39. — Raczyński, Cod. diplomatic. Maior. Polon. 66.

In nomine Domini amen. Cum dicat philosophus: quod non fit, tandem fit: ideo necessarium est, ut ea que ab hominibus fiunt vel fieri debeant, ne ab eorum memoria decidant seu labantur, scripture testimonio ad perpetuam rei memoriam roborentur. Hinc est quod nos secundus Premizl Dei gracia dux Polonie, inspectis fidelibus serviciis domini Goslai decani Gneznensis ecclesie, hereditatem nostrorum lagenariorum, videlicet Sysonis et filiorum eius, ad nos iure dominii pertinentem, cum omnibus suis utilitatibus et pertinentiis sibi et suis successoribus contulimus iure hereditario in perpetuum possidendam, dictos lagenarios et eorum posteros eadem hereditate perpetuo privantes, donacionem seu collacionem eiusdem ville seu partis ipsius, alicui vel aliquibus per nos ante factam penitus revocantes, ab omnibus iuri-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Kalis anno gracie Domini MCCLXXXIIII, Indictione XII, feria sexta proxima ante dominicam Esto michi, per manus Thilonis notarii curie nostre.

Lendensis, *de Ląd.* Tropcssino, *Trąbczyn.* Rudensis, *de Ruda.*

Nr. 536.

Secundus Premizl dux Polonie 1284 Febr. 19, in Siraz; confert comiti Żegotha palatino Cracoviensi hereditates Nieczajno, Wierzbiczany et Lulin, easque multis privilegiis munit.

Pergam. orygin. Na grubem pasmie nici jedwabn. pomarańcz. przywieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XV).

Warszawa. Archiwum Główne, Diploma Nr. 602. — Stronczyński, Wzory, Nr. 17. — Lelewel, Początkowe prawodawstwo. — M. Grabowski, Źródła do dziejów Polski I, pag. 131.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premizl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod intuentes fidele servicium et utile dilecti ac specialis nostri baronis, honorabilis viri comitis Zegothe palatini Cracoviensis, de nostra non ficta voluntate et salubri habito nostrorum baronum consilio nostras sibi suisque successoribus legitimis dedimus hereditates, que Neczayno et Wirbiczayni et Lulino quam vulgariter nuncupantur, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis, que nunc ibi sunt et exoriri poterunt in futurum, iure hereditario in perpetuum possidendas. Absolventes ipsas hereditates ab omni exactione Polonica que nostro dinoscitur dominio pertinere, a naraz, a povoz, a prevod, a stroza, a podvorove, a poradine, ab opole, a bove, a vacca, a castri citacione; ita quod incole supradictarum hereditatum non sine nostro sigillo coram nobis compareant provocati, et in quocunque condempnati fuerint, dictus comes Zegotha et sui successores legitimi utilitates iudicii perpetuo percipiant ex integro. Homicidium perpetratum inter ipsos incolas, integraliter ipsis cedat. Damus ipsi comiti Zegothe etiam et sue posteritati liberum arbitrium easdem hereditates donare, vendere, commutare libere, cui ipsis videbitur expedire tempore procedente. Omnibus eciam ibidem utantur iuribus prout nostra consuevit curia: ferro, duello, et super aquam mittendam. Ut autem nostra racionabilis donacio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam. Hii sunt testes: comes Nicolaus iudex Poznaniensis, comes Cechoslaus pincerna Kalisiensis, comes Boguslaus castellanus de Usce et subcamerarius Poznaniensis, comes Woyecch subcamerarius Kalisiensis, dominus Victor procurator Kalisiensis. Datum in Siraz in placitis habitis cum domino Cracoviensi in dominica Esto michi, anno gracie Domini M.CC.LXXXIIII, Indictione duodecima, per manus Thilonis notarii curie nostre.

Neczayno, *Nieczajno.* Wirbiczayni, *Wierzbiczany.* Lulino, *Lulin.* Usce, *Ujście.* Siraz, *Sieradz.*

Nr. 537.

Secundus Premizl dux Polonie 1284 s. d., in Conyn; confirmat commutationem villae ecclesiae Gneznensis dictae Mniewo, pro villis Sixti et Wirbentae militum, dictis Vetsino et Petricovice.

Pergam. orygin. Na grubym pasmie nici jedwabn. czerwon. pozostał ułamek pieczęci bez wycisku.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 43.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roboratha suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premizl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra nostrorumque baronum presencia venerabilis pater dominus Iacobus, miseracione divina archiepiscopus sancte Gneznensis ecclesie, cum militibus nostris Sixto et Virbentha filiis comitis Virbente talem fecit commutacionem: videlicet dans eis Mnevice villam que ad archiepiscopatum dinoscebatur spectare, pro eadem hereditate ab eisdem recipiens Vetsino et Petricovice, cuius incola fuit Ragisco. Nos vero dictorum militum fidelia intuentes servicia, prefatis hereditatibus omnimodam damus libertatem prout ville ecclesie sancte Gneznensis fruuntur libertatibus, ipsas hereditates ab omnibus solucionibus absolventes Polonicis, videlicet a naraz, a povoz, a prevod, a podvorove, a stroza, ab opole, a bove et vacca, et a castri cittacione, et ab aliis solucionibus que nunc in nostro sunt dominio et processu temporis poterunt exoriri. Ut autem racionabilis commutacio et nostra confirmacio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam presentibus hiis testibus: comite Gnevomiro castellano de Sbansim, domino archidiacono Poznaniensi, comite Roscone venatore Calisiensi, comite Vito pincerna Gneznensi, comite Stognevo, comite Alberto subcamerario Gneznensi. Datum in Conyn anno gracie Domini m.cc.lxxx.iiii per manus Thilonis curie nostre, Indictione duodecima.

Mnevice, *Mniewo.* Vetsino, *może Wieczyn.* Petricovice, *może Pietrzyków.* Sbansim, *Zbąszyń.* Conyn, *Konin.*

Nr. 538.

Secundus Premizl dux Polonie 1284 Mai. 29 — Jun. 3, in Kalis; donat Erwino ballistario, civi de Kalisz, omnimodam libertatem super quatuor mansis in villa Dobrzec.

Pergam. orygin. Pasmo nici grubych wypłowiałych, z którego pieczęć znikła.

Biblioteka XX. Czartoryskich. Diplomata.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premizl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod intuentes fidele servicium et utile dilecti



servitoris nostri Erwini balistarii, civis Kalisiensis, sibi suisque successoribus legitimis super quatuor mansis in villa nostra Dobric sitis damus omnimodam libertatem iure hereditario in perpetuum possidendam, ita ut nullo servicio nec aliqua solucione nobis et nostris supariis in perpetuum teneantur, sed plena gaudeant libertate. Ut autem donacio nostra racionabilis perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam presentibus hiis testibus: comite Zegotha filio Martini, comite Dirzicrayo nestani (sic) Kalisiensi, comite Andrea filio comitis Martini. Datum in Kalis infra festum Pentecostes anno gracie Domini M.CCLXXXIIII, Indictione XII, per manus Thilonis notarii curie nostre.

Dobric, *Dobrzec.*

Nr. 539.

Secundus Premizl dux Polonie 1284 Jun. 12, in Kalis; confirmat donationem hereditatis Chelmno, a Berwoldo venatore Kalisiensi ecclesiae Gneznensi factam.

Pergam. orygin. Dwie dziurki od przywieszenia pieczęci.
Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 40.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Quapropter nos secundus Premizl Dei gracia dux Polonie, predictorum freta (sic) amonicione salutarium monitorum notum facimus universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presentem paginam intuentibus, quod in nostra nostrorumque baronum presencia honorabilis kmeto noster et miles strenuus, comes Berwoldus venator Kalisiensis et pincerna Lendensis, bona intencione sui animi et plena corporis sospitate pro sua suorumque salute hereditatem suam que Chelm vulgariter nuncupatur, ad quam nullus alter hominum respectum habuit preter ipsum, archiepiscopatui Gneznensis ecclesie donavit integraliter, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis nunc ibi existentibus et provenientibus in futurum perpetuo possidendam. Nos vero facta salubria pio affectu prosequi cupientes, et hiis ac congruis precibus venerabilis patris domini Iacobi, miseracione divina Gneznensis ecclesie archiepiscopi, suique Capituli volentes acquiescere, de nostra non ficta voluntate et salubri habito nostrorum baronum consilio, ob reverenciam Dei sanctique Adalberthi, pro salute nostra nostrorumque progenitorum ipsam hereditatem dicto archiepiscopatui Gneznensis ecclesie possidendam perpetuo confirmamus, hoc addito, quod omnibus fruatur libertatibus quibus omnes ville gaudent ecclesie prenotate, nichil in ea servicii nostro ducatui relinquentes. Ut autem nostra confirmacio predictique nostri baronis racionabilis donacio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine confirmamus. Hii sunt testes: comes Cechoslaus pincerna Kalisiensis, comes Rosco venator Kalisiensis, comes Stoygnewus, comes Albrachtus castellanus de Ostrow, comes Ubislaus venator Lendensis. Datum in Kalis anno gracie Domini MCCLXXXIIII, Indictione XII, II Idus Iunii, per manus Thilonis notarii curie nostre.

Lendensis, *de Ląd.* Chelm, *Chełmno.* Ostrow, *niegdyś zamek na wyspie jeziora Lednica, dziś w ruinie.*

Nr. 540.

Secundus Premisl dux Polonie 1284 Jun. 28, in Poznania; restituit ecclesiae Poznaniensi villas Psarskie et Jaszkowo, quas Phalimirus filius Iohannis eidem ecclesiae legaverat.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. A, Nr. 57.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam intuentibus, quod terram sive villam que vulgariter Psurevo nuncupatur, quam Phalimirus filius Iohannis possidebat et in suo testamento simul cum villa sua Iaskovo legaverat ecclesie beati Petri Poznaniensis, ad honorem Dei et ob reverenciam beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, pro salute anime nostre et parentum nostrorum restituimus plena deliberacione habita pie et devote prefate ecclesie sancti Petri Poznaniensis; condignis eciam ac benivolis peticionibus venerabilis patris domini Iohannis Poznaniensis episcopi acquiescere cupientes, iure hereditario in perpetuum possidendam cum omni eo iure, quo universe ville gaudent antique ecclesie supradicte, ita quod in ipsa villa pro nobis et nostris successoribus nichil iuridicionis penitus reservamus. In huius igitur nostre restitutionis robur et memoriam, presentem litteram nostri sigilli munimine duximus confirmandam presentibus hiis testibus: domino Iacobo preposito Poznaniensi, domino Gregorio decano eiusdem, domino Iohanne archidiacono ibidem, comite Beniamin palatino Poznaniensi, comite Thomislao castellano Poznaniensi, comite Nicolao iudice curie nostre. Datum in Poznania anno gracie Domini millesimo ducentesimo octuagesimo quarto, Indictione duodecima, in vigilia beatorum Petri et Pauli apostolorum, per manus Thilonis notarii curie nostre.

Psurevo, *Psarskie.* Iaskovo, *Jaszkowo.*

Nr. 541.

Martinus Pp. IV 1284 Jul. 4, apud Urbem veterem; concedit Iacobo archiepiscopo Gneznensi, ut ecclesias suae dioecesis vacantes, idoneis personis conferre possit.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 169.

Martinus episcopus (*etc.*), venerabili fratri I. archiepiscopo Gneznensi salutem *(etc.).* Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod in tua diocesi quamplures ecclesie, lege tibi diocesana subiecte, cum cura et sine cura, tanto tempore vacaverunt, quod earum collatio secundum statuta Lateranensis Concilii est ad Sedem apostolicam legitime devoluta. Nos autem volentes tuam super hoc honorare personam et per honorem tibi exhibitum aliis providere, conferendi hac vice huiusmodi ecclesias sic vacantes, singulis personis ydoneis singulas, contradictores quoque per cen-



suram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem; non obstantibus, si aliquibus a Sede apostolica sit indultum, quod ad provisionem alicuius minime teneantur, quodque de ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis ad eorum dispositionem spectantibus nulli valeat provideri, seu quod ad id compelli, interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Sedis eiusdem, non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod hii quibus de huiusmodi ecclesiis, curam animarum annexam habentibus, duxeris providendum, se ad ordines quos eorundem cura requirit faciant statutis temporibus promoveri, et personaliter resideant in eisdem: alioquin ab omni iure quod eis in ipsis ecclesiis fuerit acquisitum, eo ipso cadant iuxta statuta Concilii Lugdunensis. Datum apud Urbem veterem IV Nonas Iulii, anno quarto.

Nr. 542.

Secundus Premizl dux Polonie 1284 Aug. 1, in Tlokina; confirmat omnia privilegia ecclesiae Gneznensi a praedecessoribus suis data, archiepiscopis vero ius habendi monetam propriam in civitate Żnin et castellania de Ląd concedit.

Pergamin orygin., u którego na pasmie nici pąsowych zawieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XV).

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 41. — Raczyński, Cod. dipl. Maioris Polonie Nr. 65.

In nomine Domini amen. Ne gesta mortalium ydonea tractu declivi temporis evanescant, provida sapientum provide sancxit auctoritas, facta digna memoria solempnis scripture testimonio posterorum noticie commendare. Hinc est igitur quod nos secundus Premizl Dei gracia dux Polonie, inherentes vestigiis predecessorum nostrorum et eorum pios actus prout possumus imitantes, imprimis libertates ab eis concessas ecclesie Gneznensi approbantes, iure perpetuo confirmamus, omnes incolas ipsius ecclesie ab omnibus angariis et preangariis absolventes, videlicet ab omni solucione, exactione, servitute ac iuridicione seu dominio totaliter liberantes, et addicientes pro remedio nostrorum peccaminum nostraque ac progenitorum nostrorum salute, quod venerabili patri nostro domino Iacobo divina miseracione sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo eiusque successoribus, in Zneyna civitate sua et alias in castellania Lendensi ubi voluerit, monetam habere liceat specialem, que per totum nostrum dominium recipi debeat sicut nostra. In huius rei testimonium, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam presentibus hiis testibus: comite Roscone venatore Kalisiensi, comite Gnevomiro castellano de Sbansim, comite Vito pincerna Gneznensi, et aliis quam pluribus fide dignis. Datum in Tlokina anno gracie Domini m.cc.lxxx.iiii, Indictione xii, Kalendas Augusti, per manus Thilonis notarii curie nostre.

Zneyna, *Żnin*. Lendensis, *de Ląd*. Sbansim, *Zbąszyń*. Tlokina, *Tłokinia*.

[illegible]

[redacted]

Nr. 543.

Premizl dux Polonie 1284 Sept. 6, s. l.; promittit pro se et terrigenis suis, se treugas pacis, quas Lestko dux Cracoviae et Kazimirus dux Cuiaviae cum Ordine Theutonicorum fecerant, usque ad diem 13 Octobris servaturum.

Pergam. orygin., którego pieczęć znikła.

Königsberg. Königl. Staats Archiv. Schiebl. 58, Nr. 8. — Voigt. Cod. diplom. Prussic. I, Nr. 169.

Nos Premizl Dei gracia dux Polonie recognoscimus thenore presencium publice profitentes, quod licet nunquam guerram tenuerimus contra Ordinem Crucesignatorum terre Prusie, nec adhuc in presenti et in posterum ad hoc voluntatem aliquam habeamus, tamen quia universitati Ordinis superius nominati per nostros nuncios ut intelleximus sic placuit, ut treugas pacis amicabiles, quas honorabiles principes dominus L. dux Cracovie et dominus C. dux Cuiavie inter se et ipsum Ordinem et nos usque ad quatuordecim dies post festum sancti Michahelis archangeli posuerunt, finaliter teneremus: nos ob reverenciam Dei et beate Marie virginis, ob amoremque illum quem diu erga iam dictum Ordinem habuimus, ipsas treugas pacis amicabiles tam ex parte nostri quam ex parte nostrorum terrigenarum usque ad prefixum terminum, et quamdiu ipsis placuerit, inviolabiliter observamus. In huius rei testimonium, presentem litteram nostri sigilli munimine duximus confirmandam. Datum in vigilia vigilie Nativitatis sancte Marie virginis, anno gracie Domini M.CC.LXXX.IIII.

Nr. 544.

Mistiwyus dux Pomoranie 1284 Sept. 13, in Nakel; confirmat donationem hereditatis Mochla cum sortibus adiacentibus, a patre suo b. m. Swentopelco duce Pomoraniae ecclesiae Gneznensi factam.

Pergam. orygin., u którego na sznurach z nici jedwabn., czerwon. i zielon. dwie pieczęcie przywieszono. Pierwsza Mściwoja księcia, okrągła, wielka, przedstawia Męża zbrojnego, z płaskim szyszakiem na głowie, stojącego pod szczytem pomiędzy dwoma słupami, prawica wsparta na oszczepie, na lewej mała trójkątna tarcz; napis: S. Dni. Miesciwgii . . . Pomoranie. *Druga Przemysława księcia;* (pieczęć XV).

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 42.

In nomine Domini amen. Ne gesta mortalium fluxu temporis evanescant, perhennari solent publico testimonio scripturarum. Nos igitur Mistiwyus Dei gracia dux Pomoranie notum esse volumus universis presentes litteras inspecturis, quod donacionem ecclesie Gneznensi et venerabili patri domino Fulconi bone memorie archiepiscopo eiusdem ecclesie per illustrissimum principem dominum Sventopelcum, felicis recordacionis quondam ducem Pomoranie patrem nostrum karissimum, super hereditate Mochle et sortibus adiacentibus Orel et Crusevo cum omnibus utilitatibus et pertinenciis et lacubus racionabiliter factam, de nostra non ficta voluntate et salubri habito nostrorum baronum consilio, ob reverenciam Dei et beati Adalberthi, et nostre pro salute anime, piis ac condignis peticionibus venerabilis patris domini Iacobi mi-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

seracione divina memorate Gneznensis ecclesie archiepiscopi annuere cupientes, ipsam donacionem inpermutabiliter confirmamus, dictam villam Mochle cum Orel, Crusevo et omnibus utilitatibus, iam dicte ecclesie et venerabili patri domino Iacobo ac suis successoribus iure hereditario assignantes in perpetuum possidendam, liberam penitus ab omni exactione et solucione et nostro dominio facientes. Et quia dictam villam Stephano nostro militi, filio Phalimiri, minus certi de prima collacione iure hereditario dederamus, ipsam donacionem, contra Deum et iusticiam factam, cum omni iure quod sibi et suis successoribus competere poterat revocamus, eidem cum suis successoribus, ipsam hereditatem ne repetant, perpetuum silencium inponentes. Ut autem nostra racionabilis restitucio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam in maius robur firmitatis sigillis, illustrissimi videlicet principis domini Premizlonis Dei gracia ducis Polonie filiolli nostri karissimi et nostro duximus confirmandam presentibus hiis testibus: comite Paulo palatino de Svece, comite Nicolao castellano de Scicen, comite Stanislao castellano de Svece. Et quia hoc actum est in Nakel in colloquio ubi multi convenerant, in testimonium huius facti et barones Polonie duximus apponendos, comites videlicet Pretslaum castellanum Gneznensem, comitem Sbilutonem castellanum de Nakel, comitem Vitum pincernam Gneznensem. Datum in Nakel anno gracie Domini m.cc.lxxx.iiii, Indictione xii, Idus Septembris.

Mochle, *Mochla.* Orel, *Orle.* Crusevo, *Kruszyn Polski, lub też Niemiecki.* Svece, *Świecie.* Scicen, *Szczytno, z niemiecka Ziethen.* Nakel, *Nakło.*

Nr. 545.

Secundus Premizl dux Polonie 1284 Oct. 6, in Kalis; confert comiti Boguslao castellano de Ujście et subcamerario Poznaniensi hereditatem Polanowo, plurimis privilegiis munitam.

Pergam. orygin. Na grubym sznurze nici jedwabn. czerwon. przywieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XXI).

Biblioteka XX. Czartoryskich. Diplomata.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premizl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod intuentes fidele servicium et utile dilecti ac specialis nostri baronis comitis Boguslay castellani de Usce et subcamerarii Poznaniensis, sibi sueque posteritati nostram dedimus hereditatem que Polaninovo vulgariter nuncupatur, cum omnibus utilitatibus et proventibus que nunc ibi sunt et processu temporis poterunt exoriri iure hereditario in perpetuum possidendam, absolventes eandem hereditatem ab omni solucione Polonica que nostro dinoscitur dominio pertinere, videlicet a naraz, a povoz, a prevod, a stroza, a podvorove, ab opole, a bove, a vacca, a castri citacione, et ab aliis omnibus solucionibus quibuscunque nominibus censeantur. Furtum et homicidium perpetratum inter homines incolas (sic), ipse et sua posteritas perpetuo percipiant ex integro; omnibus eciam ibidem utantur iuribus: ferro, duello et super aquam mittendam. Habeant eciam in eadem hereditate liberum arbitrium locandi ius Theutonicum, eiusdem iuris Theutonici fructus integraliter

percipiendo cum omnimoda libertate. Ut autem nostra donacio racionabilis perpetuo inviolabiliter perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam presentibus hiis testibus: comite Beniamin palatino Poznaniensi, comite Thomislao castellano Poznaniensi, comite Nicolao iudice Poznaniensi. Datum in Kalis anno gracie Domini m.cc.lxxxiii, ii Nonas Octobris, Indictione xii, per manus Thilonis notarii curie nostre.

Usce, *Ujście.* Polaninovo, *Polanowo.*

Nr. 546.

Secundus Premisl dux Polonie 1284 Oct. 13, in Kalis; confirmat omnes libertates in bonis comitis Thomislai de Szamotuły, castellani Poznaniensis, et antiquis novas amplissimas addit.

Warszawa. Archiw. Główne. Ks. M. 35, fol. 506.

In nomine Domini amen. Dum vivit litera vivit et actio commissa litere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Hinc est quod nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum fieri volumus presentibus et futuris presens scriptum inspecturis, quod nos conspicientes fidele et utile servicium nostri baronis comitis Thomislai castellani Poznaniensis, innovantes confirmamus et damus omnem libertatem in hereditatibus suis, tam ab antiquo quam noviter fideliter deservitis, que vulgari nomine sic nuncupantur: Schamothule cum aliis circum adiacentibus, scilicet Petrovo, Gay et Becrow, Hoyno, Pachawe ex utraque parte lacus Gacy, Othorowo, Othuze, Pomorano, Okisovo, Nogyew, Crusele: videlicet a stroza, a narzas, a prewod, a podvorowe, a poradlne, a bove, a vacca, a citacione castri, et ab opole penitus in nullo stare; nec per aliquem hominem citati, nisi coram nobis, nostro annulo dictus Thomislaus et sui posteri et incole dictarum hereditatum provocati, tenebuntur respondere. Concedimus et damus prefato comiti Thomislao et sue posteritati in hereditatibus supranominatis locare ius Theutonicum, secundum placitum et iuxta iura Theutonica statuta et stabilita; in quibus villis, tam in iure Theutonico quam in Polonico, omnes questus et proventus recipere tenebuntur dictus Thomislaus et sui successores. Item omnia iudicia et examina que in iure Theutonico et Polonico habentur et inveniri possunt, sicut in suspensione latronum, in decollacione, mutilacione membrorum, et homicidiis, in duello, sive in examine aque et ferri: comiti Thomislao et suis posteris, absque omni assessore nostri dominii et cuiuslibet potestatis sive dignitatis, pro se iudicare, et omnes proventus iudiciorum concedimus et confirmamus recipere et hereditarie in perpetuum possidere. Item, si sui homines de villis suis, in alienis villis seu alieno opole invicem duo fuerint occisi, penam sive culpam idem Thomislaus et sui successores recipere debent. Damus eciam incolis sive habitatoribus dictarum hereditatum, in districtu nostri dominii libertatem a solucione thelonei cuiuslibet, a thargowe, libere transire, intrare et exire, nemine contradicente. Specialiter vero in Schamothule forum, quod est a patre nostro karissimo et duce Polonie felicis memorie per iam fatum comitem Thomislaum fideli et constanti servicio deservitum, confirmamus; in quo foro qualecunque factum emerserit, tam inter suos homines quam inter extraneos, comes Thomislaus et sua

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

posteritas per se et pro se iudicare et recipere tenebuntur, nullo prohibente nec aliquem respectum habendum (sic). Item, si nos cum nostra curia in aliqua villa stare contigerit, dictus comes et sui posteri nobis currus dare non debent; sed per quos currus intrabimus, per eosdem exitum habere debemus. Ut autem hec nostra innovacio confirmacionis et donacio firma et inviolabilis perpetuo perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus roborandam presentibus hiis testibus: comite Preclao castellano Gneznensi, comite Nicolao iudice Poznaniensi, comite Cecheslao pincerna Kalisiensi, et comite Boguslao castellano de Uscze et succamerario Poznaniensi. Actum in Kalis, dum castrum captum fuit per comitem Sandivoyum filium Ianconis palatini Poznaniensis, anno gracie Domini millesimo ducentesimo octagesimo quarto. Datum et conscriptum in vigilia Calixti tercio Idus Octobris per manus Thilonis nostri notarii et curie nostre (sic).

Schamothule, *Szamotuły*. Petrovo, *Pietrowo*. Gay, *Gaj*. Becrow, *Biezdrowo*. Hoyno, *Chojno*. Pachawe, *Pakawie*. Gacy, *Gać*. Othorowo, *Otorowo*. Othuze, *Otusz*. Pomorano, *Pomorzany*. Okisovo, *Ociesze*. Nogyew, *Nojewo*. Crusele, *Kręzoły*. Uscze, *Ujście*.

Nr. 547.

Secundus Premisl dux Polonie 1284 Nov. 11, s. l.; dat Henrico dicto de Thonch, civi Poznaniensi, hereditatem Górczyn iure Theutonico locandam, ipsumque scoltetum hereditarium in eadem statuit.

Dwa texta równobrzmiące. Pierwszy w pergaminie orygin., którego pismo należy do XV wieku i jest bez śladu przywieszania pieczęci. Drugi w transsumpcie orygin. potwierdzonym przez: Consules Poznanienses 1390 Febr. 3, Posnanie, *przy którym na sznurze z nici lnianych zielon. zawieszona pieczęć miasta Poznań;* (pieczęć L).

Poznań. Arch. Miejskie. Diplomata Nr. 3 i Nr. 4. — Lwów, Biblioteka Baworowskich, Lib. privil. civitat. Poznan f. 10 v.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod inspectis fidelibus serviciis honorabilis viri ac servitoris nostri domini Henrici dicti de Thonch, civis Poznanie, que nobis et nostris progenitoribus fideliter exhibuit et ostendit, de nostra non ficta voluntate et salubri habito nostrorum baronum consilio, sibi suisque successoribus legittimis nostram dedimus hereditatem que Gorczino vulgariter nuncupatur Theutonico iure locandam, ipsum et suos successores legittimos super iam dicta hereditate scoltetum hereditarium statuentes iuxta ius Poznaniense. Racione autem sue locationis ipse et sua posteritas iure hereditario libere possideant sextum mansum cum omnibus pertinentiis, sicut nos nostros possidemus. Iudicare eciam habeant omnes causas inter Theutonicos et Polonos, excepto suspendio et sentencia capitali ac homicidio, que cause coram advocato Poznaniensi provinciali debeant diffiniri. Nichilominus earundem causarum et aliarum omnium, ubicunque locorum in ipsa villa vel alibi determinate fuerint, dictus Henricus et sua posteritas tercium denarium percipere teneantur: ut est suspensio, homicidium et sentencia capitalis. Molendina quecunque sibi



fieri potuerunt, ipse et sua posteritas perpetuo possideat libere et quiete cum una libera taberna. De ortis autem quitquid fieri potest in agris ipsis pertinentibus, cum omnibus utilitatibus libere possideant et quiete. Quidquid vero de piscinis fieri potest in districtu eiusdem hereditatis, ipse et sui posteri libere valeant possidere. Dictus autem Henricus et sua posteritas, de bonis a nobis in eadem hereditate racione sue locacionis receptis, nobis et nostris successoribus nullo penitus sint obligati servicio, nisi cum necessitas fuerit defendere terram nostram; nec cuiquam solucioni vel communi peticioni que a mansis liberis exiguntur, subiacere in perpetuum ullo modo teneantur. Polonus ibidem existens incola, sicut alter Theutonicus subiacere iuri Theutonico teneatur; ita ut nullus nostrorum castellanorum seu aliorum superiorum, cuiuscunque condicionis fuerint, aliquem respectum habeant ad eandem. Incole autem eiusdem hereditatis super cultis et incultis agris octo annorum habeant libertatem. Cessante autem libertate, de quolibet manso parvo pro censu et decima fertonem argenti usualis, et mensuras silliginis sex, sexque avene in mensuram Poznaniensem solvere teneantur de omnibus agris qui arari possunt. De paludibus vero et pratis, nunc ibi existentibus et provenientibus in futurum, prefatus scoltetus noster et sua posteritas perpetuo omnes utilitates percipiant libere et quiete. Lepores autem perdices et phazones ibidem venari teneantur. Pro ecclesia vero duos mansos liberos assignamus. Et incole eiusdem hereditatis infra libertatem non solvant theloneum in terra nostra, et post libertatem dimidietatem thelonei solvere teneantur; scoltetus autem noster et sui posteri, infra libertatem et post libertatem, in perpetuum nullatenus solvere teneantur per universum nostri dominii districtum. Expeditionem vero eiusdem hereditatis incole extra terram nostram non faciant, sed ad defensionem terre nostre servire teneantur. Censum non alibi sed in Poznan deducere teneantur. Ut autem nostra racionabilis donacio et supradictorum omnium stabilis ordinatio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam. Hii sunt testes: comes Benyamin palatinus Poznaniensis, comes Nicolaus iudex Poznaniensis, comes Boguslaus castellanus de Usce et subcamerarius Poznaniensis, comes Grabya subthezaurarius tocius Polonie, Ianko wlodarius Poznaniensis. Acta sunt hec anno Domini millesimo ducentesimo LXXXIIII, Indiccione XII, et data in festo sancti Martini episcopi et confessoris per manus Tylonis notarii curie nostre.

Gorczino, *Górczyn.* Usce, *Ujście.*

Nr. 548.

Conradus episcopus Lubucensis 1284 Nov. 13, s. l.; litteras quas dederat Domui militiae Templi: **Secundus Premizlo dux Polonie 1282 Nov. 5, in Poznan,** transsumi facit.

Wohlbrück. Gesch. d. Bisth. Lebus; I, p. 145.

Nos Conradus miseratione divina episcopus Lubucensis notum facimus omnibus — —, quod litteras illustris principis Premizlonis ducis Maioris Polonie, non cancellatas — vidimus — in hec verba: (*Sequitur diploma Nr. 516*).

[illegible]

[redacted]

In cuius rei testimonium presentes litteras sigillo nostro fecimus communiri. Anno Domini M.CC.LXXX.IV, in die beati Briccii episcopi et confessoris.

Lubucensis, *de Lubusz, z niemiecka Lebus.*

Nr. 549.

Secundus Premisl dux Polonie 1284 Nov. 28, in Poznan; concedit comiti Stephano castellano de Krobia, ut villas ipsius in ius Theutonicum locare et villam Dupin in oppidum erigere possit.

Poznań. Königl. Staats Arch. Libri terrestr. Costens. a. 1555, fol. 971.

In nominé Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa littere, cuius assertio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Hinc est quod nos secundus Premisl Dei gratia dux Polonie notum esse cupimus modernis et futuris presentem litteram intuentibus, quod nos conspicientes fidele et constans servicium nostri militis comitis Stephani castellani de Kroba, filii comitis Scedrici, contulimus sibi et sue posteritati in villis suis ius Theutonicum collocari, secundum quod et alie civitates et ville in nostro dominio sunt locate, que vulgariter sic vocantur: Dupino, ubi dictus Stephanus seu successores sui civitatem pro suo placito collocabunt, Slescovo cum sorte que Rozkohowo vocatur et quam sortem emit ab Alberto coram nobis et nostris baronibus, sibi et suis posteris hereditarie in perpetuum possidendam; Osec, Domaslavy, quam villam iam dictam Do. eciam idem Stephanus coram nobis emit a comite Nepolonio et fratribus suis, sibi et successoribus iure hereditario perpetualiter possidendam; Podrecze, Gurka et Sowy que est quidem nostri venatoris, ubi dictus S. et sui antecessores venacionem habuerunt ex concessione nostrorum progenitorum: damus predicto S. pro placito venari seu locari iure iam predicto, excipiendo prefatas hereditates ab his solutionibus et gravaminibus iuris Polonici, sicut a stroza, a naraz, a podworowe, a poradlne, a powoz, a powod (sic), a bove, a vacca, a falcone, ab opole cum eo in nullo penitus stare, a castore, a citatione castri et cuiuslibet dignitatis. Preterea in supra dictis villis sive hereditatibus eidem Stephano sueque posteritati damus et concedimus omnia gravamina iuris Theuthonici, scilicet homicidia, decolaciones, suspensiones, mutilaciones membrorum, duellum, ius aque et ferri, et que plura in iure Theuthonico poterint exoriri. Item omnis scultetus et sui posteri, prout iure iam dicto contingerit, iudicabunt omnes questus, et proventus exinde venientes predictus S. suique posteri una cum suis iudicibus hereditarie recipere debeant, nullo assessore nostri dominii sive cuiuslibet dignitatis mediante vel contradicente. Item, si duo homines earundem villarum invicem fuerint occisi ubicunque locorum, tam in propriis quam in alieno, sive unus cum alieno, supradictus comes S. et sui legittimi successores penam sive culpam iure hereditario in perpetuum recipere congaudebunt. Ut autem hec donacio firma et rata in evum perseveret, presens scriptum nostri sigilli munimine duximus roborandum presentibus hiis: comité Preslao castellano Gneznensi, comite Mathia castellano Kalisiensi, et comite Staszone. Actum anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo quarto,

Nr. 551.

Jacobus Gneznens. archiepiscopus 1285 Jan. 6, in Lanciciensi Synodo; edit Statuta per ecclesiam Poloniae observanda.

R. Hube, Antiquissime Constitutiones Synodales, p. 163. —

(*Transsumpt potwierdzony przez*: Jaroslaus S. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1357 Jan. 10, in Kalis.) *Helcel, Starodawne prawa Polsk. pomniki I, p. 382.*

In nomine Domini nostri Jesu Christi amen. Cum apostolus dicat: Fundamentum aliud nemo potest ponere, quam id quod est Jesus Christus; et Gregorius inserat: Ubi Christus fundamentum non est, nullius boni operis potest esse superedificium; nos Jacobus miseratione divina Gneznensis archiepiscopus, una cum venerabilibus fratribus nostris coepiscopis provincie Polonie, constitucionibus predecessorum nostrorum manentibus illibatis, propter multiplicationem emergentium casuum et subcrescentem maliciam perversorum, aliqua duximus statuenda, a fundamento quod positum est, quod est Christus, et fide katholica, que de ipso et super ipsum fundata est, utpote supra firmam petram principaliter inchoantes.

Inprimis ergo statuimus: quociescunque episcopi per suas dyoceses Synodos celebraverint, omnibus presbyteris et clericis per se vel suos vicarios Sacramenta ecclesie et articulos fidei in simbolo apostolico exponere et distinguere debent sigillatim, cum eos scire omnes clerici explicite teneantur, in hunc modum: Septem sunt Sacramenta ecclesie: baptizmus, confirmatio, (Eucharistia) penitentia, extrema unctio, sacer ordo, matrimonium; que per ordinem in hoc versiculo designantur:

Abluo, firmo, cibo, luo, linio, proveho, nubo.

Articuli vero fidei patent in simbolo taliter distinguendo. Primus articulus: Credo in Deum etc.; secundus incipit: Et in Jesum Christum etc.; tercius: Passus sub Pontio etc.; quartus: Descendit ad inferos, in anima tantum, etc.; quintus: Tercia die resurrexit a mortuis; sextus: Ascendit ad celos in anima et corpore; septimus: Inde venturus est; octavus: Credo in Spiritum sanctum; nonus: Sanctam Ecclesiam katholicam; decimus: Sanctorum communionem; undecimus: Remissionem peccatorum; duodecimus: Carnis resurrectionem etc. Hii autem articuli secundum theologos taliter distinguntur; secundum vero iuristas sunt septem, et cum hiis versiculis taliter designantur:

Nascitur, abluitur, patitur, descendit ad yma,
Surgit et ascendit, veniet discernere cuncta.

Item statuimus, quod omnes clerici, dum horas dicant in prima et in completorio, simbolum predictum dicant distincte et eciam omnes horas; et dum sint apud suas ecclesias, in ecclesiis ipsas dicant taliter alta voce, quod se intelligant et ab aliis audiantur. Et ante quamlibet horam dicant orationem dominicam, post horam vero: Salve regina: cum tribus collectis, prima de Domina: Protege Domine; secunda contra gentiles: Deus qui sanctam Civitatem; tercia pro Ecclesia: Exaudi Domine Ecclesiam tuam: cum illo: Et pacem tuam nostris concede temporibus. Ante horas vero die dominica: Ave Maria: genibus provolutis.

Statuimus etiam, ut omnes presbyteri singulis diebus dominicis, intra missarum sollempnia dictum simbolum et oracionem dominicam et Salutacionem Virginis gloriose, decantato simbolo, loco sermonis exponere populo debeant in Polonico, et festa

indicere. Si qui autem adeo periti fuerint, exponant ewangelium, ad bona opera facienda et vicia fugienda, et ad divinum officium aut saltem ad Corpus Christi videndum, populum inducentes. Et ante Elevationem campana pulsetur ut homines concurrant, ac deinde ut orent pro domino Papa et omni gradu Ecclesie, pro regibus et principibus cunctoque populo Christiano, pro pace et bono statu terre, et cunctis que sunt universorum et singulorum usibus profutura; specialiter autem pro benefactoribus et patronis, ac singulariter pro vivis, et defunctis ibi sepultis.

Preterea, ut populus suas non subterfugiat ecclesias, maxime in sepulturis eligendis, sed ad eas pocius ipsius devotio excitetur, statuimus et firmiter precipimus observari: ut beneficia et nomina benefactorum ecclesie cuiuslibet habeantur in scriptis, et post exhortationem huiusmodi publice recitentur ut pro ipsis fiat oracio specialis, et dies obitus eorum in libris et prope sepulcra parietibus innotentur; et ut eorum anniversarium parentibus nuncietur, qui ad eorum invitentur exequias, talibus precipimus celebrari. In fine autem exhortacionis huiusmodi, populus generalem confessionem faciat in hec verba: Kayesse Bogu etc.

Item statuimus, ut in omnibus ecclesiis nostre provincie kathedralibus et conventualibus hystoria beati Adalberti habeatur in scriptis, et ab omnibus usitetur et cantetur.

Statuimus insuper ad conservacionem et promocionem lingwe Polonice: in singulis locis ecclesiarum kathedralium et conventualium, et aliis quibuscunque locis non ponantur rectores scolarium, nisi linguam Polonicam proprie sciant, et possint pueris auctores exponere in Polonica lingua.

Item volumus et statuimus, ut archidyaconi, dum officium visitacionis exerceant, ab omnibus presbyteris sibi subiectis audire Canonem teneantur, et eos, si quod legunt in officio Misse intelligant, examinare toto ordine, in verbis, gestibus atque signis. Huic eciam constitutioni adicientes statuimus, ut tunc presentes constitutiones apud ipsos presbyteros videant et in eis ipsos examinent, si eas execantur diligencius inquirentes.

Item statuimus, ut presbyteri vel rectores ecclesiarum, sacerdotalia et altaris munda semper habeant ornamenta. Adicimus eciam, ut Eucaristiam et alia ecclesiastica Sacramenta munde servare debeant et decenter.

Statuimus eciam, ut ecclesias suas habere debeant inferius et superius omni sorde mundatas; nam verecundum est in sacris, quod dedecet in prophanis.

Item statuimus, ut non vendantur ecclesiastica Sacramenta, cum gratia debeat gratis dari.

Adicientes eciam statuimus, ut infirmi sine dilacione quociens opus est visitentur, et quod Eucaristia per sacerdotes precedente sono campane, in civitatibus autem precedente lumine, honorifice deferatur.

Preterea statuimus, ut de hiis omnibus et aliis que ad officium pertinent sacerdotum et aliorum quorumlibet statuum, que cauta sunt, per archidiaconos aut ipsorum vicarios, dum visitacionis exercent officium, omnes presbyteri inquirentur, et in hiis delinquentes, secundum qualitatem delicti ab hiisdem archidyaconis puniantur.

Preterea statuimus, ut cimiteria semper sint plancis circumdata vel fossato, ut non sacrum dinoscatur a sacro.

Preter hec autem precipiendo mandamus, ut nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam habere indubitanter vel subintroductam mulierem. Unde eciam ipsa sancta Synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit, dicens: Quicunque

sacerdotum, dyaconorum, subdyaconorum, post constitutum beate memorie predecessoris nostri sancti Leonis Pape et Nicolai episcopi: De castitate clericorum: concubinam palam duxerit vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei et auctoritate apostolorum principum Petri et Pauli precipimus et omnino contradicimus, ut Missam non cantet, nec Ewangelium legat nec Epistolam ad Missam, neque eciam in presbyterio cum hiis ad divina officia qui prefate constitucioni obedientes fuerint maneat, neque partem ab ecclesia suscipiat.

Item, cum publici concubinarii excommunicati sint ipso facto per constituciones wenerabilis patris domini Philippi Firmani episcopi, quondam in partibus Polonie apostolice Sedis legati, ac per consequens irregulares quia divinis officiis se immiscentur, nec non alii quam plures eis communicando, per eiusdem Philippi constituciones laqueum maioris excommunicacionis incurrant; cum eciam per constituciones wenerabilis patris Guidonis, quondam legati Polonie, tales suis privati sint beneficiis ipso facto et sic sacrilegii crimen incurrant, et archidyaconi suspensi sint ab officiis ipso iure si hec negligunt emendare, cum per hec frequens et grave multorum immineat periculum animarum; nos hiis irrevocandis positis taliter duximus providendum: ut cum archidyaconi super corrigendis talium excessibus negligentes visi fuerint, dyocesani unam vel duas personas iuratas fidedignas per singulas ecclesias suarum dyocesum secrete transmittant, et concubinas huiusmodi per dictos nuncios faciant captivari, eciam invocato, si ad hoc opus esset, brachio seculari patronorum aut etiam villanorum. Capte autem, cum sua prole taliter acquisita, pro arbitrio dyocesani redigantur in perpetuam servitutem, aut si dyocesanis visum fuerit, recepta fideiussoria caucione pro qualitate delicti, fustigate dimittantur; et nichilominus contra personas per censuram ecclesiasticam procedatur, et bona pro talibus comparata, in usus eiusdem ecclesie convertantur.

Item statuimus, ut ecclesiarum possessiones secularibus personis, cum per hoc in totum alienari soleant, nullatenus concedantur; si que iam concesse sunt, per eos ad quos pertinent infra anni circulum revocentur: quod si neglexerint, ipsorum negligentia punita, per episcopos suppleatur illorum. Ecclesiasticis personis tamen, et eciam laicis, eisdem tamen servientibus ecclesiis, (ab) utrisque litteratoria caucione prestita, concedi poterunt de suorum dyocesanorum assensu ita, quod nullatenus ad suos transeant successores.

Preterea volumus et ordinamus, ut nulla persona seu collegium, cuiuscunque sit dignitatis aut status, prout iuris est, irrequisito dyocesano ecclesias vel monasteria fundare presumat; si qui vero contravenerint, populus ab ipsorum divinis et demum a communione protinus arceatur, cum per hoc dissolvatur nervus ecclesiastice discipline. Si qui vero contra hec, privilegia dixerint se habere, nobis ea usque ad instans Pascha debeant presentare.

Et quoniam preterita pericula nos circa futura faciunt cautiores, volumus et ordinamus, ut si alique persone vel collegia a nostra se provincia separaverint, scisma quodammodo faciendo, cum iam quidam per factum huiusmodi a sui dyocesani obediencia recesserint: pontificalia eis ministeria et ecclesiastica beneficia, sepulture videlicet et elemosine, penitus denegentur; et si canonice moniti ad unionem vel obedienciam non redierint, extunc populus ab ipsorum communione districtius arceatur, insuper a personis ecclesiasticis ad hospicia nullatenus colligantur. Hoc ipsum extendi volumus ad eos, qui iam scisma et inobedienciam huiusmodi commiserunt.

Et quoniam quidam religiosi terrigenas nostros Polonos ad Ordinem recipere frequentius aspernantur alienigenas pocius amplectentes, cum ab indigenis beneficia receperint et recipiunt pro quorum salute monasteria potius sunt fundata, volumus et statuimus, ut ab huiusmodi contemptu per dyocesanum episcopum per subtractionem beneficiorum, ut supra cautum est, arceantur; et si aliqui contra hoc dicunt se habere privilegia, eadem teneantur nobis infra Pascha proximum presentare.

Item, cum et alias sit statutum, ut nullus, cuius condicio, status, genus et conversacio ignota est, ad Ordines admittatur, nos hoc iterum innovantes adicimus, ut eciam nullus extra nostram provinciam promotus, ad serviendum in nostra provincia vel recipiendum beneficium permittatur, nisi prius per dyocesanum fuerit admissus, et hoc per litteras eiusdem dyocesani patentes ostendat.

Item, quia plurimi vicarios recipiunt ad suas ecclesias minus ydoneos vel ignotos ut eis salarium minus solvant, volumus, ut omnes vicarii huiusmodi archidyaconis presententur, ne in litteris admissionis idem plebani possint decipi vel sigillis.

Item volumus, ut vicarios ydoneos in suis ecclesiis perpetuo conveniant, et victum quinque marcarum eis predestinamus habere.

Item statuimus, ut cum ad alios sacros ordines debuerint ordinari, non recipiantur nisi confessi, ne executione suorum ordinum careant si fuerint in mortali peccato.

Item statuimus, ut ex quo fuerint ordinati, ordinationis sue litteras habere teneantur; similiter, cum beneficiati fuerint, investiture sue litteras debeant obtinere.

Item statuimus, ut nullus de beneficiatis se a sua ecclesia extra provinciam vel dyocesin audeat absentare nec alicui servire, nisi de sui dyocesani licencia speciali.

Item, cum episcopi fundant ecclesias aut fundatas dotare voluerint, statuimus, ut dos in perpetuam memoriam habeatur in scriptis, et sub sigillo prelati et patroni, littera diligencius conservetur. Si que autem decime pro usibus eiusdem ecclesie fuerint assignate, sub certa limitatione terre et quantitate valoris debeant assignari; ita, ut excrescencie, si que forent inposterum, ad mensam episcopi revertantur. Hoc autem ad kathedrales ecclesias nolumus extendi.

Cum non sit malitiis hominum indulgendum, et quorundam adeo malignitas inolevit, ut cum homines innoxii plena securitate se gaudere credant, ipsi, peiores publicis viarum predonibus seu pirratis, homines insontes temeritate propria capiunt et faciunt captivari; statuimus, ut ad instar nocturnorum populatorum agrorum seu robatorum publicarum stratarum, huiusmodi detestabiles predatores seu pocius proditores ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, et loca in quibus habitaverint et in quibus captivi detenti fuerint, ecclesiastico supponantur interdicto, donec captivati taliter, absque nullius exactione peccunie, pristine reddantur libertati.

Item, cum statutum sit, ut cum aliqui excommunicatos in curiis suis scienter detinent, in curiis eorum divina officia non debeant celebrari: nos adicientes statuimus, ut si aliqui clerici moniti contra predictum statutum venerint, ab officiis et beneficiis sint suspensi.

Et quoniam cautum est, ut coniuratores et conspiratores a proprio gradu cadere debeant, statuimus, ut si qui tales reperti fuerint, suis beneficiis spolientur.

Item statuimus et firmiter precipimus observari, ut si qui clerici quibuscunque personis contra Ecclesiam prestiterint patrocinium, consilium et favorem, si beneficiati sint, ipsis beneficiis sint privati; si vero non, ad ecclesiastica beneficia sint inhabiles obtinenda.

[illegible]

[redacted]

Item statuimus, quod cum aliqui copulandi fuerint, banna tribus diebus dominicis continuis in eorum parochiis promulgentur.

Item, si rapta puella fuerit, nisi forte rapi se preceperit, raptori nullatenus copuletur donec reddatur pristine libertati; et presbyteri taliter copulantes, pena trium marcarum argenti puniantur.

Item, cum periculosum sit divorcii sentenciam ab imperitis proferri, statuimus, ut tales sentencie nonnisi a dyocesano vel archidyaconis iuris peritis ferantur.

Item, cum Iudei melioris conditionis esse non debeant Christianis, et Christiani res furtivas, quamvis emptas, vero domino absque solucione precii cogantur ad restitutionem earum, statuimus, ut Iudei apud quos res furtive invente fuerint, absque solucione precii cogantur ad restitucionem ipsarum rerum. Si qui vero in hac abusione fuerint, ut res apud eos repertas nisi data pecunia restituant aut manutenuerint aut eciam defensaverint, per censuram ecclesiasticam compescantur.

Item statuimus, ut nullus apud Iudeos res sacras vel libros deponere presumat vel quomodolibet obligare, nisi in gravi necessitate, de licencia prelatorum.

Item, cum sit scriptum: Diligenter agnosce vultum pectoris tui: statuimus et firmiter precipimus observari, ut nullus investiatur aliquo beneficio curam animarum habente, nisi natus in terra et eiusdem terre ydiomate peritus.

In anniversario ducis seu ducisse sive episcopi, in qualibet ecclesia conventuali Missa et Vigilie solemniter cantentur.

Nullus episcopus in consecratione alicuius ecclesie debet decimam aliquam sine assensu sui Capituli dare.

Quocies archidiaconi parochias visitant, primo plebi sibi subdite impendant spiritualia, predicationis verba autem explanent; deinde qui ancillas habent vel alias mulieres impudicas in suis curiis, que publice turpitudines suas faciunt, eos caste vivere moneant: quia male consentiunt, qui cum possunt non prohibent.

A laicis decime non alienentur a propria ecclesia, cui iure debentur. Si ecclesia aliqua eas de manu laicali susceperit, noverit se interdicto, si clericalis persona est, sciat se excommunicationi subiacere. Hec sacra Synodus statuit. Simile est nunc statutum in Clementinis: De decimis, capitulo primo.

Ne aliquis clericorum excommunicatus vel suspensus, per aliquam curiam magnatum se volens tueri, in ea audeat suum exercere officium. Sacerdotes qui in curia magnatum Missam celebrant, antequam eam incipiant dicant: Si quis excommunicatus est hic, recedat; et qui aliquem sciat excommunicatum, cum ipso nullam audiat Missam.

Archidiaconi vel decani suorum subditorum excessus episcopis suis fideliter studeant intimare. Statuimus, ut episcopi ipsi, ad denuntiationem suorum archidiaconorum, correctionis officium studiosius impendant in subiectos.

Ad nostras pervenit aures, quod quidam seculares iudices pretextu reconventionis clericos iudicare presumunt; quod omnibus modis inhibemus.

Audivimus etiam de decimis fraudandis et de manipulis proiciendis a festo beati Iacobi; quod pro iniuria reputantes pati nolumus, sed iure quo predecessores nostri ab antiquo sunt usitati uti volumus.

Etiam notuit nobis, quod quidam laici temeritate propria, irrequisitis nobis et invitis plebanis ecclesiarum, altaria construere vel alia loca sub altaris specie ornare presumunt ut ad eas speciales oblationes offerantur, quas, ut dicunt ad opus ecclesie destinandas, pro sue voluntatis arbitrio dispensare non verentur in plebanorum non

modicum preiudicium et gravamen. Nolentes igitur sustinere, ut humani generis inimicus ipsorum animas huiusmodi occasione excessus inextricabili laqueo valeat irretire, precipimus: ut in quacumque ecclesia altaria vel alia loca huiuscemodi sint constructa, si post primam aut secundam ammonicionem constructores eorum ea neglexerint amovere, sacerdotes ea nostra auctoritate amoveant, vel a divinis abstineant donec amoveantur.

Nr. 552.

Martinus Pp. IV 1285 Jan. 9, Perusii; mandat ducibus Poloniae et Pomeraniae, ut Iohannem Muskata archidiaconum Lanciciensem in exactione denarii beati Petri colligenda adiuvent.

Theiner, Monumenta histor. Poloniae I, 171.

Martinus episcopus (*etc.*), dilectis filiis nobilibus viris universis ducibus per Poloniam et Pomeraniam constitutis salutem (*etc.*). Credimus, quod geratis in votis more devotissimorum filiorum, ut in hiis que nobis et ecclesie Romane debentur, promptitudine animi et effectu operis exhibeatis vos favorabiles et attentos. Cum itaque Iohanni Muscate archidiacono Lanciticnsi, in ecclesia Gneznensi, de cuius industria et discretione plene confidimus, denarium beati Petri, census, aliaque iura omnia apostolice Sedi debita in partibus Polonie et Pomeranie commiserimus exigenda: nobilitatem vestram affectuose requirimus et rogamus per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eidem archidiacono pro nostra et dicte Sedis reverentia promptum et efficacem super hiis impendatis favorem cum ab eo fueritis exinde requisiti, ut eo utilius commissa sibi a nobis negotia exequatur, quo circa illa manum vestri auxilii duxeritis efficatius apponendam, et nos vestre diligentie studium, quod in hac parte gratum quamplurimum habebimus et acceptum, propter hoc commendare dignis in Domino laudibus, et specialibus gratiarum actionibus prosequi merito teneamur. Datum Perusii V Idus Ianuarii, anno quarto.

In e. m... Duci Slezie et domino Wratislavie, et .. Duci Cracovie.

Nr. 553.

Premisl secundus dux Polonie 1285 Febr. 2, apud Posnaniam; confirmat donationem hereditatis Zawodzie, a duce Boleslao Iaszkoni subdapifero ducissae factam, eamque pluribus munit privilegiis.

Kalisz. Archiw. Rządowe. Inscript. terrestr. et decreta a. 1580, lib. 17, fol. 614.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio comissa litteris, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum facimus tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod intuentes fidele servicium et utile dilecti militis nostri Iaszconis subdapiferi domine ducisse Polonie dilecte coniugis nostre, eidem militi nostro ac eius successoribus legitimis eam donacionem perpetuam, quam a proavo nostro domino Boleslao duce Polonie pro suis fidelibus serviciis obtinuit super

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

totam hereditatem minoris Dobrce, Podgorze sic nuncupatam, que tunc decem mansos agri in se continet prout nostri mansi communiter mensurantur: sex videlicet possessionatos, in quibus ecclesia sancti Gothardi consistit collacionis prefati militis nostri, versus castrum antiquum civitatis se extendentes, cum pratis omnibus et hortis ad eosdem mansos pertinentibus: et quatuor prediales penes eosdem iacentes et ex altera parte penes agros hereditatis nostre, alias minoris Dobrcze, locacionis Herdani sculteti nostri, cum omnibus hortis et pratis ad eosdem spectantibus ex speciali gracia nostra approbavimus, approbamus et confirmamus. Et quia occasione certorum mansorum et hortorum eiusdem hereditatis minoris Dobrcze, Podgorze nuncupate, inter eundem Iaschkonem militem nostrum et Herdanum scultetum nostrum, alias minoris Dobrcze, differencia coram nobis exorta fuit: qui scultetus noster eosdem mansos prediales et hortos dicte hereditatis minoris Dobrcze, Podgorze nuncupate, ad hereditatem nostram, alias minoris Dobrcze locacionis sue, pertinere affirmabat: nos complanare differencias volentes, et eundem militem nostrum iuxta donacionem ipsius conservare et eundem in dicta hereditate conservare, prefatos octodecem mansos dicte hereditatis minoris Dobrcze, dicte Podgorze, quos usque nunc iure hereditario tenet, vigore prefate donacionis eidem militi nostro ac eius posteritati iure et titulo hereditario perpetue tenendam adiecimus, contulimus et adiudicavimus. Et ut gracia uberiori a nobis consoletur ob fidele servicium suum quod nobis fecit tempore necessitatis nostre, viginti unum hortos liberos, integros, incipiendo ex opposito agrorum predialium a flumine Przosna usque ad finem eorundem hortorum, eundo ad nostram civitatem nova Kalis ad manum dextram se protendentes, usque ad sepem quo peccora pelluntur ad biforium versus ultimum pontem civitatis nostre Kalis. Nec non lacum qui ex fluvio effluit, et quod est post eosdem hortos, videlicet omnia prata post eosdem hortos iacentia usque ad litus dicti fluminis Przosna, qui eandem hereditatem granitiabit. In quo damus ei et eius posteris liberam piscandi potestatem retibus ac instrumentis diversi generis, temporibus eviternis. Insuper et molendinum nostrum, quod fuit antique civitatis in flumine Przosna, cum piscina in qua molendinum est constructum, una cum insula Ostrow dicta, cum omnibus dicte hereditatis hortorum, lacus et pratorum ac piscine utilitatibus, fructibus, censibus, emolumentis, proventibus que nunc ibi sunt et in posterum poterint provenire, eidem Iaschkoni ac eius successoribus iure ac titulo hereditario perpetuo adiximus et contulimus, damus et eviterne donavimus, ac emensuravimus ab et ex hereditate nostra minori Dobrcze, et adscripsimus et incorporavimus perpetuo hereditati dicti militis nostri et certis limitibus consignavimus, quorum loca propter perpetuam momoriam et dilecti militis nostri securitatem hic conscribi fecimus, prefato militi nostro ac eius posteritati tanquam perpetuo heredi in evum omnia adiudicavimus, et imponendo Herdano sculteto nostro silencium perpetuum, cum plena facultate prefatam hereditatem cum omnibus ad eam pertinentibus more aliorum nobilium militum nostrorum tenendam, vendendam, possidendam, commutandam, alienandam, aut pro usu quo voluerit convertendam. Facimus insuper liberum et eximimus ab iuridictione et omni iure civili quo cives nostri utuntur, ita tamen, ut ab omni exaccione et solucione Polonica quomodolibet exopinata, vacca et vectione, et a nostris ordinariis et extraordinariis serviciis fiat liber et perpetue absolutus; excepto servicio bellico, quod more aliarum villarum Novi fori milites nostri servire tenentur, quod ipse more aliorum subire tenebitur. Ut autem prefatus Iaschko et sua posteritas dictam hereditatem minorem Dobrcze, dictam Podgorze, que a nostra alia minore Dobrcze est separata, hortos,

lacum et prata cum libera piscacione, molendinumque ac piscinam cum omnibus utilitatibus dicte hereditatis et attinentiis universis, libere, perpetue iure et titulo hereditario possideat, ut antea inclyti proavi nostri donacio nostraque confirmacio et gracialis quoque nostra in ipsum ac eius posteros donacio perpetua et inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus rite confirmandam et roborandam presentibus hiis testibus: comite Nicolao palatino Kalisiensi, comite Mroczkone filio comitis Przeczlai, comite Phalisio procuratore tocius terre, comite Kelczone gladiatore Gnesnensi, qui hiis omnibus presentes affuerunt. Datum apud Posnaniam in congregacione generali anno gracie Domini millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, Indiccione quatuor decima, in Purificacione beate Marie virginis, per manus Thilonis notarii curie nostre.

Minor Dobrce dictum Podgorze, *dziś Zawodzie.* Minor Dobrcze, *Mały Dobrzec.* Castrum antiquum *civitatis Kalisz, stało gdzie dziś osada Zawodzie, z którego okrągły nasyp ziemi, pokryty w części gruzami łupanych i obrabianych kamieni i cegieł pozostał.* Nova Kalis *jest dzisiejszy Kalisz.* Antiqua civitas Kalis, *miejsce dziś zwane Stare miasto, obok osady Zawodzie, zkąd dla częstych powodzi na miejsce dzisiejsze przeniesione.*

Nr. 554.

Jacobus archiepiscop. Gneznens. 1285 Apr. 26, in Gnezna; hereditatem Proczyn conventui de Trzemeszno contra petitionem filiorum Andreae, quondam castellani de Nakło, adiudicat.

Pergam. orygin. Brzegi obcięte; jedno wcięcie poprzeczne od przywieszenia pieczęci.

Trzemeszno. Priv. Conv. Can. Reg. Later.

In nomine Domini amen. Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nobis Iacobo miseracione divina sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo in anno Domini M.CC.LXXX quinto, sequenti die beati Marci Ewangeliste in Gnezna pro iudice residentibus, inter discretos viros dominum Martinum prepositum de Cremesna suumque conventum ex parte una, et Stanislaum et Woycechonem milites, filios Andree quondam castellani de Nakel ex altera, super hereditate que Proxino dicitur, seu super violenti eiectione de ipsa hereditate, litis questio est exhorta. Partibus igitur super eadem questione in nostra presencia decertantibus, allegacionibusque hinc inde propositis, productis eciam testibus fide dignis et iuratis, auditis attestacionibus et more solito publicatis, discussisque omnibus aliis circumstanciis diligenter, invenimus, ipsum conventum Cremesnensem de dicte ville Proxino possessione pacifica per violenciam fuisse eiectos. Unde habita super eo deliberacione matura et sufficienti tractatu, fratrumque nostrorum et aliorum virorum sapientum coiente consilio, dicimus, diffinimus et pronunciamus, dicte ville Pexino possessionem ad ipsum conventum Cremesnensis ecclesie pertinere, prefatosque filios comitis Andree, Stanislaum et Woycechonem, ad restitucionem possessionis predicte nostro iudicio sentencialiter condempnamus. In cuius rei testimonium, presentem litteram nostro sigillo mandavimus sigillari. Actum in Gnezna coram his: Goslao decano, Philippo archidiacono, Ga-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

briele cantore, Philippo custode Gneznensibus; Wlostiborio preposito Lanciciensi, comite Berwoldo pincerna, comite Nicolao tezaurario, Miroslao preposito Kalisiensi, et aliis multis ad hoc vocatis; die et anno ut supra.

Cremesna, *Trzemeszno.* Nakel, *Nakło.* Proxino, *Proczyn.*

Nr. 555.

Secundus Premizl dux Polonie 1285 Mai. 15, in Mogilna; Ryszewo, hereditatem comitis Andreae iudicis ab omni iure Polonico excipit, et facultatem concedit civitatem ibidem sub forma civitatis Kalisz aedificandi.

Pergam. orygin. Brzegi obcięte; dwie dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci. Trzemeszno. Priv. Conv. Can. Reg. Later.

In nomine Domini amen. Quoniam longi tractus temporum faciunt antiquitatem, antiquitas vero oblivionem, oblivio autem rerum actarum exhinanicionem, exhinanicio generat penitus confusionem, necesse est ergo ut facta que aguntur a sapientibus, annotacione testium ac scripti notamine roborentur. Igitur nos secundus Premizl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam intuentibus, quod nostra bona voluntate et fidelibus prospectis serviciis comitis Andree iudicis nostri, omnimodam libertatem in Rissevo contulimus sibi et suis posteris iure hereditario possidendam, et exceptam ab omni iure Polonico, a povoz, a prevod, a naraz, a stroza, a bove et vacca, a castri citacione, a podvorove, et ab aliis omnibus solucionibus quocumque nomine censeantur; interserimusque, quod in eadem hereditate, scilicet Rissevo, damus eidem sueque posteritati plenissimam facultatem civitatem edificandi sub forma civitatis nostre Kalis, ut quo iure cives Kalissienses fruuntur, eodem cives de Rissevo gaudeant. Volumus, et in causis tam magnis quam parvis, sicuti in incendiis, mutilacionibus, abcisionibus membrorum et in aliis omnibus, transferimus nostrum denarium dicto militi suisque successoribus libere condonantes, tali modo, ut nullus noster advocatus sive procurator dicte civitatis iudicio debeat interesse. Forumque habeat dicta civitas feria secunda. Protestamur eciam, quod comes Nycolaus noster venator dictus Zamb, heres de Strezevo, super decima que spectat capelle de Strezevo in civitate Rissevo, coram nostra presencia et nostrorum baronum capellanum suum non plus nisi duas marcas singulis annis accepturum. Ut autem hec nostra donacio et construccio huius civitatis rata ac firma processu temporis valeat permanere, presentem litteram nostro annullo fecimus insigniri presentibus hiis testibus: comite Prezlao castellano de Gnezna, comite Boguslao castellano de Usce et subcamerario Poznaniensi, comite Vito pincerna Gneznensi, comite Iacobo castellano de Rogozna, comite Nycolao venatore Gneznensi, comite Alberto subcamerario Gneznensi. Datum in Mogilna anno gracie Domini MCCLXXX quinto, scriptum ibidem tercio die Pentecostes.

Rissevo, *Ryszewo.* Strezevo, *Strzyżewo Paskowe.* Usce, *Ujście.* Mogilna, *Mogilno.*

[illegible]

[redacted]

Nr. 556.

Mistugius dux tocius Pomoranie 1285 s. d., in Gnezna; monasterio s. Clarae in Gniezno villam Bruzdzewo confert, eamque compluribus libertatibus munit.

Pergam. orygin. Na sznurze jedwabn. żółt. przywieszona wielka, okrągła pieczęć Misciwoja księcia przedstawia Męża zbrojnego, z płaskim hełmem na głowie, w długiéj po kolana szacie, stojącego pod szczytem wspartym dwoma słupami. Prawica wsparta na oszczepie, na lewéj zawieszona mała trójkątna tarcz. Napis: S. Dni. Miescwgii Ducis Pomoranie.

Königsberg. Königl. Staats Archiv. Schiebl. 49, Nr. 29.

In nomine Domini amen. Religiosam vitam eligentibus aut gerere volentibus favorabile et benignum nobilitatis convenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur quod absit sacre religionis infringat, infringere vel contingat. Nos igitur Mistugius Dei gracia dux tocius Pomoranie notum facimus universis tam presentibus quam posteris presentem paginam inspecturis, quod ob honorem Dei et sancte matris Ecclesie, ac condigne peticionis intuitu serenissime domine Iolenthe, relicte quondam incliti principis felicis recordacionis domini Boleslai ducis Polonie dilecti fratris nostri, villam nostram Bruzevo vulgariter appellatam, in districtu Pucensi sitam, damus et conferimus monasterio sancte Clare et sororibus ibidem Deo famulantibus in civitate Gneznensi, cum omnibus utilitatibus seu proventibus qui nunc ibidem sunt vel in posterum esse poterunt, in quo monasterio iam dicta domina, nurus nostra dilecta, recepto habitu religionis Ordinis fratrum Minorum, elegit et proposuit vitam ducere religiosam. Que omnia supradicta eidem monasterio iure hereditario in perpetuum confirmamus possidenda, libere, pacifice et quiete. Absolventes predictam villam ab omnibus exactionibus et solucionibus que sic vulgariter nuncupantur: naraz, povoz, prevod, stroza, podvoda, podvorove, poradlne, bove et vacca, opole, edificacione castri vel aliarum municionum, mostne, targove, stanownie vel strozevi, ab urna mellis, a solucione frumenti; falkonem nec custodiant nec solvant, tentorium ducis non ducant nec farinam (sic), a caniductoribus et canibus et ab equis et ab aliis omnibus gravaminibus et angariis, quibuscunque nominibus censeantur, que nunc sunt vel in posterum poterunt exoriri. Nec aliquem currum ad expedicionem mittere teneantur. Volumus preterea, ut homines predicte ville per nullum penitus citentur vel iudicentur pro qualibet causa seu eciam homicidio, nisi per suum iudicem qui per idem monasterium fuerit constitutus: et quidquid pene ex causis dirivabitur, totum cedat monasterio memorato. Concedimus insuper monasterio supradicto plenam libertatis facultatem, predictam villam iure Theutonico locandam seu comutandam, vel secundum quod in posterum videbitur expedire, ad usus proprios convertendam. Damus insuper monasterio supradicto navem, liberam in piscatura ab omni solucione que nostro dominio pertinebat. Ut autem hec nostra donacio firma et perpetua perseveret, ne et a nostris successoribus valeat inmutari, presentem paginam fecimus conscribi et sigilli nostri munimine communiri. Actum in Gnezna anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, hiis presentibus: comite Waysilone palatino Gdanensi, comite Paulo palatino Swetensi, comite Swentzone castellano Slupensi, comite Nycholao castellano Stytensi,

comite Iaronimo subcamerario Belgardensi, Stanislao, Iohanne Nossala dicto, et aliis quam pluribus viris fide dignis.

Bruzevo, *Bruzdzewo, z niemiecka Brusdau.* Pucensis, *de Pucko.* Swetensis, *de Swiecie.* Slupensis, *de Słupsk.* Stytensis, *de Szczytno, z niem. Ziethen.* Belgardensis, *de Białygrod, z niem. Belgard.*

Nr. 557.

Secundus Premisl dux Polonie 1285 Jun. 29, in Poznan; protestatur, comitem Luderum de Komorowo et filium eius Peregrinum, sub quibusdam conditionibus concessisse monasterio de Obra facultatem, molendinum in villa Niałek aedificandi.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. pag. 19.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera et accio commissa littere, eius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra nostrorumque baronum presencia comes Luderus dictus de Kumerowe et Peregrinus filius suus, de consensu et voluntate fratrum et omnium amicorum suorum, in honorem Dei et sancte Marie genitricis eius dederunt domino Iohanni abbati et conventui eius in Obra, potestatem edificandi et reparandi molendinum suum in Nalko, prout eis utile fuerit et quocies ipsis videbitur salubrius expedire. Predictus eciam comes Luderus et filius suus Peregrinus, de consensu omnium heredum ac successorum suorum, vendiderunt predicto domino Iohanni abbati et fratribus suis in Obra, potestatem obstruendi rivulum fluentem de lacu dicto Karpizko, et obstaculum faciendi per paludem, per quam idem rivulus meatum habet et transit per villam dictam Kumerowe et molendinum dictum Nalko, pro pecunia satis congrua, perpetualiter et iure proprietatis habendum, tenendum ac liberaliter possidendum nec non in usus beneplacitos convertendum, absque omni impeticione vel contradictione successorum suorum seu quorumlibet cognatorum. Insuper donaverunt sepe dictis fratribus de Obra plenariam libertatem accipiendi in earum hereditate prenotata, tam ligna quam terram ad obstruendum rivulum eundem et obstaculum reparandum, quociescunque indiguerint supradictis. Fratres autem dicti de Obra sepe dicto comiti Ludero et filio suo Peregrino, quousque ambo advixerint, absque emolumento molere promiserunt. Ipsis duobus decedentibus, scilicet comite Ludero et filio suo Peregrino, nullus omnino heredum suorum aut consanguineorum molere in predicto molendino Nalko absque metreta habeat facultatem. In huius rei testimonium presentem litteram nostri sigilli munimine roboramus. Testes sunt: comes Thomeslaus palatinus Poznaniensis, comes Gnevomerus iudex Poznaniensis, comes Ianussius subpincerna, comes Burgardus de Ratagin, comes Albertus de Karpizko, comes Petirco castellanus Poznaniensis, et alii quam plurimi fide digni. Datum in Poznan in die apostolorum Petri et Pauli, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quinto, per manus Thilonis notarii curie nostre.

Kumerowe, *Komorowo.* Obra, *Obra.* Nalko, *Niałek.* Karpizko lacus, *Karpicko.* Ratagin, *Rataje.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Nr. 558.

Iacobus s. Gneznens. ecclesie archiepiscopus 1285 Aug. 15, s. l.; promittit, ordinationem de conventu abbatiae de Sulejow, quam communicaverat universitati Ordinis Cisterciensis: **Fr. Hugo dictus abbas Morimundi 1255 Iun. 23, aput Morimundum,** per generale Capitulum Cisterciense esse ratificandam.

Pergam. orygin. Wcięcia poprzeczne od przywieszenia trzech pieczęci.
Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 44.

(*Praemisso diplomate Nr. 328.*)

Igitur et nos Iacobus miseracione divina sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus notum facimus universis, quod venerabiles et dilecti in Christo Io. de Suliow et Io. de Andreow abbates, ordinacionem prenotatam sub sigillis predictorum confirmatam nobis exhibentes humiliter supplicaverunt, quatenus una cum ipsis super ordinacione premissa, in generali eorum Capitulo confirmanda, sponte nos obligare dignaremur. Nos vero eorum peticioni annuentes, una cum ipsis promittimus fide bona, omnem ordinacionem supra dictam per generale eorum Capitulum esse ratificandam. In cuius rei testimonium presentem paginam tam nostro quam predictorum abbatum sigillis communimus. Anno Domini M.CC.LXXXV, in die Assumpcionis beate et gloriose virginis Marie.

Suliow, *Sulejow.* Andreow, *Jędrzejow.*

Nr. 559.

Premisl secundus dux Polonie 1285 Aug. 17, Poznanie; confert altari s. Hedwigis in ecclesia Poznaniensi a se condito sortem villae Gorczyn, amplissimis munitam libertatibus.

Transsumpt orygin. potwierdzony przez: Kazimirus rex Polonie etc. 1485 Mart. 3. *w pergam. orygin., którego pieczęć pokruszona zaszyta, przywieszona na sznurze jedw. wyblakłym.*
Poznań. Archiv. Capituli. I, 8b.

In nomine Domini amen. Quoniam, ut sacri pagina elloquii attestatur, milicia est vita hominis super terram, et eadem mensura qua mensi fuerimus in presenti, nobis credimus eternaliter remetiri: proinde tam presens etas noverit quam futura oculatum scriptum inspectura, quod nos Premisl secundus, Dei gratia dux Polonie, bona deliberatione prehabita et sincera devotione cogitantes vivendo quid futurum sit, saluti nostre et animabus parentum nostrorum consulere cupientes, considerantes ad hec quam pia et salubris foret cogitatio pro defunctis exorare, de consensu venerabilis in Christo patris nostri Iohannis secundi, divina miseratione ecclesie Poznaniensis episcopi et Capituli eiusdem, plena et libera voluntate altare intra sinum summe Poznaniensis ecclesie condidimus a sinistris, per manus dicti patris nostri reverendi Iohannis, a nobis humiliter deprecati, in crastino Assumpcionis genitricis Dei Marie invocata gratia Spiritus sancti in honorem sancte Trinitatis, beate Hedwigis,

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

beati Albani sanctique Eustachii, quorum reliquie ibidem sunt recondite, devotissime consecratum. Qui pater noster iam dictus donavit altari prelibato ministerioque eius irrefragabiliter de voluntate et consensu sui Capituli quattuor marcas usualis argenti, in moneta Poznaniensi singulis annis percipiendas. Nosque altari nostro et ministris eiusdem, ne prepediti necessitate defectus contingat eos divina officia retardare, damus perpetuum Kalko araturam nostram, ville dicte Gorczyno adiacentem, ad octo aratra magna, que ad nostram' decurrunt maiestatem, cum bobus, vaccis, iumentis, ovibus, scrophis, ancis, pullis omnique apparatu, domo, apibus, suppellectili et annona. Donantes insuper altari nostro sepius nominato viginti mansos in ipsa villa more Theutunico locata, Gorczyno vulgariter nuncupata, omni cum iure ducali penitus et poradlne, cum censu et aliis exactionibus, serviciis et iudiciis agregatis (sic) perpetuo feliciter possidendos. Statuentes, ut ministri altaris iam frequentius recitati singulis diebus pere (sic) se vel personam interpositam celebrent missarum sacramenta: dominicis diebus dicant de sancta Trinitate, sabbatis de domina nostra, Christi matre intemerata Virgine gloriosa; exceptis diebus feriatis, videlicet Natali Domini, Epyphania Domini et popanti Domini, Pasche, Ascensionis Domini et Pentecostes, solemnitatibus sancte Marie, festis Apostolorum et aliorum Sanctorum, quorum officia ipsis diebus quibus se obtulerunt, ibidem celebrentur. Aliis vero diebus missas officient defunctorum. Porro, ut ista donatio in posterum sentiat antidotum nostre donationis et specialem pietatem, largimur hereditatibus sancte Hedwigis suisque inhabitatoribus liberrimam facultatem, quam cetere hereditates maiori ecclesie dedite sorciuntur, et ea ampliorem, eximentes ab omni solucione, exactione, vexacione Polonica, scilicet a stroza, a narzaz, przewod, poglowye, podworowe, a castri citatione, et aliis omnibus quocunque nomine censeantur, ut ministri deservientes ibidem divinis laudibus valeant liberius inherere. Et si alique mutilaciones membrorum aut homicidia vel furta evenerint, nemo dirimat libram iudicii, nisi possessores altaris, seu Capitulum ecclesie Poznaniensis. Item successive thabernam, molendinum, capturam piscium, si operam habuerint construere, permittantur; venaciones, si delectaverit, leporum sive aliarum bestiuncularum, perdicum vel aliarum alituum (sic), eisdem non inhibemus. Sed ne super huiuscemodi donationis nostre orbita, ipsam irrepente pedetentim ullum dubium contingat generari, ad evitandum igitur dubium et errorem, nostri sigilli munimine volumus perhennari; insuper firmius ut consistat, summopere sigillo reverendi patris nostri prenominati simulque Capituli ibidem (sic) sigillo petivimus roborari. Acta sunt hec Poznanie XVI Kalendas Septembris, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quinto, Indictione XV, presentibus: domino Vincentio preposito et cancellario Poznaniensi, magistro Gregorio decano, Alberto scolastico, Gabriele cantore Gneznensi; Tomka custode, Michaele, magistro Paulo, Theoderico, et quam pluribus prelatis et canonicis Poznaniensibus; comitibus Nicolao palatino Kalissiensi, Petrone castellano Poznaniensi, Gnevomiro iudice Poznaniensi, Boguslao succamerario et castellano de Uscze, et aliis comitibus et baronibus fide dignis. Venerabilis Vitalis in querulo: Scripta fidem servant, commendat pagina verum, facta putabuntur, que sine teste geret. Datum per manus Iacobi notarii curie nostre et canonici Poznaniensis.

Kalko, *osada znikła.* Gorczyno, *Górczyn.* Uscze, *Ujście.*

[illegible]

[redacted]

Nr. 560.

Lestco dux Cracovie, Sandomirie ac Siradie 1285 s. d., Cracovie; reditus inconstantes, qui monasterio de Trzemeszno de quadam salina prope Cracoviam proveniebant, in certum censum mutat.

Pergam. orygin. Dwa wcięcia poprzeczne od przywieszenia pieczęci.
Trzemeszno. Priv. Conv. Can. Reg. Lateran.

In nomine Domini amen. Quia que geruntur in tempore ne labantur cum tempore, dignum ac necesse est ea hominibus tenaci memorie commendare, que suis temporibus laudabiliter statuerunt. Proinde nos Lestco Dei gracia dux Cracovie, Sandomirie ac Siradie notum facimus universis presentibus presentem paginam inspecturis, quod cum dominus Martinus prepositus fratrum Ordinis beati Augustini de domo Zcremessensi, coram nobis et nostris baronibus evidencius per privilegia nostrorum progenitorum et per testimonium commendabile ostendisset, se habere quandam salinam que C.. (*5 litterae del.*) vulgariter dicitur prope Cracoviam in magno sale, valentem singulis annis quasdam marcas argenti, utpote decem, et quandoque octo, ita quod quandoque eciam quinque marcas argenti eadem salina persolvebat. Sed quia sine dubio predicta solucio sive census supradicto preposito cum fratribus tenebatur, idcirco nos pia deliberacione et devota ex nostra parte, et dominus prepositus cum conventu ex altera parte, talem de cetero censum sive solucionem singulis annis statuimus persolvendum: ut decem modios salis in mensuram Cracoviensem in loco supradicto conventus sepedictus cum preposito recipere debeant annuatim, aput illos videlicet, qui salis suppam sive officium possident et exercent. In cuius rei testimonium, presens scriptum contulimus nostri sigilli munimine roboratum. Datum Cracovie anno Domini M.CC.LXXXV coram hiis testibus: dominus episcopus Paulus Cracoviensis, comes Ianusius castellanus Cracoviensis, comes Otto palatinus Sandomiriensis, comes Iohannes castellanus Lublinensis, comes Woyslaus subcamerarius Cracoviensis, comes Dobeslaus tessaurarius Cracoviensis.

Zcremessensis, *de Trzemeszno.*

Nr. 561.

Secundus Premizl dux Polonie 1286 Ian. 7—12, in Rogozna; hereditates Charbielin et Dłużyn, olim a comite Bogussa collatas, monasterio Lubinensi contra petitionem filiolorum praedicti Bogussae adiudicat et libertatibus caeterarum villarum eiusdem monasterii munit.

Pergam. orygin. Dziurki od przywieszenia jednéj pieczęci.
Poznań. Biblioteka Raczyńsk. Diploma B. 25. — Raczyński. Cod. diplom. Maior. Polon. 68.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premizl Dei gratia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam

[illegible]

[redacted]

futuris presentem paginam inspecturis, quod cum comes Bogussa filius quondam Petri, heres de Charbelino, ipsam hereditatem Charbelino et Dlusino cum dimidio lacu Trebeze et alio Cosino, domui beate Virginis de Lubin ac abbati et fratribus ibidem Deo servientibus pro sue anime et parentum suorum remedio contulisset, atque in ultima voluntate eandem hereditatem Charbelino prefate domui legasset, tandem post eiusdem Bogusse obitum filiolli sui, Mistivy filius Blisborii, Dethlep et Petrus filii Petri, prefatos abbatem et fratres super predicta hereditate molestare volebant. Cumque hec causa ad nostri iudicii examen deducta fuisset, nos una cum baronibus nostris, qui tunc nobiscum presentes erant, prefatam hereditatem Charbelino, quia ipsam donacionem esse veram invenimus, sepedictis abbati et fratribus de Lubin adiudicavimus iusticia mediante, iam dictis militibus perpetuum silentium imponentes. Nos igitur volentes predictorum fratrum orationum fieri participes, eidem hereditati Charbelino addicimus omnimodam libertatem quam habent omnes ville monasterii supradicti, adiungentes eam villis monasterii memorati. Ut autem hec que predicta sunt, firma perpetuo inviolabiliter perseverent, presentem paginam conscribi fecimus et nostri sigilli munimine roborari presentibus hiis testibus: comite Bervoldo venatore Lendensi, comite Sandyvoyo castellano de Drosin, domino Gabriele cantore Gneznensi. Actum et datum in Rogozna infra octavas Epiphanie Christi, et anno gratie Domini MCCLXXX sexto, per manus Thilonis notarii curie nostre.

Charbelino, *Charbielin.* Dlusino, *Dłużyn.* Trebeze, *Trzebidza.* Lacus Cosino, *dziś zapewne jezioro Boszkowskie.* Lubin, *Lubin.* Lendensis, *de Ląd.* Drosin, *Drożyn. Z dawnego grodu pozostał wysoki nasyp, na którym po zniszczeniu tegoż postawiono kościół, w zeszłym dopiero wieku rozebrany. Dziś stoi na tem miejscu Boża męka.* Rogozna, *Rogoźno.*

Nr. 562.

Premisl dux Polonie 1286 Apr. 26, in Gnezna; ratam habet venditionem villae Kowale, a comite Stoygnewo ecclesiae Gneznensi resignatae.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 76v.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Quoniam persistere in evum non valet mortalium valitudo, dicere consonum est, quia facta hominum laudabilia transeunt et oblivionis interitu a memoriis vivencium miserabiliter evanescunt, si scripturarum et testium testimonio non fuerint roborata; namque fragilitatis humane condicio nichil aput se firmum putat, nisi quod aliquo perpetuitatis indicio sit firmatum. Proinde nos Premisl Dei gracia dux Polonie notum esse volumus universis presentibus et futuris, quod nobilis vir baro noster comes Stoygneus, frater Rosconis venatoris Calisiensis, hereditatem suam dictam Cowale, quam nos sibi serviciis suis inspectis iure hereditario dederamus, qua eciam hereditate quidam nomine S. propter tradicionem castri Calisiensis summa nostri patrui domini ducis Pomoranie et nostrorum baronum privatus fuerat, de nostro consensu venerabili patri domino Iacobo, divina providencia Gneznensi archiepiscopo, nomine sue ecclesie pro quadraginta marcis argenti vendidit cum omni iure, pleno dominio et utilitatibus quibuslibet, que ibi habentur vel haberi poterunt in futuro. Nos autem vendicionem predictam ratam

[illegible]

[illegible]

[redacted]

et gratam habentes, ipsam hereditatem Cowale dicto domino archiepiscopo et eius successoribus iure perpetuo possidendam tenore presencium confirmamus. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, presentem litteram nostro et eiusdem Stoygnei sigillis mandavimus communiri. Actum in Gnezna presentibus hiis: comite Nicolao Przedpelcovicz palatino Calisiensi, comite Cechoslao pincerna ibidem, suprascripto comite Roscone venatore ibidem et aliis multis; sequenti die beati Marci Ewangeliste anno Incarnacionis dominice millesimo ducentesimo octuagesimo sexto.

Cowale, *Kowale.*

Nr. 563.

Iacobus Gneznens. archiepiscopus 1286 Mai. 10, in Gnezna; permittit Valdkoni sculteto de Sokolniki hereditatem suam Polanow iure de Środa locare.

Transsumpt orygin. potwierdzony przez: Capitulum s. ecclesiae Metropolitanae Gnesnensis 1547 Octob. 23, Gnesnae, *w pergaminie orygin., u którego na sznurze z nici jedwabn. czerwon. i zielon. wisi ułamek pieczęci z wyobrażeniem tułowu błogosławiącego biskupa; napis:* S. Capitu...

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 753.

In nomine Domini amen. Quia temporanei in tempore quidem incipiunt actus, et in tempore defluunt nullam sui memoriam relinquentes, nisi in quantum testimonio fide dignorum et authenticarum litterarum serie roborentur, nos igitur Iacobus miseracione divina Gneznensis archiepiscopus, emphiteosi, id est melioracioni nostrarum villarum omnium intendentes, notum esse volumus universis, quod de voluntate et consensu Capituli nostri hereditatem nostram vulgariter dictam Polyanino, sitam prope Powydz, quam de magnifici principis domini P. Dei gracia ducis Polonie nostris serviciis meruimus, speciali favore discretum virum Valdkonem scultetum de Sokolniki permisimus iure Theutonico locare, eo videlicet quod servatur in Srzoda simile, vel unde ius illud noscitur processisse. Iura autem pro ipso sculteto et pro nobis facienda taliter declaramus: inprimis idem scultetus et eius legittimi successores habeant ibidem quatuor mansos liberos, molendinum cum aqua dicta Sthudzyenyecz, tabernam, macellum carnificum et pistrinum, cameram sutoralem et fabrile, cum quatuor hortis, unum qui vocatur Vyelki ogroth, et duo qui vocantur Vyniari, et quartum ex opposito curie eiusdem sculteti, nec non tercium denarium de qualibet re iudicata. Eciam dicto sculteto damus structuram capriolorum et leporum, videlicet grodze, quanto longius statuere potest. In nostra borra utilitatem apum exerceat. Hec et alia omnia sibi et successoribus suis libera rite perpetuo assignamus cum potestate vendendi, commutandi et quomodolibet libere convertendi. Et quia eiusdem Valdkonis sculteti amore prosequimur speciali personam propter servicia que nobis exhibuit et in posterum exhibebit, hoc sibi et eius legittimis heredibus adicimus de nostro beneplacito et libera voluntate, quod videlicet libertate expirante, de quolibet manso non libero annuatim nobis cmethones solvere tenentur sex mensuras siliginis, sex avene et fertonem argenti, in pondere, valore, mensura, secundum quod servatur in Srzoda vel unde ius principaliter est assumptum, sine omni servicio. Iuramentorum denarios habebunt, nichilominus salvo iure ecclesie. Libertatem

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

autem eis undecim annis concedimus; infra hanc duas marcas argenti annuatim nomine decime nobis solvent. Et ut hec omnia robur obtineant perpetue firmitatis, dicto Valdkoni presentes litteras ad perpetuam rei memoriam pro se et suis successoribus, sigillo Capituli nostri munimine roboratas dedimus. Datum et actum in Gnezna anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, sexto Idus May.

Polyanino, *Polanowo*. Powydz, *Powidz*. Sokolniki, *Sokolniki*. Srzoda *na Szląsku, dziś z niemiecka Neumarkt*. Aqua Sthudzyenyecz, *mały strumyczek płynący od Olendrów Studzieniec do jeziora Powidzkiego*.

Nr. 564.

Premisl dux Polonie 1286 Mai. 25, in Lando; protestatur, villam Piotrkowice Wyslao episcopo de Włocławek contra petitionem Svantoslai filii Suconis esse adiudicatam.

Pergam. orygin. Na skrawku pergamin. przywieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XXI.)

Warszawa. Biblioteka prywatna, Diplomata. — Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplom. Poloniae, III, Nr. 131.

In nomine Domini amen. Nos Premisl Dei gracia dux Polonie notificamus cunctis Christi fidelibus, quod cum Svantoslaus filius Suconis venerabilem patrem dominum Wyslaum Dei gracia ecclesie Wladislaviensis episcopum pro villa Potrchovici prope Sobotcam sita ad nostram citasset presenciam, tandem partibus in nostra presencia constitutis et hinc inde coram nobis multis allegacionibus ab utraque parte propositis, iudicio nostrorum baronum nobis assidencium est diffinitum comite Nicholao palatino sentenciam proferente, ita videlicet, quod dicto domino episcopo dictam villam adiudicavit parti adverse silencium perpetuum inponendo. Actum et datum in Lando in domo monachorum anno Domini M.CC.LXXX sexto, VIII Kalendas Iunii, presentibus: domino Iacobo archiepiscopo Gneznensi, Thoma Plocensi, Conrado Lubucensi, Iohanne Poznaniensi episcopis; Nicholao palatino, Andrea cancellario curie nostre, Cechoslao pincerna, Petrcone iudice, et aliis quam pluribus fide dignis.

Wladislaviensis, *de Włocławek*. Potrchovici, *osada znikła, pozostała kaplica Sgo Piotra*. Sobotca, *Sobotka*. Lando, *Ląd*.

Nr. 565.

Boleslaus dux Mazovie etc. 1286 Iun. 20, in Ploczk; concedit Iacobo archiepiscopo Gneznensi in districtu de Łowicz ius monetae.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Lib. privil. XV sec. fol. 1.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et accio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Et quia facta mortalium laudabilia, frequenter oblivionis interitu ab hominum memoria seiunguntur,

[illegible]

[redacted]

provida sapientum decrevit auctoritas, ut quidquid aput mortales agitur dignum noticia sive laude, id ipsum autenticarum litterarum (sic) legencium memorie debeat comendari. Igitur nos Boleslaus Dei gracia dux Mazovie et dominus Plocensis notum esse volumus universis hanc cartulam inspecturis, quod ob amorem et amiciciam nec non reverenciam venerabilis in Christo patris domini Iacobi, divina providencia archiepiscopi sancte Gneznensis ecclesie, eidem domino archiepiscopo damus licenciam in districtu Llovicensi monetam habendi, tali racione, quod eadem moneta non discrepet a moneta terre nostre; quam monetam in nostro dominio tenore presencium recipi sicut nostram volumus et mandamus. In cuius rei testimonium presentem litteram nostro sigillo fecimus communiri. Datum in Ploczk anno Domini M.CC.LXXXVI, XII Kalendas Iulii.

Llovicensis, *de Łowicz*. Ploczk, *Płock*.

Nr. 566.

Secundus Premisl dux Polonie 1286 Iul. 2, in Poznan; protestatur, monasterium de Obra commutasse sub certa pignoratione hereditatem Zodyń cum molendino Niałek et hereditate comitis Burchardi, dicta Karpicko.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 20.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra nostrorumque baronum presencia reverendus pater dominus abbas Iohannes totusque conventus de Obra, cum milite nostro Burchardo talem fecit commutacionem; videlicet quod dictus dominus abbas prefato comiti Burchardo hereditatem domus predicte de Obra cum omnibus utilitatibus contulit que Zodin vulgariter nuncupatur, accipiens ab ipso molendinum cum omni apparatu, attinenciis seu necessitatibus superioribus et inferioribus iuxta idem molendinum: ita quod nemo in posterum de ipsius militis successoribus cursum eiusdem molendini in aliquo debeat impedire, seu suorum aliquis cognatorum. Quod molendinum Nalko dicitur in vulgari, situm in fluvio Doyca et hereditate Karpicko. Supradictam vero hereditatem sepius dictus dominus abbas suusque conventus, ne procedente tempore ex hoc aliquod dubium oriatur, taliter obtinuit: que hereditas quondam fuit comitis Gnevomiri, qui eiusdem hereditatis partem dimidiam domui de Obra sua pro salute contulit, aliam vero partem dimidiam pro alia hereditate Cupenino commutavit impermutabiliter cum eadem domo de Obra. Quicunque vero supradictam commutationem racionabiliter habitam super molendino et hereditate prelibata ausu temerario immutare presumpserit, vel immutandam iudicio attentaverit, nobis vel nostris successoribus, ad quorum audienciam ista devenerint, quinquaginta marcas usualis argenti prius solvere teneantur, et post hec commutacionem attentent racionabilem violare. Sepe eciam dictus abbas suusque conventus comiti Burchardo prefato viginti marcas usualis argenti ad hereditatem dictam superius addiderunt. In huius rei testimonium, presentem litteram sigilli munimine confirmamus. Testes sunt hii: comes Andreas iudex Gneznensis, comes Petrico iudex Poznaniensis, comes

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Gnevomirus castellanus de Sbesin, Iohannes venator Poznaniensis. Datum in Poznan in die sanctorum Processi et Martiniani, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo sexto.

Obra, Zodyń, *dziś tak samo.* Nalko, *Niałek.* Fluv. Doyca, *Dojcarz.* Karpicko, *Karpicko.* Cupenino, *może dziś. Kopanica.* Sbesin, *Zbąszyń.*

Nr. 567.

Zbilut castellan. in Nakell 1286 Iul. 25, in Luckna; confirmat donationem hereditatis Koninek, quam pater suus, comes Strasso, quondam monasterio de Łekno fecerat.

Wągrowiec. Archiv. monasterii. Protocollum 3tium pag. 7. (Copia ex libro antiquo monasterii Wągrow.)

In nomine salvatoris Jezu Christi amen. Rebus damnari non potest que scripturarum testimonio roborantur, quoniam in immutabile testimonium est roboratum. Inde ego Zbilut castellanus in Nakell, quondam comitis Strassonis filius, notum esse volo tam presentibus quam futuris, quod hereditatem nomine Canym, quam pie memorie pater meus fratribus in Lukna iugiter domino Deo famulantibus ob salutem anime sue cum silvis, agris, pratis, videlicet aquis, cum omnibus suis pertinentiis iure hereditario libere contulit in perpetuum possidendam, eandem vero donationem predicte hereditatis pro salute anime mee et predecessorum, nec non progenitorum meorum et predilecti filii mei Straskonis, cum omni iure sicut prefatus pater meus dinoscitur habuisse, memoratis fratribus Luknensis ecclesie denuo duxi confirmandum firmiter ac renovandum. Ut autem hec donatio et renovatio stabilis ac rata perseveret, dictis fratribus contuli paginam presentem, prefati patris mei ac proprii sigilli mei munimine roboratam. Datum in Luckna anno gratie M.CC.LXXX.VI in die beati Iacobi apostoli. Cum hec fierent hii testes astiterunt: dominus Vincentius cancellarius, Cechoslaus castellanus de Kalis, Preslaus castellanus Gneznensis, Andreas iudex, Petrus filius Slavenici, Iohannes capellanus de Lukna et alii quam plures viri fide digni.

Lukna, *Łekno.* Nakell, *Nakło.* Canym, *Koninek.*

Nr. 568.

Premisl secundus dux Polonie 1286 Sept. 9, in Pisdr; confert Thiloni prothonotario suo hereditatem Giecz, amplissimis privilegiis munitam.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny zielony, z którego pieczęć znikła. Poznań. Archiv. Capituli, I, 9.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum seu testium munimine roboramus. Nos igitur Premisl secundus, Dei gratia dux Polonie, notum facimus universis tam presentibus quam fu-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

turis presens scriptum inspecturis, quod intuentes fidelia grataque obsequia dilecti ac specialis capellani et prothonotarii nostri domini Thilonis, que nobis multipliciter inpendit et in futurum dante Domino inpendere est paratus, et precipue in optinenda nobis dilecta coniuge nostra domina Richzza, ubi in transeundo maria et flumina nec non et alia viarum discrimina, non inmerito corporis potuit et rerum pericula formidare: propter hec et alia fideliter et constanter inpensa, damus, tradimus et conferimus sibi et omnibus successoribus suis villam ac hereditatem nostram Gdecz vulgariter nuncupatam, cum omni iure et dominio quo ipsam possedimus et lacu ibidem integraliter existente, iure hereditario in perpetuum possidendam et optinendam. Donantes sibi liberum arbitrium dictam hereditatem vendendi, donandi, conmutandi seu aliquolibet modo alienandi, cui et quando et quocienscunque sibi videbitur expedire, et absolventes ipsam et omnes ibidem inhabitantes ab omni exactione Polonica perpetuo, videlicet a naraz, a powoz, a prevod, a stroza, a podvorove, a bove, a vacca, ab opole et castri citacione; ita, quod si quis incolas dicte ville citare voluerit, ipsos ad nostram presenciam littera nostra, sigillo aut anulo evocabit. Et si homicidium inter ipsos fuerit perpetratum, nullus, set dominus Thilo et sui heredes causam homicidii iudicabunt, fructus iudicii integraliter percipiendo. Preterea, si quas speciales exactiones in terra nostra posuerimus et ipsas perceperimus, ad eas solvendas dicta villa minime tenebitur, set prefatus dominus Thi. ipsas percipiet pro sua voluntate. Damus insuper sibi in dicta villa ius Theutonicum, ut eam locet quando sibi placuerit iure Theutonico, secundum quod omnes ville Theutonicales in dominio nostro sunt locate; hoc excepto, quod causis que capitis amputationem aut alicuius membri mutilationem exigant, noster interesse non debebit procurator aut lantwoith, sed dominus Thi. ipsas cum suo iudicans sculteto, iudicata optinebit. Et ne super hiis in posterum dubitetur, presentes conscribi iussimus et sigilli nostri munimine fecimus communiri presentibus his testibus: comitibus Alberto dicto Krconovicz castellano de Cbansin, Nicolao subdapifero Kalisiensi, Grabya subthezaurario nostro. Datum in Pisdr in crastino Nativitatis gloriose Virginis, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, per manus Iasconis notarii curie nostre.

Gdecz, *Giecz.* Cbansin, *Zbąszyń.* Pisdr, *Pyzdry.*

Nr. 569.

Premisl secundus dux Polonie 1286 Oct. 14, in Poznania; protestatur, hereditatem Ostrowieczno ecclesiae Poznaniensi contra petitionem Nicolai Thorasic sententialiter esse adiudicatam.

Pergam. orygin. Sznur z nici jedwabn. zielon., z którego pieczęć znikła.
Poznań. Archiv. Capituli. I, 10. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 67.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio comissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod cum inter venerabilem in Christo patrem dominum Iohannem miseratione divina Poznaniensem episcopum ex una, et Nicolaum filium Petri, dictum Thorasic, ex parte altera super hereditate quam Boguphalus ve-

rus heres contulit ecclesie Poznaniensi, Ostrovecno vulgariter nuncupata, in nostra nostrorumque baronum presencia questio verteretur, tandem allegationibus et universis munimentis utriusque auditis et plenius intellectis, comes Gnevomirus iudex Poznaniensis in nostra constitutus presencia, contra iam dictum Nicolaum tulit sentenciam definitivam, super hoc perpetuum eidem silencium imponendo, prefato domino Iohanni episcopo Poznaniensi nomine ecclesie sue hereditatem dictam Ostrovecno perpetuo adiudicando. Ne autem super huiuscemodi facto aliqua ambiguitas posset in posterum exoriri, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus roborandam. Actum in Poznania secundo Idus Octobris, anno Domini M.CC.LXXX.VI, Indictione quarta decima, presentibus: comite Petreone castellano Poznaniensi, comite Gnevomiro iudice Poznaniensi, et Vincentio preposito, Gregorio decano Poznaniensibus, Dirsicrago castellano de Santhok, Alberto Iactorovicz et aliis quam plurimis. Datum per manus Iacobi scriptoris curie nostre.

Ostrovecno, *Ostrowieczno.* Santhok, *Santok.*

Nr. 570.

Premisl secundus dux Polonie et Cracovie 1286 Nov. 19, Pyser; confert fratribus militiae Templi desertum circa lacum Drawsk situm.

Biblioteka X. X. Czartoryskich. Teki Naruszewicza. (Z pergaminu orygin., który się znajdował w archiwie króla Stanisława Augusta). — J. Chr. Beckmann, Beschreib. d. ritterlich. Johanniter-Ordens, Anhang. (Transsumpt potwierdzony przez: Kazimirus rex Polonie etc. 1368 Nov. 30, Poznanie).

In nomine Domini amen. Quoniam ea que aguntur in tempore, simul labuntur cum tempore nisi literarum seu testium munimine fuerint perhennata, nos igitur Premisl secundus, Dei gracia dux Polonie et Cracovie, notum facimus tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis, quod religiosos viros fratres milicie Templi Ierozolimitani pro religione et honorificentia sua tanto propensius zelo nos Christianitatis decet diligere, quo specialis dilectionis fervorem super orientalis Ecclesie tutela exhibent efficacem. Ducti igitur inspiratione divina, eiusque benivolenciam captare cupientes a quo omne datum optinemus et omne dominium perfruimur, in subsidium Terre sancte quam suo Dominus sanguine consecravit, ob remedium parentum nostrorum et animarum eorundem nec non proprie salutis ob servacionem, desertum circa fluvium Drawa in nostro dominio existens et circa lacum nomine Dravzk, ex quo fluvius Drawa exit, lacum eundem Dravzk, damus et tradimus fratribus milicie Templi. Et de lacu iam dicto Dravzk ascendendo ad lacum dictum Zerdna, de lacu Zerdna usque ad viam que ducit de civitate Barwitz ad territorium quod Crayen dicitur, per eandem viam procedendo usque ad vadum fluvii qui dicitur Pilawe, a quo vado descendendo per alveum fluvii eiusdem in lacum Dawgen, per eundem lacum Dawgen ubi dictus fluvius effluit, descendendo per eundem fluvium usque ad Viam marchionis, per eandem ascendendo viam usque ad tres arbores signatas cruce, stantes iuxta lacum qui dicitur Lubizk, ab hiis arboribus directe procedendo usque ad pontem qui dicitur Berckenbrugege, ab eodem ponte procedendo usque ad paludem Bzuczina, a palude Bzuczina usque ad quinque arbores signatas

cruce, ab eisdem arboribus usque ad fluvium Drawa, per eundem fluvium ascendendo usque in lacum prenominatum Dravzk. Et simpliciter cum omnibus lacubus qui intra limites seu terminos predictos continentur, aut quemadmodum Ianussius dictus Kynstel de mandato nostro dictis fratribus circuivit et limitavit, cum omni utilitate et libertate, aquis, pratis, lacubus et silvis, et proventibus que in presenciarum sunt et processu temporis poterunt exoriri, fratribus milicie Templi contulimus de bona voluntate cum omni iure ac iurisdictione perpetuo possidendum. Recipientes predictos fratres et universa bona ipsorum in districtu dicto existencia, ubi eisdem contulimus, in nostram protectionem et tutelam specialem. Item damus eisdem fratribus milicie Templi licenciam largam construendi et edificandi municiones, castra, civitates, pro eorum commodo, posse et utilitate: cum nos et omnes nostri successores dictorum fratrum dinoscamur veri patroni et heredes. Ne vero huiusce factum per nos vel successores nostros debeat aliquo modo violari, presentes nostri sigilli munimine fecimus roborari presentibus hiis testibus: comite Bogislavo subcamerario Poznaniensi, domino Dirzsicrayo, Crsiwosant milite, domino Petro Droggeslavi, domino Beniamyn, pan Iancke, pan Chualde (sic), domino Tylone preposito de Santogk, et aliis viris quam plurimis fidedignis. Datum Pyser tercia feria proxima ante diem beate virginis Katherine, anno gracie Domini millesimo CC.LXXX sexto, per manus notarii curie nostre.

Fluv. Drawa, *z niemiecka Drage Fl.* Lacus Dravzk, *z niem. Drazig See.* Lacus Zerdna, *z niem. Zeplin See.* Barwitz, *zapewne mylnie zam.* Varnicz, *Warnitz.* Territorium Crayen, *Krajna, obszar pom. rz. Noteć a rz. Kamionką i Dobrzynką.* Fluv. Pilawe, *z niem. Pilo Fl.* Lacus Dawgen, *Dolgen See.* Via marchionis, *szlak często wspominany, ciągnący się od m. Arnswalde ku północ-wschodowi.* Stagnum Lubizk, *z niem. Lubow See.* Pons Berckenbrugege, *dziś pewnie wieś Beverdick.* Palus Bzuczina, *z niem. Prossin See. W obszarze powyższemi granicami oznaczonym, powstały zamki Czaplinek i Drachim.* Santogk, *Santok.* Pyser, *Pyzdry. (NB. w tekach Naruszewicza zam.* Dirzsicrayo, Crsiwosant milite, *napisano:* Dirszscenge versaret milite; *zam.* Petro Droggeslavi, *napisano: Petro Drugieslavo; zam.* domino Tylone, *napisano:* domino Bilone; *zam.* de Santogk, *napisano de Santagl. Imie* notarii, *również opuszczone).*

Nr. 571.

Premisl secundus dux Polonie 1286 Nov. 27, in Dlusco; ratam habet cessionem villae Witowo, a Gotardo filio Miroslai de Chrzanów in favorem Iohannis episcopi Poznaniensis factam.

Pergam. orygin. Na sznurkach jedwabn. zielon. przywieszone dwie pieczęcie, zupełnie zatarte.

Poznań. Archiv. Capituli. I, 11.

In nomine Domini amen. Multis incomodis prudenter ocurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum seu testium munimine roboramus. Hinc est quod nos Premisl secundus, Dei gratia dux Polonie, notum esse volumus tam presentibus quam futuris hoc scriptum inspecturis, quod Gothardus filius Miroslay dictus de Chranovo,

[illegible]

[illegible]

[redacted]

mota lite super parte hereditatis Witowo contra venerabilem in Christo patrem dominum Iohannem secundum, Dei gratia Poznaniensem episcopum, coram nobis, tandem idem Gothardus a predicto domino episcopo recipiens quatuordecim marcas, pro bono pacis cessit liti et omni accioni et exceptioni ac iuri, si quod haberet in qualicunque parte dicte ville que Witovo vulgariter nuncupatur, et in nostra nostrorumque baronum presencia cum filio suo Michaele voluntarie constitutus lucide recognovit, a prefato domino episcopo integre totam pecuniam recepisse. Ne vero super hoc in posterum dubitetur, renunciacionem ac cessionem dicti Gothardi gratam et ratham habentes, dictam villam Witowo prefato domino episcopo et ecclesie Poznaniensi integre et perpetuo adiudicantes, presentem litteram conscribi fecimus et nostri sigilli munimine roborari. Acta sunt hec publice in Dlusco quinto Kalendas Decembris, anno Domini MCC octogesimo sexto, Indiccione quartadecima, presentibus comitibus: Nicholao palatino Kalisiensi, Petrcone castellano Poznaniensi, Cechoslao et Roscone venatore Kalissiensi, Boguslao castellano de Usce et subcamerario Poznaniensi. Datum per manum Iacobi notarii curie nostre.

Verum, quia de comuni baronum nostrorum consensu et consilio statuimus, ut nullum privilegium robur firmitatis aliquod obtineat, nisi nostro magno et ultimo sigillo existeret sigillatum, propter quod presens privilegium innovari iussimus et nostri sigilli magni et ultimi munimine roborari. Datum Poznanie anno Domini MCC nonagesimo quinto, Indiccione octava, feria tertia post octavas Pasce, per manus Nicholay scriptoris curie nostre.

Chranovo, *Chrzanów*. Witovo, *Witowo*. Dlusco, *Dłusk*. Usce, *Ujście*.

Nr. 572.

Secundus Premisl dux Polonie 1287 Jan. 20, in Poznania; concedit Michaeli canonico Poznaniensi et ejus successoribus in hereditatibus Gądki et Unja amplissimas libertates, simulque aream sitam iuxta ecclesiam beatae Margarethae in Poznań eidem confert.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 99.

In nomine Domini amen. Humani generis actiones perpetua indigentes memoria ab hominum plerumque noticia dilabuntur, que scripturarum seu testium munimine non roborantur. Igitur nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod intuitu fidelium ac utilium serviciorum honorabilis viri domini Michaelis Poznaniensis ecclesie cannonici, contulimus sibi suisque successoribus, cuiuscunque status fuerint, salubri habito nostrorum baronum consilio ac de consensu ipsorum unanimi, libertatem in duabus ipsius hereditatibus, quarum una Ganthcovo altera Unino appellatur. Absolventes ipsas ab omni solucione et exactione iuris Polonici qui nostro dinoscitur dominio pertinere, videlicet a naraz, a povoz, a przevod, a strosza, a podvorove, a bove, a vacca, et castri citacione ita, quod tam ipsi heredes quam coloni predictarum hereditatum in castro respondere minime teneantur, nec eciam aliter quam sigillo nostro provocati conpareant coram nostra presencia, quando ipsos pro iusticia exhibenda contigerit evocari. Dedimus insuper eidem domino Michaeli et eius poste-

[illegible]

[redacted]

ritati liberum arbitrium iudicandi furta vel homicidia, omnesque membrorum mutilaciones, que in eisdem hereditatibus possunt peccatis instigantibus evenire. Preterea, cum ipso volentes graciam facere ampliorem, contulimus ei aream nostram sitam iuxta ecclesiam beate Margarethe virginis, sibi suisque successoribus perpetuo possidendam, atque ipsam dare, pro salute conferre, vel vendere cui ipsis tempore procedente videbitur expedire. Ut autem nostra donacio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem litteram sigilli nostri appensione iussimus confirmare presente domino Iohanne episcopo Poznaniensi, comite Thomislao castellano Poznaniensi, Petrcone pincerna, Boguslao subcamerario Poznaniensi et aliis pluribus. Datum in Poznania anno Domini M CC.LXXX.VII, in die beatorum Fabiani et Sebastiani martyrum, per manus domini Thilonis notarii curie nostre.

Ganthcovo, *Gądki*. Unino, *Unja*.

Nr. 573.

Secundus Premisl dux Polonie 1287 Febr. 24, in Obra; confirmat donationem villae Kiełpin, monasterio de Obra a Michaele castellano de Wrocław et filiolo eius Mironcone palatino de Lignica factam.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 16.

In nomine Domini amen. Dum littera vivit, vivit et actio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et nutrita suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod comes Michael castellanus de Wratislawia una cum Mironcone filiolo suo palatino de Legnic villam suam, que Kelpino vulgariter nuncupatur, in nostra nostrorumque baronum presencia ob remedium animarum suarum et parentum suorum salutem, cum omni iure quo dictam hereditatem possidebant et omnibus fructibus et utilitatibus, domui fratrum de Obra Ordinis Cisterciensis contulerunt iure hereditario in perpetuum possidendam. Nos vero de plenitudine nostre potestatis, supradictam prefatorum comitum Michaelis et Mironconis donacionem nostri sigilli munimine duximus confirmandam. Scripsimus autem eos, qui geste rei sua presencia interfuerunt: comes Gnevomirus iudex Poznaniensis, comes Ceslaus castellanus de Crsanze, comes Prandota castellanus Poznaniensis, comes Nicolaus subdapifer Kalisiensis. Datum in Obra anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo septimo in die beati Mathie apostoli, Indictione quinta decima, per manus Iasconis notarii curie nostre.

Wratislawia, *Wrocław*. Legnic, *Lignica*. Kelpino, *Kiełpin*. Obra, *Obra*. Crsanze, *Książ*.

Nr. 574.

Premisl secundus dux Polonie 1287 Mart. 9, apud Kalis; roborat venditionem montis in hereditate Rypinek, quem Rupinius filius Iaszkonis Iudaeis de Kalisz pro sepultura resignaverat.

Kalisz. Archiw. Rządowe. Inscript. terrestr. et decret. a. 1580, lib. 17, fol. 614.

In nomine Domini amen. Nos Premisl secundus, Dei gratia dux Polonie, notum esse volumus universis ad quos presentes pervenerint, quod Rupinius filius Iaschkonis nec non Iudei Calissienses satisfecerunt concordie et in nostra presencia constituti libera et spontanea voluntate recognoverunt, quia Ripinius montem suum hereditarium in fine predii sui hereditatis sue Podgorze, penes agros hereditatum nostrarum minoris Dobrzcze iacentem, Iudeis senioribus Kalissiensibus et toti eorum universitati, pro sepultura ipsorum in vim perpetui census sex talentorum piperis et croci duobus inscribsit. Prefati vero Iudei et alii pro tempore existentes, prefato Ripinio et eiusdem hereditatis possessoribus quolibet festo sancti Martini censum prefatum solvere, sub pignore et pena domini palatini inscripserunt. Si vero in solvendo census negligentes sint, prefatus Rupinius monte suo libere utifrui potest sine contradictione Iudeorum, cui nulla prescriptio nocere potest. Que omnia partes predicte se tenere submiserunt, atque nos consensimus ac presentibus roboravimus. Actum apud Kalis die dominica Oculi, anno millesimo ducentesimo octuagesimo septimo.

Mons hereditatis Ripinii in fine Podgorze, *dziś Rypinek.* Podgorze, *dziś Zawodzie.* Minor Dobrzcze, *Mały Dobrzec.*

Nr. 575.

Jacobus archiepiscopus Gneznens. et suffraganei sui 1287 Apr. 3, apud Opol; contra Iohannem Tusculanum episcopum, apostolicae Sedis legatum, pro procuratione sua ecclesias Polonas censibus gravantem immodicis, ad Sedem apostolicam appellant.

Stenzel. Bisthums Urkunden, p. 228.

Cum venerabilis pater dominus Iohannes Dei gracia Tusculanus episcopus cardinalis, apostolice Sedis legatus, sub anno Domini MCCLXXX septimo, IV Nonas Aprilis, litteras et dominos ac magistros Adam et Nicolaum, nuncios suos et capellanos, miserit nobis, Iacobo archiepiscopo Gneznensi, Cracoviensi, Wratizlaviensi, Plocensi, Wladislaviensi, Poznaniensi et Lubucensi episcopis, imponens nobis et decanis et Capitulis ecclesiarum nostrarum, ac clero civitatum et dyocesium nostrarum, exemptis et non exemptis, pro anno presenti pro suis procuracionibus immoderatas et nobis per omnia intolerabiles et, si fas est dicere, inpossibiles quantitates pecuniarum, monens et requirens, auctoritate qua fungitur mandans et precipiens, quod easdem pecunias infra unius mensis spacium a presentacione litterarum nobis directarum, quem nobis pro primo, secundo et tercio termino peremptorio assignarat,

[illegible]

[redacted]

nostro, decanorum et cleri predictorum nomine per nostrum specialem nuncium, nostro deferendas periculo, sibi transmittendas, ac camere sue, ubicunque fuerit, seu mercatoribus suis integraliter assignandas: alioquin nos ex nunc prout ex tunc in scriptis suis ab ingressu ecclesie suspendebat, et si forsan huiusmodi suspensionem per decem dies animo sustineremus indurato, ex tunc in scriptis suis a pontificali nos officio suspendebat, et si per alios decem dies duceremus suspensionem huiusmodi tollerandam, nos ex nunc prout ex tunc in eisdem scriptis excommunicacionis vinculo innodabat. Certe, si dominus noster cardinalis predictus sciret subversionem et desolacionem ecclesiarum nostrarum, quia Gneznensis ecclesia, per alios archiepiscopos antecessores variis et magnis debitis apud mercatores Romane curie obligata, suo nunc archiepiscopo in expensis necessariis non potest commode subvenire; Cracoviensis, per maximas guerras intestinas, nuper et ante habitas, et per incursus frequentes gentilium est miserabiliter devastata; Wratizlaviensis autem ecclesia, eiecto prelato suo per potestatem secularem de sede sua, omnibus rebus mobilibus et inmobilibus cum clero totaliter spoliata, ipso prelato, in fine dyocesis sue propter metum mortis cum paucis recepto, cottidiano victu vix potest similiter sustentari; Plocensis autem ecclesia sive Mazoviensis, per incursus gentilium occisis et abductis incolis iacet penitus desolata, ita quod prelatus ipsius per alios miserabiliter sustentatur; Wladislaviensis autem sive Cuyaviensis ecclesia, sicut et alie per cottidianas oppressiones baronum et principum, ac gentilium incursus ex vicinitate pro parte maxima est destructa; Poznaniensis eciam ecclesia, similiter sicut et alie per vicinos principes quasi ex omni latere sustinens impetus, cottidie dampna in rebus suis patitur et iacturam; et Lubucensis ex omni parte totaliter spoliata est, tam in ducatu Wratislaviensi quam in aliis partibus, cum possessiones suas in diversis partibus habeat dispersas: unde idem dominus cardinalis ipsis ecclesiis supradictis, causis inspectis, importabile onus procuracionum et sibi impossibile nullatenus iniunxisset, cum impossibilium nulla sit obligacio, et afflictis affliccio minime sit addenda; ymmo eciam, si nostre ecclesie, huiusmodi gravamina non sustinentes, redditibus habundarent, in tam brevi termino non posset pecunia que procuracionum petitur nomine congregari; et preterea, si iam pecunia esset in simul congregata, non posset ad cameram domini cardinalis predicti, vel mercatoribus suis, propter longitudinem vie et discrimina et tam brevi tempore destinari. Preterea parcendum merito nobis esset, quia per procuraciones venerabilis patris domini Philippi Firmani episcopi, apostolice Sedis legati, nostre ecclesie et totus clerus noviter sunt gravati, et nunc eciam gravamur per procuraciones quas exigit nomine Romane curie dominus Iohannes archidiaconus Lanchiciensis, collector denarii sancti Petri; et nichilominus similiter gravamur, nos et ecclesie nostre, ex procuracionibus quas domini et magistri Adam et Nicolaus, predicti venerabilis patris domini legati nuncii speciales, exigunt, immoderatam secum trahentes in multitudinem tam eveccionum quam eciam personarum. Gravamur eciam ex eo, quod idem venerabilis pater, dignitates, prelaturas, personatus, officia, abbacias seculares, et alia beneficia in ecclesiis kathedralibus et collegiatis, ac alia omnia curam habencia animarum, non solum vacancia, ymmo et quando ad id obtulerit se facultas, in tota nostra provincia absque presumcione temporis sue collacioni reservanda decrevit. Unde, cum ecclesie nostre ex predicta procuracionum imposicione supra vires et facultates et ex predictorum beneficiorum retencione graventur, nec in aliquem casum tam graves procuraciones et intolerabiles valeant sustinere, nec predicti nuncii, quamvis per nos rogati, premissam quantitatem pecunie et beneficiorum pre-

[illegible]

[redacted]

dictorum retencionem voluerunt vel valuerunt moderari, ne sentenciis nobis comminatis et in diem prolatis nos aliquatenus involvamur, cum episcopale officium nobis cottidie immineat exequendum: ad oppressorum remedium confugientes, a predicto venerabili patre cardinali et nunciis eius supradictis et predictis causis gravaminum, non obstante eo quod dictus dominus Adam nobis ad solvendum dictas procuraciones secundum mensem addiderit et locum assignandi easdem nobis deputaverit in Wienna, cum nec infra diem (dictum?) spacium temporis quod addidit sufficiamus sepedictas procuraciones persolvere, et locus quem nobis mutavit satis distet et viarum intermedia pericula contineat sicut et alius, ubi idem dominus legatus personaliter commoratur, in hiis scriptis ad Sedem apostolicam appellamus, nos, nostras ecclesias, clerum nostrum et eorum ecclesias dyocesium nostrarum, eiusdem Sedis proteccioni submittentes et apostolos instanter petimus; moderatas tamen et nobis tolerabiles ac possibiles procuraciones pro ipso domino cardinali non refugimus nec etiam recusamus.

Interposita est hec appellacio apud Opol, III Nonas Aprilis, anno Domini MCCLXXX septimo, presentibus domino episcopo Zambiensi et aliis; et in Rathibor V Idus Aprilis, anno eodem.

Wladislaviensis, *de Włocławek.* Lubucensis, *de Lubusz, z niemiecka Lebus.* Opol, *Opole, z niemiecka Oppeln.*

Nr. 576.

Premizel secundus dux Polonie Maioris 1287 Apr. 25, in Gnisna; confirmat fratribus monasterii de Dobryług donationem quingentorum mansorum circa rivulum Ponikwa et Sokola dąbrowa, a Wolodezlao et Boleslao, quondam ducibus Poloniae, factam.

Pergam. orygin. Na sznurkach jedwabn. czerwon. przywieszona pieczęć Przemysława księcia; (pieczęć XXI).

Poznań. Königl. Staats Arch. Blesen 7.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Quoniam omnium habere memoriam pocius est divinitatis quam humanitatis, idcirco oportunum est valde ac necessarium, ut gesta mortalium scriptis autenticis et testium robore confirmentur. Noverint igitur universi Christi fideles presentes ac posteri ad quorum presentiam presens scriptum pervenerit, quod nos Premizel secundus, Dei gracia dux Polonie Maioris, piam et dignam donationem progenitorum nostrorum, videlicet ducis Wolodezlai avi nostri nec non patrui nostri felicis memorie ducis Bolezlai, quam fecerunt ecclesie et conventui in Doberluch Ordinis Cysterciensis, in scriptis nobis oblatis audientes, videlicet in mansis quingentis circa rivulum Poniqua et Socula dambrica, ipsam scilicet donationem, ut magis firma ab omnibus impedientibus maneat, et ut in remedium anime nostre et omnium consangwineorum nostrorum proveniat, secundum quod circuicio que facta fuit fratribus dicti monasterii ab antiquo extenditur, cum omni utilitate, scilicet agris, pratis, silvis et aquis, cum omni libertate et pleno iure tam proprietatis quam possessionis tranquille et pacifice possidenda, sicut in privilegiis predecessorum nostrorum continetur, ad petitionem domini Theoderici ab-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

batis in Sambrsco, sibi et eiusdem loci fratribus, sicut in eos per abbatem et fratres de Dobirluch racione nove fundacionis predicta rite translata sunt, perhenniter confirmamus. Preterea anuum censum duarum marcarum, quem ex molendino sito in superiori parte fluminis Lubnewiz recipere solebamus, predictis fratribus in Sambrsco, non solum pro pecunia quindecim marcarum quam ab eis accepimus, sed magis ut prediximus ad placandam nobis superni iudicis severitatem, contulimus ab omni impeticione libere cum molendino perpetuo possidendum. Adicientes, quod termini proprietatis dicti molendini erunt isti: scilicet litus ex utraque parte rivuli, usque ad arborem alnum iuxta medietatem piscine. Insuper duo iugera agri ad seminandum segetem vel plantandum ortum iuxta dictam molam, nostra voluntate pro optima obtinebunt. Et ut hec nostra donacio robore inviolabili perseveret, fecimus hanc paginam nostri sigilli munimine insigniri. Nec testes supponi pretermisimus fidedignos, quorum nomina sunt hec: Dyrsizlaus castellanus in Meseriz, comes Vincentius de Pnev, Ianico et Ioseph comites filii Eustachyi, Thylo prothonotarius noster et Iesco frater eius, Luterus plebanus in Lubnewiz ceterique quam plures fide digni. Datum in Gnisna anno Domini M.CC.LXXXVII in die Marci ewangeliste.

Doberluch, *Dobryług, z niemiecka Dobberluch w Łuzacyi.* Poniqua riv. *Ponikwa rz.* Socula dambrica, *czyli dąbrowa, miejscowość przyległa znikłéj osadzie Mascowe.* Sambrsco, *Zemsko.* Lubnewiz rivulus et villa, *dziś w. Lewice nad rz. Kamionka.* Meseriz, *Międzyrzecz.* Pnev, *Pniewy.* Gnisna, *Gniezno.*

Nr. 577.

Secundus Premisl dux Polonie 1287 Apr. 26, in Gnezna; confirmat antiquas libertates hereditatis Arcugowo, quam Boguslaus castellanus de Ujście cum hereditate ecclesiae de Trzemeszno, dicta Ianuszkowo, commutaverat.

Trzemeszno. Priv. Conv. Can. Reg. Lateran. Lib. privil. fol. 67.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et actio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra nostrorumque baronum presencia comes Boguslavus castellanus de Usczye et subcamerarius Poznaniensis, super hereditatem cum domino preposito Martino et toto ipsius capitulo ecclesie Trzemeschnensis talem iniit commutacionem; videlicet quod idem Boguslavus tam ex parte sua quam ex parte fratris sui Iacobi castellani de Rogosna et ipsorum omnium successorum, hereditatem suam Hercogowo contulit prefato domino preposito ecclesie Trzemeschnensis iure hereditario in perpetuum possidendam, ab eodem domino preposito et dicta ecclesia Trzemeschnensi aliam hereditatem recipiens, que Ianuszewo dicitur in vulgari, hereditarie possidendam. Nos vero utriusque partis piis ac dignis peticionibus acquiescere cupientes, libertatem quam dicta hereditas Iarczogowo habuit ex antiquo, obtinendam perpetuo inpermutabiliter confirmamus, redimentes eam a naraz, a povoz, a prevod, a podvorove, a stroza, a poradlne, a socol, a stan, a bove, a vacca, ab opole, a castri citacione, a furto, ab homicidio, a septuaginta, a cippo mellis, ab expedicione, et aliis quam pluribus omnibus solucionibus, que nunc sunt et in poste-

[illegible]

[redacted]

rum poterint exoriri. Villani eciam eiusdem hereditatis nostre nobis non astabunt, nisi specialiter nostro annulo provocati. Ut autem nostra confirmacio supradictorumque virorum racionabilis commutacio perpetuo stabilis perseveret, presentem paginam nostro sigillo et sigillis comitis Boguslai et comitis Iacobi duximus roborandam presentibus hiis testibus: comite Nicolao palatino Calisiensi, comite Petro castellano Poznaniensi, comite Cechoslao castellano Kalisiensi, comite Andrea iudice Calisiensi, domino Philippo archidiacono Gneznensi, domino Thilone preposito de Santok. Datum in Gnezna sequenti die beati Marci M.CC.LXXX.VII, Indictione quindecima, per manus Iasconis notarii nostri.

Usczye, *Ujście*. Rogosna, *Rogoźno*. Hercogowo *i* Iarczogowo, *Arcugowo*. Ianuszewo, *Januszkowo*. Santok, *Santok*.

Nr. 578.

Premisl secundus dux Polonie 1287 s. d., in Poznan; confirmat donationem hereditatis Krerowo, ecclesiae Poznaniensi, a Iohanne, Iacobo et Nicolao, filiis b. m. Iacobi praepositi Poznaniensis, factam.

Pergam. orygin. Sznurek z nici jedwabn. zielon., z którego pieczęć znikła. Poznań. Archiv. Capituli, I, 13. — Raczyński, Cod. diplom. Maior. Polon. 69.

In nomine Domini amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum munimine roboramus. Nos igitur Premisl secundus, Dei gratia dux Polonie, notum facimus universis, quod in nostra presencia constituti Iohannes, Iacobus et Nycholaus fratres, filii bone recordationis domini Iacobi quondam prepositi Poznaniensis, hereditatem ipsorum, Crirowo vulgariter nuncupatam, venerabili in Christo patri domino Iohanni, miseracione divina episcopo secundo, et ecclesie Poznaniensi ob remedium parentum ipsorum et animarum suarum devotissime contulerunt, petentes a nobis, ut tam piam donacionem more consueto confirmaremus. Nos vero Dei intuitu et ipsorum petitionibus annuere cupientes, dictam donationem gratam et ratam habentes, ipsam perpetuo confirmamus. Ut autem hec confirmacio et donacio robur perpetue optineat firmitatis, presentem paginam nostri sigilli munimine roboramus presentibus his testibus: domino Vincentio preposito Poznaniensi et cancellario nostro, domino Gregorio decano Poznaniensi, comite Petrkone castellano Poznaniensi, comite Iohanne subiudice nostro. Actum et datum in Poznan anno Domini M.CC.LXXX septimo, Indictione quinta decima.

Crirowo, *Krerowo*.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Nr. 579.

Secundus Premisl dux Polonie 1287 Jul. 13, in Poznan; ratam habet commutationem hereditatis Theodorici canonici Poznaniensis et Mroczkonis, filiorum quondam comitis Iaracii, dictae Orkowo, cum villis ecclesiae Poznaniensis, dictis Borek et Skrzynka.

Pergam. orygin. Sznurek jedwabny zielony, z którego pieczęć znikła.
Poznań. Archiv. Capituli. I, 12.

In nomine Domini amen. Multis incomodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum et testium munimine roboramus. Nos igitur secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod in nostra nostrorumque baronum presencia bone memorie quondam dominus Iohannes episcopus Poznaniensis, et dominus Theodricus canonicus et Mrocko fratres, filii quondam comitis Iaracii, publice recognoverunt, hereditates Orcowo, Borek et Crinca vulgariter nuncupatas ad invicem permutasse sub eo modo: videlicet quod prefati fratres Theodricus et Mrocko a domino episcopo et ecclesia Poznaniensi pro hereditate ipsorum Orcowo receperunt villas Borek et Crincam, sitas prope Pircnam, recipientes ad hoc quadraginta marcas argenti, quas coram nobis confessi sunt se ab eodem ex integro recepisse; promittentes unus alteri ad invicem solempnibus stipulacionibus hinc inde intervenientibus, litem vel controversiam de re a se permutata alteri ullo tempore non inferre, nec inferenti consentire, et predictam permutacionem gratam et ratam habere, et non contrafacere vel venire. Nos vero venerabilis patris domini Iohannis secundi, episcopi Poznaniensis, iustis peticionibus annuere cupientes, dictam permutacionem inter predecessorem suum et iam dictos Theodricum et Mrockonem habitam gratam et ratam habentes, ad eternam rei memoriam nostri sigilli munimine roboramus presentibus hiis testibus: comite Petrcone castellano Poznaniensi, comite Iohanne subiudice Poznaniensi, comite Graba subtezaurario Poznaniensi. Datum in Poznan anno Domini M.CC.LXXX.VII, tercio Ydus Iulii, per manus Iasconis notarii curie nostre.

Orcowo, *Orkowo.* Borek, *osada znikła.* Crinca, *Skrzynka.* Pircna, *Pierzchno.*

Nr. 580.

Wladisslaus dux Syradie etc. 1287 s. d. et l.; dat ecclesiae Gneznensi domum in civitate Krakow et medietatem villae Prusy, cuius alteram medietatem b. m. Boleslaus, dux Cracoviae, eidem ecclesiae iam pridem contulerat.

Pergam. orygin. Na niciach jedwabn. wypłowiał. przywieszona pieczęć, przedstawia godło Ziemi Kujawskiéj, napis zatarty.
Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 45.

In nomine Domini amen. Licet cursus rerum temporalium floridus et sincerus evidenter noticie subiaceat singulorum, consuevit nichilominus sequacium ignorancia

[illegible]

perturbari: necesse est ergo, actiones legitimas scripti continencia et subscriptione testium posterorum noticie commendare. Nos igitur Wladisslaus Dei gracia dux Syradie et Cuyavie, heres Cracovie, notum esse volumus universis ad quorum noticiam pervenerit presens scriptum, quod cum illustris princeps dominus Bolesslaus bone memorie quondam dux Cracovie, patruus noster karissimus, venerabili in Christo patri domino Iacobo sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo, tunc in minori officio constituto, mediam hereditatem in Prus ante Cracoviam sitam iure hereditario contulisset, nos eidem venerabili patri, volentes esse nostrorum predecessorum ydoneus imitator, in remissionem nostrorum peccaminum, attendentes fidelia obsequia nobis per dictum venerabilem patrem liberaliter exhibita, sibi et ecclesie sue aliam medietatem dicte hereditatis damus et conferimus in perpetuum iure hereditario possidendam, ipsam et eius incolas ab omnibus iuribus ducalibus et nostrorum beneficorum, solucionibusque seu exactionibus quocunque nomine censeantur ob amorem Dei et beati Adalberti reverenciam liberantes; ita quod incole prefate hereditatis eodem iure gaudeant, quo omnes ecclesie Gneznensis possessiones antique. Notum eciam facimus universis, quod nos domum in civitate Cracoviensi Iacobi quondam dicti Poznaniensis, qua idem Ia. pro eo quod Charnisium Iudeum occidit fuit per sentenciam spoliatus, per commutacionem aree eiusdem venerabilis patris, sibi et ecclesie sue damus et conferimus iure hereditario in perpetuum possidendam. In cuius rei testimonium sibi presentes litteras dedimus, sigilli nostri munimine roboratas, anno Domini M.CC.LXXX. septimo, presentibus comitibus: Segota castellano, Petro palatino Cracoviensibus, Andrea et Virbenta filiis Clementis, domino Iacobo Wissliciensi preposito et fratre Paulo priore Syradiensi.

Prus, *Prusy*.

Nr. 581.

Wlodislaus dux Lancicie et Cuiavie 1287 Jul. 25, in Lancicia; redimit una cum fratre suo duce Kazimiro tabernas et forense, quas conventus de Trzemeszno in civitate Łęczyca habuerat, dans pro eisdem villam Bryski cum omni iure ducali, et villas Gora, Kosin et Zagaj cum facultate locandi iure Theutonico.

Pergam. orygin. Brzegi bardzo obcięte. Śladu zawieszenia pieczęci nie masz. Trzemeszno. Priv. Conv. Can. Reg. Lateran.

In nomine Domini amen. Wlodislaus Dei gracia dux Lancicie et Cuiavie, universis presentem paginam inspecturis in perpetuum salutem in salutis auctore. Ne ea que coram nobis aguntur et per nostram benivolenciam disponuntur excidant a memoria hominum, que res fragilis est et incerta, ipsam consuevimus nostris litteris autenticis perhennare. Quare presentibus et futuris notum esse volumus, quod nos Wlodislaus una cum fratre nostro duce Kazimiro reddeminus a domino Marthino preposito et toto conventu de Tremesna tabernas et forense quod in civitate nostra Lanciciensi possidebant, cum omnibus utilitatibus quas idem prepositus et suus conventus in eadem civitate habuerunt et fuerant habituri; dantes dicto preposito et suo conventui pro predictis tabernis et forense, villam que Briscovish vulgariter nuncupatur perpetuo possidendam cum omni iuridicione atque districtu et iure,

[illegible]

[illegible]

[illegible]

quod in prefata villa vel hereditate habuimus et habere potuimus in viis, in inviis, agris cultis et colendis, pratis, paludibus, vivulis, silvis, et aliis universis utilitatibus, que in eadem hereditate nunc sunt et in posterum poterunt provenire, cum agris in simile et pratis de Carsnizh, ipsi ville Briscovish·ultra silvam adiacentibus, et ipsam silvam mediam, et paludem que in Carsnizh spectabat ab antiquo. Damus eciam et concedimus iam dicto preposito et suo conventui prenotatam villam Briscovizh et Goram, Cossnil, Zaglofsis, et insulam circa molendinum apud Lanciciam iure Theutonico locandas, et omne ius ibidem presidendi, tam causis criminalibus quam civilibus, in rapinis, furtis et homicidiis, et aliis omnibus causis que in eadem villa accidunt et poterunt accidere, nobis vel dominio nostro nichil iuris reservando; ita videlicet, quod kmetones vel homines in supradictis villis habitantes, in quibuscumque causis citati, nec coram nobis nec nostris officialibus respondere tenebuntur, sed tantum coram preposito et suis fratribus, vel villico et procuratore quos ibidem prepositus et fratres prefecerint, debebunt querulantibus respondere. Volentes eciam sepius dictum prepositum et suum conventum, homines insuper cuiuscunque nacionis fuerint ipsas villas inhabitantes, liberos esse et exemtos ab omni iure fori et a poralne, a povozh, a vivozh, prevot, potvorove, castrorum vigiliis et municionibus, expedicionibus, et aliis universis serviciis et exactionibus nobis et dominio nostro debitis, quocunque nomine censeantur. Ut autem hec ordinacio nostra firma et inconvulsa in perpetuum permaneat, presens scriptum nostri sigilli munimine duximus roborandum. Datum in Lancicia anno Domini M.CC.LXXX.VII, in die beati Iacobi apostoli, presentibus: domino Iohanne cancellario, domino Andrea procuratore, Satagio iudice, Bestrigh thesaurario, Alberto subcamerario, Symone subiudice, et aliis pluribus clericis et laycis fide dignis.

Tremesna, *Trzemeszno.* Briscovish, *Bryski.* Carsnizh, *Karsznice.* Gora, *Góra.* Cossnil, *Kosin.* Zaglofsis, *Zagaj.*

Nr. 582.

Secundus Premisl dux Polonie 1287 Septemb. 22, in Poznan; concedit hereditati monasterii de Obra dictae Kiełpin, libertatem a quibusdam solutionibus iuris Polonici, permittitque hereditatem Kiełkowo cum sortibus iure Theutonico locari.

Poznań. Königl. Staats Arch. Obra, Lib. privil. fol. 21.

In nomine Domini amen. Dum vivit littera vivit et accio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie, habentes devocionem et affectum circa Ordinem Cisterciensem et salubriter cogitantes de salute anime nostre et nostrorum, cupientes eciam pro terrenis celestia promereri, domus religiose eiusdem Ordinis de Obra contulimus hereditati Kelpino vulgariter nuncupate omnimodam libertatem, videlicet a naraz, a powoz, a prewod, a strosa, a podworowe, a bove, a vacca et a castri (sic), ab opole, et ab aliis solucionibus Polonicis, que nunc in nostro sunt dominio et processu temporis poterunt exoriri, ob

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

reverenciam beati Nicolai confessoris, ita quod in eodem claustro altare debet edificari, et missa ibidem omni die pro nostra salute celebrari. Item contulimus claustro supradicto super hereditate Kiaco et sortibus eidem hereditati adiacentibus, scilicet Chromacino et Chrode, liberum arbitrium locandi iure Theutonico prout alie ville et civitates in terra nostra sunt locate, absolventes ipsam hereditatem cum sortibus supradictis ab omni solucione Polonica, prout superius est nominatum. Mandamus eciam, ut ibidem habeant forum et thabernam liberam, et incole dictarum hereditatum coram nullo, sed coram nobis, nostro sigillo compareant provocati. Homicidium inter ipsos incolas perpetratum, iidem fratres habeant iudicare, eiusdem iudicii fructus ex integro percipientes. Ut autem nostra racionabilis donacio perpetuo inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus obfirmandam presentibus hiis testibus: comite Nicolao palatino Kalisiensi, comite Petercone castellano Poznaniensi, comite Gnevomiro iudice Poznaniensi, comite Nicolao filio Bozata, et aliis quam plurimis fide dignis. Datum in Poznan anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo septimo, in die beati Mauricii et sociorum eius, per manus Iasconis confratris, notarii nostri.

Obra, *Obra.* Kelpino, *Kiełpin.* Kiaco, *Kiełkowo.* Chromacino, *nie odgadnione.* Chrode, *Krutle.*

Nr. 583.

Johannes secundus Poznaniens. episcopus 1287 Nov. 3, Poznanie; confert Iohanni, Iacobo, Nicolao et Stephano, filiis b. m. Iacobi praepositi Poznaniensis, pro hereditate Krerowo, quam ecclesiae Poznaniensi dederant, hereditatem Iunikowo ad tempus vitae eorum.

Poznań. Archiv. Capituli. Lib. privil. B, Nr. 30.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi amen. Nos Iohannes secundus, miseratione divina Poznaniensis episcopus, notum facimus universis presentem paginam inspecturis, quod in nostra fratrumque nostrorum presentia Iohannes, Iacobus et Nicolaus, filii bone recordationis Iacobi quondam prepositi Poznaniensis, ob remedium parentum suorum et animarum suarum hereditatem ipsorum, Crirowo vulgariter nuncupatam, promittentes pro fratre ipsorum Stephano, nunc causa studiorum absenti, hoc idem gratum et ratum habiturum, ecclesie Poznaniensi perpetuo liberaliter contulerunt. Quare de consilio, consensu et voluntate nostri Capituli, eisdem, quos tanquam filios in Christo karissimos affectu caritatis amplectimur et fovemus, gratiosa providere vicissitudine cupientes, hereditatem seu villam Capituli nostri, Ianicovo vulgariter nominatam, Stephano, Iohanni, Iacobo et Nicolao, fratribus iam prefatis, nomine Capituli concessimus cum decima ac utilitatibus omnibus ibidem, que nunc sunt et esse poterint in futurum, quoadusque vixerint possidendam; ita quod dictis fratribus, Iohanne, Iacobo, Nicolao et Stephano viam universe carnis ingressis, villa Ianicowo ad ius et proprietatem Capituli redeat Poznaniensis. Et ne super hiis in posterum dubitetur, presentem paginam sigillis nostro et nostri Capituli communivimus. Acta sunt hec Poznanie tercio Nonas Novembris anno Domini M.CC.LXXX.VII, presentibus et consentientibus dominis: Vincentio preposito nostro, Gregorio decano,

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Alberto scolastico, Henricho archidiacono, Vrocislao cantore, Tomka custode, Radonio, magistro Paulo, Thilone, Siffrido, Valtero, Michaele, Henrico, Iacobo, Frizkone, Salomone, Theodrico, Gregorio, Nicolao, Fredrico, Grimislao, Henrico, canonicis Poznaniensibus, et aliis quam plurimis ad hec vocatis. Ego Valterus capellanus domini mei et notarius hiis interfui, et de mandato domini mei hec omnia conscripsi.

Crirowo, *Krerowo.* Ianicovo, *Junikowo.*

Nr. 584.

Mestvinus dux Pomeranie, Primislaus dux Polonie, Boguslavus dux Slavie, 1287 Nov. 23, in Stolp; confirmant monasterio de Bukow possessiones et privilegia, eidem per quemcunque concessa; inter se vero unionem et concordiam ineunt.

Stettin. Königl. Staats Archiv. Dreger, Mnscrpt. IV Nr. 736. — Matric. Bukow. pag. 46.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Nos Mestvinus dux Pomeranie, Primislaus dux Polonie, Boguslavus dux Slavie, omnibus presentem paginam inspecturis in perpetuum. Cum teste Scriptura: Cuncta sub sole transeant, divitie, fastus et gloria, et vanitati deserviant universa: hoc solum diiudicavimus inter omnia, ut pro terrenis celestia, et transitoriis contrahamus eterna, pro quorum consequentia necesse est viris religiosis et Dei monasteriis sic adesse, ut de benificiorum Dei et nostre pietatis habundantia eorum conditio emendetur. Et ut pro devitanda posterorum litis occasione, donationes ipsis factas secundum prudentum decreta accuratius roboremus, ad preveniendam ergo misericordie operibus in novissimo examine districti iudicis, unicuique reddentis secundum merita, severissimam censuram, notum esse volumus venerande nationi presentium et felici successioni futurorum, quod nos predicti principes, de nostra non ficta voluntate, sed salubri habito nostrorum baronum consilio, quecumque bona, quascunque possessiones, quas illustris princeps dominus Swantopolcus beate memorie, ecclesie Bucoviensi Ordinis Cisterciensis, territorii Slavenensis, diocesis Caminensis, et dominus Barnim seu quicunque principes alii sive milites alii contulerunt, damus liberaliter et confirmamus cum omni iure et iurisdictione, secundum quod predicti fratres Bucovie ab antiquo hucusque habita et possessa ipsorum privilegiis auctentice poterint comprobare, inperpetuum libere possidenda. Datum et actum in Stolp anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo septimo in die beati Clementis, quo nos ibidem unionis et pacis concordiam inter nos inivimus, perpetuis temporibus inviolabiliter observandum, presentibus his: domino Swensone palatino Swecensi, Stiburio castellano Pucensi, Andrea castellano Gedanensi, Venzlao subcamerario Gedanensi, Laurentio subcamerario Stolpensi, Bugislavo subcamerario dicto Dummeradeviz Polonie, Gualone Dirzekrai, domino Iohanne decano Caminensi, Wizlao canonico Caminensi, domino Bysprao, Dracone marscalco, Wisekone de Usenem, Nevelingo, Smelingo, et aliis quam pluribus fidedignis. Ut autem hec nostra donatio ac confirmatio rata ac inconvulsa futuris temporibus perseveret, presentem paginam ipsis porrigimus sigillorum nostrorum muni-

mine roboratam. Scriptum per manus domini Iohannis notarii nostri atque capellani Nono Kalendarum Decembris, Concurrente secundo, Epacta quarta, Indictione quinta decima.

Bucoviensis, *de Bukow*. Slavenensis, *de Sławno (Schlawe)*. Caminensis, *de Kamień (Kammin)*. Stolp, *Słupsk (Stolpe)*. Swecensis, *de Swiecie*. Pucensis, *de Pucko*. Usenem, *Usedom*.

Nr. 585.

Secundus Premisl dux Polonie 1287 Dec. 28, in Poznania; bona ecclesiae de Lubusz, in suo dominio sita, amplissimis privilegiis munit, villam Kazimierz in civitatem forensem, et ceteras iure Theutonico locare concedit.

Riedel. Codex diplomat. Brandenburgens. A 20, p. 194. (Kopja).

In nomine Domini amen. Humani generis actiones memoria perpetua indigentes plerumque ab hominum noticia dilabuntur, que scripturarum seu testium munimine non renovantur. Igitur nos secundus Premisl Dei gratia dux Polonie notum facimus universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod quanto nobis ad venerabilem in Christo patrem dominum Cunrandum episcopum et ecclesiam Lubucensem maior dilectio est et favor, tanto maiori dilectionis et operum exhibitione ipsos condignis graciis et specialibus libertatum muneribus attollere volumus et dotare. Sane, cum progenitores nostri non sine zelo divine inspirationis ipsam ecclesiam Lubucensem pro sua suorumque successorum salute, ob reverentiam et honorem beati Adalberti martiris atque pontificis gloriosi fundaverint et condignis hereditatibus et prediis dotaverint, nos ipsorum devotis vestigiis inherendo, cupientes tam pii facti ob spem et gratiam divine remunerationis zelatores esse, conferimus venditionis iure sive titulo predicto domino Cunrado venerabili episcopo suisque successoribus et ecclesie Lubucensi in omnibus bonis et prediis suis, ubique in nostro dominio sitis, plenam et largam in perpetuum libertatem; ita quidem: in Kasimir vel alias ubi apertum situm habuerit, locet villam sive civitatem forensem ac alias villas iure Theutonico, que civitas atque ville cum incolis earum fruentur et gaudebunt omnimoda libertate et privilegio, quo omnia predia et eorum incole fruuntur et gaudent in Lubucensi dyocesi constituti. Absolvimus etiam eos de poradlne et quibuslibet exactionibus, et ab omnibus serviciis quibus nostre curie nostroque dominio astricti tenebantur, quibuscunque nominibus vel vocabulis censentur vel etiam nuncupantur, videlicet a naras, a vovos, a prevod, a podvorove, stroza, stan, sokol, castore, ac a solucione mellis quod dicitur csafa vulgariter, latine vero cifus; a bove, a vacca, ab opole. Preterea homines sepe dicte ecclesie Lubucensis nec ad castra nostra citabimus, nec ad expeditiones ire, nisi pro terre nostre defensione moniti literis nostris specialibus, nec ad edificationem seu constructionem munitionum, castrorum, civitatum et pontium ullo modo tenebuntur. Nec solvent penam capitis secundum morem terre nostre, quotienscunque aliquis in terminis predictorum ecclesie sepe dicte interfectus quacunque morte fuerit et occisus. Nec eiusdem ecclesie homines per nos, nec per palatinos, nec per castellanos, nec per vlodarios, nec per aliquos iudices sive officiales nostros, quibuscunque nominibus censentur, quoquomodo iudicabuntur, sed immediate per dominum episcopum Lubucensem quicunque pro tem-

pore fuerit, vel per eum, cuicunque idem episcopus sua duxerit iudicia committenda. Preterea idem dominus episcopus suique successores in bonis ecclesie sepius memorate in nostro dominio, per se aut per suos habebunt omnimodam venacionem omnium ferarum, quemadmodum Lubucensis ecclesia semper habuit ab antiquo; et hec omnia promittimus pro nobis et nostris successoribus inviolabiliter observanda. Ut autem omnia supra rationabiliter admissa vigorem perpetuum valeant obtinere, presentem paginam nostri sigilli ac venerabilium in Christo patrum dominorum, Iacobi sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopi, Iohannis Poznaniensis episcopi, ac ipsorum Capitulorum munimine sigillorum duximus confirmandam presentibus hys testibus: venerabili patre domino Iohanne miseratione divina Poznaniensi episcopo, domino Vincentio cancellario ducum Polonie et preposito Poznaniensi, comite Nicolao palatino Kalisiensi, Petrcone castellano Poznaniensi, Gmevomiro iudice Poznaniensi, domino Thilone preposito de Santok, et aliis quam pluribus fide dignis. Datum in Poznania anno Incarnationis dominice MCCLXXXVII per manus Iasconis notarii curie nostre, Indictione quintadecima, V Kalendas Ianuarii, in die Sanctorum Innocentum.

Lubucensis, *de Lubusz, z niemiecka Lebus.* Kasimir, *Kaźmierz.* Santok, *Santok.*

SUPPLEMENTUM.

Nr. 586. (18a.)

Adrianus Pp. IV 1154 Apr. 23, Rome apud s. Petrum; suscipit ecclesiam de Wrocław sub protectionem b. Petri et suam.
Wrocław. Archiv. Capituli. Liber niger pag. 324.

Adrianus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Gualtero episcopo Wratislaviensi eiusque successoribus canonice substituendis in perpetuam memoriam. In eminente apostolice Sedis specula disponente Domino constituti, fratres nostros episcopos, tam vicinos quam longe positos, fraterna caritate debemus diligere, et ecclesiis quibus Domino militare noscuntur, suam iustitiam conservare. Eapropter venerabilis in Christo frater episcope, tuis iustis petitionibus clementer annuimus, et ecclesiam Wratislaviensem cui Deo auctore prees, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis tuisque successoribus, et per vos eidem ecclesie illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis, civitates, castella, villas, terras et plebes. Trecen, Tescin, gradice Golenziceske, Otemochaw, gradice Barda, Nemechi, Gramolin, gradice Ztrigoni, Zpini, Valan, Godinice, Szobolezke, Glogav, Sczezko, Milice. Hec predicta loca singula cum omnibus pertinenciis eorum, terras quoque cultas et incul-

tas, servos ac ancillas, et cetera que iuste et legittime eidem ecclesie pertinent, abbaciam sancti Martini cum pertinentiis suis, castellum Othomochov cum pertinentiis, castrum Milich ad usus fratrum supradicte ecclesie deputatum cum pertinentiis suis, forum de Trebnice quod Circvice translatum est, duas villas, una que vocatur Cachemis altera Pobrino, villam que est sita inter Muchbor et Selenza. Ex dono Korane villas hereditatis sue quatuor: unam in montibus, aliam iuxta vadum quod dicitur Lan, tertiam iuxta Borech, quartam iuxta aquam que dicitur Olava. Quintam que vocatur Grogessevici, cum hominibus quorum hec sunt nomina: Groges, Paulus, Dobrenta, Sul, Korvad, Radost cum duobus filiis et Miloslav; quos omnes cum dux Mesico convictos (coniunctos?) decimos Gedchenses vellet abducere, cum voluntate et assensu fratris sui Bolizelavi ducis coram nobilibus totius Polonie eidem ecclesie restituit. In morte eciam sua, que iuste possidere videbatur, servos scilicet et ancillas, curtem intra civitatem cum pertinentiis suis. Ex dono Sibni duas villas, unam que dicitur Huronici, alteram iuxta Vidav. Ex dono Sulizelavi duas villas, unam in montibus que dicitur Sulizclavici, alteram Cochechov. Ex dono comitis Lutizlai, unam iuxta montem Ruzova. Ex dono comitis Tedlevi, unam iuxta Calis. Ex dono comitis Wlaz tres: Golenino iuxta Borech, aliam iuxta Thurovin, tertiam que vocatur Zcriovo iuxta Pagenchno. Homines eciam, quos dux Mesico cum hereditatibus suis ecclesie vestre restituit. Ex dono ducis Boleslavi quos (sic) rusticos, quorum nomina sunt hec: Ocros, Syma, Wertis, Milecs, Vilds. Ex dono comitis Wroczlai, villam super vadum Zmigrod cum villis adiacentibus, Charbei, Wlevilci. Ex dono comitis Zlavonis, villam iuxta Rado que vocatur Zlavno. Villas ecclesie beati Iohannis: Zbosovici, Videl, Venzovici, Ozorencino, Marzonici, Cicenici, Drogotici, Ztreganovici, Biscopici, Chitnichici, Scotenici, Rendissenici, Borscech cum hominibus. Gremeza cum filiis Bogdas et Sulov. Iuxta Goztech: Brisclevici, Selim, Soravin. Villam que Carnchagora dicitur, villam etiam super rivulum qui Soravina dicitur, villam que Chiresne dicitur, villam que vocatur Iacotele, villas Thessen Grochovisca, Gelenov, Nalcho. Circuitio iuxta Cozli, circuitio super aquam que Dragina vocatur, et villam iuxta Sandovl que Gora dicitur. Decernimus igitur, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auffere vel ablatas retinere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva in omnibus apostolice Sedis auctoritate. Si que igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sangwine Dei redemptoris nostri Ihesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus, sit pax Domini nostri Ihesu Christi, quatenus hic fructum bone actionis percipiant, apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Datum Rome apud sanctum Petrum per manus Rolandi, sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis et cancellarii, VIIII Kalendas Maii, Indictione III, Incarnationis dominice anno millesimo centesimo quinquagesimo quarto, pontificatus vero domini Adriani Pape IIII anno primo.

Trecen, *później* Ricen, *gród niegdyś nad rz. Odra, pomiędzy m. Brzeg i Oławą leżący*. Tescin, *Cieszyn, z niemiecka Teschen*. Gradice Golenziceske, *gród nie odgu-*

[illegible]

dniony. Otemochaw, *z niem. Ottmachau.* Gradice Barda, *gród Warta, dziś miasteczko na Szlązku.* Nemechi, *z niem. Nimptsch.* Gramolin, *nie odgadnione.* Gradice Ztrigoni, *gród, dziś miasteczko Striegau.* Zpini, *Świdnica.* Valan, *z niem. Lähn.* Godinice, *może Grodzisk, dziś z niem. Zobtenberg.* Szoboleczke, *pewnie dziś Zedelsdorf p. m. Sagan.* Glogav, *Głogowa.* Sczczko, *pewnie dziś Seitsch p. m. Gora.* Milice, *Milicz.* Abbatia s. Martini, *podobno niegdyś w zamku Wrocławskim.* Trebnice, *Trzebnica.* Circvice, *z niem. Zirkwitz.* Vadum Lan, *z niem. Lohe, lewy przypływ rz. Odra, poniżéj m. Wrocław.* Borech, *Grossburg.* Aqua Olava, *z niem. Ohlau rz.* Grogessevici, *z niem. Gradischwitz.* Gedchensis, *de Giecz.* Vidav, *z niem. Weyde.* Calis, *Kalisz.* Pagenchno, *może Pajęczno w Ziemi Sieradzkiéj.* Goztech, *z niem. Goschütz.* Rivul. Soravina, *z niem. Sarowka Bach prawy przypływ strum. Lohe.* Nalcho, *podług bulli Innocentego IV z r. 1245, Aug. 4, leżało w dyecezyi Poznańskiéj, zatem jest pewnie dziś Niałek, p. m. Babimost.* Cozli, *z niem. Kosel.* Sandovl, *z niem. Sandelwalde.* Gora, *z niem. Guhrau.*

Nr. 587. (21a.)

Petrus Gneznens. archiepiscopus 1176 Aug. 10, in ecclesia Blasii; monasterio de Sulejów decimas de pluribus villis confert.

Transsumpt potwierdzony przez: Fulco Gneznens. archiepiscop. 1232 Nov. 23, in Suleiov.

Biblioteka X.X. Czartoryskich. Diplomata.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Notum sit universis presentibus et posteris, quod ego Petrus Dei gracia Gneznensis archiepiscopus, videns desiderium et devotionis affectum piisimi principis Kazimiri ducis Polonie ad claustrum construendum in honorem Dei et beate virginis Marie sanctique Thome in Suleiov fratribus Cysterciensis Ordinis, eo devocionis affectu cupiens huius tam sancti operis esse coadiutor, decimas villarum subnotatas, videlicet de Suleiov cum omnibus pertinenciis suis, scilicet Strelez et Dambrove, decimas de Bela, de Lanchno, de Mileiov, de Scampiz, de Scibor et Domecelavez, ecclesiam quoque de Baldrichov cum decimis, decimam de Standov, de Chenna et de Pasturov confero et confirmo predicte fundacioni de Suleiov et fratribus ibidem Deo famulantibus, in perpetuum possidendas. Facta sunt hec in ecclesia Blasii anno ab Incarnatione Domini M.C.LXXVI, IIII Idus Augusti, presente Kazimiro duce prefato et Fulcone Cracoviensi episcopo, quorum sigillis et meo hanc paginam mee donacionis roboravi.

Suleiov, *Sulejów.* Strelez, *Strzelce.* Dambrove, *Dąbrowa.* Bela, *Biała.* Lanchno, *Łęczno.* Mileiov, *Milejów.* Scampiz, *Campino, osada znikła, leżała pod w. Milejów.* Scibor, *może Cichórz.* Domecelavez, *Domiechowice.* Baldrichov, *Bałdrzyków.* Standov, *Tądów.* Chenna, *Szczecno.* Pasturov, *Pasterka.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

Nr. 588. (74a.)

Henricus Polonorum archiepiscopus 1212 s. d., in Mstow; una cum quibusdam suffraganeis suis omnem canonicum, Capituli sui secreta propalantem, sub anathemate ponit.

Wrocław. Archiv. Capituli. Liber niger pag. 444.

Notum sit omnibus ecclesiis per Poloniam collegiatis, quod ego H. miseracione (sic) Polonorum archiepiscopus, coram fratribus meis Polonie episcopis, domino V. Dei gracia Cracoviensi, domino L. Wratislaviensi, domino L. Lubucensi, domino Pe. (sic) Poznaniensi, et cum assensu personarum ecclesiasticarum que ad consecracionem dicti domini P. Poznaniensis electi in Mstow convenerant statui, et sub anathemate posui omnem canonicum vel quemlibet alium religiosam vitam virum ducentem, qui Capituli sui secreta propalare presumpserit. Datum in Mstow ab Incarnacione Domini anno M.CC.XII, tercio post consecracionem domini P. die, et anno quartodecimo archiepiscopatus mei.

Lubucensis, *de Lubusz, z niemiecka Lebus.* Mstow, *Mstów.*

Nr. 589. (113a.)

Honorius Pp. III 1222 Mai. 19, Alatri; confirmat compositionem, inter abbatem s. Vincentii et abbatem s. Mariae in Wrocław, ratione monasterii s. Laurentii in Kalisz initam.

Pergam. orygin. Na pasmie nici jedwabn. czerwon. i żółt. przywieszona bulla: Honorius Pp. III.

Wrocław. Königl. Staats Archiv. Vincenz-Stift 18.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio abbati sancti Vincentii Wratislaviensis salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sane, sicut ex tua insinuatione accepimus, cum inter te et.. abbatem sancte Marie Wratislaviensis super ecclesia sancti Laurentii de Kalis coram dilectis filiis,.. preposito Glogoviensi et conIudicibus suis ex delegatione apostolica, questio verteretur, amicabili tandem fuit compositione sopita, quam humiliter postulasti apostolico munimine roborari. Nos ergo tuis iustis postulationibus annuentes, compositionem ipsam, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Alatri XIIII Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno sexto.

Ecclesia s. Laurentii in Kalis, *klasztor ś. Wawrzyńca w Kościelnéj wsi p. m. Kalisz.*

[illegible]

[redacted]

Nr. 590. (113b.)

Wincencius Gneznens. archiepiscopus 1222 Iul. 20, in Gnezna; confirmat decimas, quas monasterium de Łekno tempore sui praesulatus possidebat, et ipsum monasterium sub patrocinium beati Adalberti suscipit.

Transsumpt orygin. potwierdzony przez: Benedictus de Modla canonicus et vicarius in spiritualibus ac officialis generalis etc. 1426 Iun. 22, Gnezne, *w pergaminie orygin., przy którym gruby sznur nici jedwabn. różow. i czerwon. od przywieszonéj niegdyś pieczęci. W końcu obok oświadczenia:* Iacobi Mathie de Lancicia publici etc. notarii etc., *Znak tegoż narysowany.*

Wągrowiec. Archiv. monasterii. Diplomata.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Ego Wincencius Dei gracia Gneznensis archiepiscopus, Christi fidelibus tam presentibus quam futuris salutem in perpetuum. Omnium quidem filiorum nostrorum devocionem paterno prout iustum est affectu amplectimur, verum eos qui divini amoris igne validius flammascentes religiose vite puritatem eligunt, speciali nostri amoris affectu ac diligenciori nostri presulatus presidio tanto digniores estimamus, quo excellentius ipsos apud Dominum glorie nostre coronam esse confidimus. Horum ergo perpetue paci et tranquillitati prospicere, nos tam paterna sollicitudo quam ipsa iusticie medullitus inflammat racio; ut videlicet quanto quiecius, tanto et studiosius divinis dediti serviciis, communis salutis militent profectibus. Inde est quod tam presentibus quam futuris notum esse volumus, dilectum filium nostrum Henricum abbatem domus Lugnensis, Ordinis Cysterciensis, coram nobis et conventu fratrum nostrorum in ecclesia Gneznensi consistentem, pro confirmacione decimarum ecclesie sue, quas tenuit iuste a nostra Capitulique nostri auctoritate, devote humiliterque supplicantem, sic tam nostro assensu quam Capituli nostri favore potitis unanimi, iuste peticionis effectu meruisse. Igitur decimas, quascunque iamdicta ecclesia Lugnensis usque ad presulatus nostri tempora canonice ac legittime tenuit, firmas ipsi ecclesie illibatas perpetuis permanere temporibus ea qua fungimur auctoritate decernimus. Et de nemoribus et silvis in posterum excolendis, una eademque sentencia intelligi debet que de decimis premissa est, quia totum quod nostri iuris esse poterit, liberatori animarum nostrarum conferimus et usibus fratrum, ut bonarum actionum ipsorum participes inveniamur. Et hec sunt nomina hereditatum de quibus eedem decime proveniunt, que propriis vocabulis duximus exprimenda: Bartozege scilicet Slosyni, Buchowo, Dambrowici, Golanch, Slachowo, Damaboze, Ochuzino, Morachowo, Luccowo, Blischowice, Olesno, Pangroz, Goszczsane, Canino, Coprivnzć, Chirnelino, Camencz, Crosno, forum in Lugna, Mocronoz, Ergilzsko, Ztrassowe, Lasis. Preterea iustis postulacionibus prefati abbatis pie annuentes, Lugnense cenobium cum personis, rebus et possessionibus, quascunque in presenciarum iuste possidet vel iusto titulo iustisque modis aquirere poterit, sub patrocinio beati Adalberti et nostre defensionis atque ecclesiastici muniminis proteccione suscipimus, omnemque iniustam invasionem, violenciam et oppressionem quorumcunque malorum, per ecclesiastice districcionis sentenciam ab ipsis propulsando. Ut igitur hec omnia rata et in perpetuum inconvulsa permaneant, presens scriptum nostri et Capituli sigillorum appensione communimus, quyn et virorum fidelium attestacione roboramus, quorum hec sunt nomina: Lupoldus maior prepositus, Hugo

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

decanus, Nicolaus custos, Cristianus archidiaconus, Bozo prepositus de Calis, Baldewinus decanus Lancicie et alii canonici, Iacobus, Wenzslaus scolasticus, Mutina, Hartungus, Thomas, Bogugwalus, Stephanus, Andreas et alii quam plures fide digni. Acta sunt hec in Gnezna anno Domini M.CC.XXII,XIII Kalendas Augusti, Indiccione decima.

Lugnensis, *de Łekno.* Bartozege, (Slosyni?) *Bartodzieje.* Slosyni, *osada znikła.* Buchowo, *Bukowie.* Dambrowici, *Dąbrowa.* Golanch, *Gołańcz.* Slachowo, *Załachowo.* Damaboze, *Danaborz.* Ochuzino, *Ochodza.* Morachowo, *Morakowo.* Luccowo, *Łukowo.* Blischowice, *Bliżyce.* Olesno, *Oleśno.* Pangroz, *Panigrodz.* Goszczsane, *Gościeszyn.* Canino, *Koninek.* Coprivnze, *Pokrzywnica.* Chirnelino, *Czerlin.* Camencz, *Kamniec.* Crosno, *Krośno.* Mocronoz, *Mokronos.* Ergilzsko, *Rgielsk.* Ztrassowe, *Straszewo.* Lasis, *Łaziska.*

Nr. 591. (119a.)

Fridericus secundus Romanorum imperator etc. 1226 Mart. Arimine; confirmat Ordini s. Mariae Theutonicorum donationem terrae de Chełmno, a Conrado duce Mazoviae factam.

Pergam. orygin. Pierwszy wiersz aż do Ierusalem et, *pisany literami długiemi a wązkiemi na kształt bul papiezkich tamtoczesnych. W środku wiersza* Fridericus *w ten sposób pisano, że* F *i* S *stoją na początku i końcu, a pomiędzy niemi inne litery imienia w dwóch rzędach, kolejno po nad sobą stawionych. Ku końcowi wiersz:* Signum domini Friderici *aż do* Sicilie regis *temiż literami co wiersz pierwszy pisany; pomiędzy zaś wyrazami* semper *i* augusti *narysowany monogram:* Fridericus Romanorum imperator.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 6. — Dogiel IV, Nr. 4. — Dreger, Cod. diplom. Pomeran. Nr. 65.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Fridericus secundus, divina clemencia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex. Ad hoc Deus imperium nostrum pre regibus orbis terre sublime constituit et per diversa mundi climata nostre dicionis terminos ampliavit, ut ad magnificandum in seculis nomen eius et fidem in gentibus propagandam, prout ad predicacionem Evangelii sacrum Romanum imperium prepararat, sollicitudinis nostre cura versetur; ut non minus ad depressionem quam ad conversionem gencium intendamus, illius provisionis graciam indulgentes, per quam viri catholici pro subiugandis barbaris nacionibus et divino cultui reformandis instanciam diuturni laboris assumant, et tam res quam personas indeficienter exponant. Hinc est igitur quod presentis scripti serie notum fieri volumus modernis imperii et posteris universis, qualiter frater Hermannus, sacre domus Hospitalis sancte Marie Theutonicorum in Ieruzalem venerabilis magister, fidelis noster, devotam sui animi voluntatem attencius reserando proposuerit coram nobis, quod devotus noster Chunradus dux Mazovie et Cuiavie promisit et obtulit ei providere et fratribus suis de terra que vocatur Culmen, et in alia terra, inter marchiam suam videlicet et confinam Prutenorum: ita quidem, ut laborem assumerent et insisterent opportune ad ingrediendum et obtinendum terram Pruscie ad honorem

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

et gloriam veri Dei. Quam promissionem recepisse distulerat et celsitudinem nostram implorabat, quod si dignaremur annuere votis suis, ut auctoritate nostra fretus inciperet aggredi et prosequi tantum opus, et ut nostra sibi et domui sue concederet et confirmaret serenitas, tam terram quam predictus dux donare debebat, quam totam terram que in partibus Pruscie per eorum instanciam fuerit acquisita, et insuper domum suam immunitatibus, libertatibus et aliis concessionibus, quas de dono terre ducis prefati et de Pruscie conquisicione petebat, nostre munificencie privilegio muniremus, ipse oblatum donum dicti ducis reciperet, et ad ingressum et conquisicionem terre continuis et indefessis laboribus bona domus exponeret et personas. Nos igitur promptam et expositam devocionem eiusdem magistri, qua pro terra ipsa sue domui acquirenda ferventer in Domino estuabat, et quod terra ipsa sub monarchia imperii est contenta, confidentes quoque de prudencia magistri eiusdem, quod homo sit potens opere et sermone, et per suam et fratrum suorum instanciam potenter incipiet et conquisitionem terre viriliter prosequetur, nec desistet inutiliter ab inceptis, quemadmodum plures multis laboribus in eodem nogocio frustra temptatis cum viderentur proficere defecerunt, auctoritatem eidem magistro concessimus, terram Pruscie cum viribus domus et totis conatibus invadendi, concedentes et confirmantes eidem magistro, successoribus eius, domui sue, in perpetuum tam predictam terram quam a prescripto duce recipiet ut promisit et quamcumque aliam dabit, necnon totam terram quam in partibus Pruscie conquiret Domino faciente, velut vetus et debitum ius imperii, in montibus, planicie, fluminibus, nemoribus, et in mari, ut eam liberam ab omni servicio et exaccione teneant et immunem, et nulli respondere proinde teneantur. Liceat insuper eis de concessione nostra per totam terram conquisicionis eorum, sicut acquisita per eos et acquirenda fuerit, ad commodum domus passagia et thelonea ordinare, nundinas et fora statuere, monetam cudere, talliam et alia iura taxare, directuram per terram in fluminibus et mari sicut utile viderint stabilire, fodinas et meieras (sic) auri, argenti, ferri et aliorum metalorum ac salis, que fuerint vel invenientur in ipsis terris, possidere perhenniter et habere. Concedimus insuper eis iudices et rectores creare, qui subiectum sibi populum, tam eos videlicet qui conversi sunt quam omnes alios in sua supersticione degentes, iuste regant et dirigant, et excessus malefactorum animadvertant et puniant, secundum quod ordo exegerit equitatis; preterea civiles et criminales causas audiant et dirimant secundum calculum racionis. Adicimus insuper ex gracia nostra, quod idem magister et successores sui iurisdiccionem et potestatem illam habeant et exerceant in terris suis, quam aliquis princeps imperii melius habere dinoscitur in terra sua quam habet; ut bonos usus et consvetudines ponant, assisias faciant et statuta, quibus et fides credencium roboretur, et omnes eorum subditi pace tranquilla gaudeant et utantur. Ceterum auctoritate presentis privilegii prohibemus, ut nullus princeps, dux, marchio, comes, ministerialis, scultetus, advocatus, nullave persona, sublimis vel humilis, ecclesiastica vel mundana, contra presentis concessionis et confirmacionis nostre paginam audeat aliquid attemptare; quod qui presumpserit, penam mille librarum auri se noverit incursurum, quarum medietas camere nostre, reliqua passis iniuriam persolventur. Ad huius itaque concessionis et confirmacionis nostre memoriam et stabilem firmitatem, presens privilegium fieri, et bulla aurea typario nostre maiestatis impressa fecimus communiri. Huius rei testes sunt: Magdeburgensis, Ravenensis, Tyrensis, Panormitanus et Reginus archiepiscopi; Bononiensis, Ariminensis, Cesenas, Mantuanus et Tortosanus episcopi; Saxonie et Spoleti duces, marchio de

Monte Ferrato; Salingwerra de Ferrara, *(8 lit. dees.)* de Hohenloch, Hemricus de Swarzburch, Guntherus de Keverenberch, Wernherus de Kiburch, Albertus de Habechspurch, Liudwicus et Hermannus de Froburch et Thomasius de Acceris comites; Albertus de Arnstein, Riccardus marscalcus et Riccardus camerarius imperialis aule, et alii quam plures.

Sigillum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper *(monogramma)* augusti, Ierusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice Incarnacionis milesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense Marcii, quartodecime Indiccionis, imperante domino Friderico Dei gracia serenissimo Romanorum imperatore semper augusto, Ierusalem et Sicilie rege; Romani imperii eius anno sexto, regni Ierosolimitani primo, regni vero Sicilie vicesimo sexto feliciter. Amen.

Datum Arimine, anno, mense et Indiccione prescriptis.

Terra Culmen, *Ziemia Chełmińska.* Pruscia, *Prusy.*

Nr. 592. (129a.)

Wlodizlaus maior dux Polonie 1231 Febr. 24, in Lubin; dat ecclesiae cathedrali de Wrocław libertatem Theutonicam in villa eius Murzynow.

Pergam. orygin. W dolnym założonym brzegu jedno szerokie poprzeczne wcięcie od przywieszenia pieczęci.

Wrocław. Archiv. Capituli. AA, 72.

In nomine Ihesu Christi amen. Nos Wlodizlaus Dei gracia maior dux Polonie notum facimus universis presentem paginam inspecturis, quod ad honorem Dei et utilitatem ecclesie sancti Iohannis in Wratizlaw, dedimus et concessimus et presente carta confirmavimus iam dicte ecclesie libertatem Teutonicam plenam in Murinov, ad locandum ibidem Teutonicos et alios hospites, eo modo, qui sibi videbitur expedire; nichil ab hac libertate nobis et nostris heredibus excipere decernentes; preter quam dimidiam partem in solucione capitis si quis quod absit ibidem fuerit interfectus, iudice episcopi Wratizlaviensis sibi de eadem solucione partem terciam reservante, omnem utilitatem sancto memorato concedimus perpetuo possidendam. Et ut hec nostra donatio perpetuam habeat firmitatem, ipsam scripti huius testimonio et sigilli nostri appensione duximus roborandam. Actum in Lubin anno Domini M.CC.XXXI, VI Kalendas Martis, hiis testibus: Iohanne abbate de Lubin, Stephano cancellario nostro, Cecirado castellano de Zbansin, et multis aliis.

Murinov, *leżał, jak się okazuje z bulli:* Innocentius Pp. IV 1245 Aug. 9, Lugduni, *(Wrocław, Archiv. Capituli, Liber niger pag. 446), w dyecezyi Poznańskiéj, jest to zatem Murzynów p. m. Skwierzyna, dziś z niemiecka Morrn.* Lubin, *Lubin.* Zbansin, *Zbąszyń.*

[illegible]

Nr. 593. (142a.)

Fulco Gneznens. archiepiscopus 1232 Nov. 23, in Suleiov; confirmat privilegium, quod dederat monasterio de Sulejów **Petrus Gneznens. archiepiscopus 1176 Aug. 10, in ecclesia Blasii,** et concessis ab eodem monasterio praedicto decimis, novas addit.

Transsumpt orygin. potwierdzony przez: Drego de Andreo, Th. de Lubens, Egidius de Wangoz, Stephanus de Coprivnicia, Iohannes de Scips, Baldewinus de Chiricz, Bartholomeus de Ruda, Nicholaus de Iemilnicia dicti abbates 1289 Oct. 13, in Lubens; *w pergaminie orygin., u którego na paskach pergam. przywieszono 8 pieczęci. Pierwsza znikła; druga podługowata przedstawia Opata w infule, prawicą wspartego na pastorale, na lewéj spoczywa księga; trzecia znikła; z czwartéj pozostały ułamek okazuje dolną połowę osoby w długiéj szacie; piąta znikła; szósta podługowata, zatarta, przedstawia osobę w długiéj szacie; siódma znikła; ósma okazuje Opata w téj saméj postaci, co pierwsza, głowa odłamana. Napisy u wszystkich odłamane.*

Biblioteka X.X. Czartoryskich, Diplomata.

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Quoniam plerumque materia vetustatis antiquare nova, ac demum antiquata consuevit ad nichilum deducere, ideo prudentium sollercia laudabilis adinvenit, ut acta mortalium et donaciones eorum, per successores legitimos, ne a memoria decidant et per oblivionem vetustatis depereant, scripto renovari debeant et suis posteris intimari. Quapropter noverint universi presentes et futuri, quod nos Fulco miseracione divina Gneznensis archiepiscopus, considerantes quanta libertate et devocione monasterium beate virginis Marie sanctique Thome in Suleiov in ipsius fundacionis exordio a venerabili pie recordationis domino Petro quondam Gneznensi archiepiscopo decimis sit dotatum, suis vestigiis pie devocionis affectu cupientes inherere, viso privilegio donacionis sue per successionem iam longi temporis antiquato, quitquid in eodem moderno tempore reperimus, diligenter renovare studuimus et renovando confirmare. Erat autem privilegium felicis memorie dicti domini Petri in hec verba: *(Sequitur diploma Nr. 587.)*

Et quia donaciones et vota fidelium a successoribus legittimis ampliari debent pocius quam dissolvi, donaciones superius annotatas prefato monasterio perpetuo confirmamus. Insuper addimus et donamus pro remedio anime nostre, predecessorum ac successorum nostrorum, ecclesie nominate de Suleiov decimas villarum que vocantur Zagorane, Comorovo, Camen, Predidievo, Sokolina, Strasovici cum molendino Grodisce, Smogorevo. Item notum facimus, quod inter conventum sepedicti monasterii de Suleiov et Bogufalum scolasticum Lanciciensem, auctoritate nostra interveniente et Capitulorum nostrorum consensu accedente, talis intervenit composicio: ut de villa que vocatur Barchovici, prefatus scolasticus suique successores vice decime, sive succrescant sive decrescant eiusdem ville incole, marcam argenti puri perpetuo percipiant annuatim. Ut autem presens scriptum nostre confirmationis, donationis et protestationis, perpetue firmitatis robur obtineat, sigillo ducis Conradi et nostro, cum Capitulorum nostrorum, Gneznensis videlicet et Lanciciensis sigillis roboramus. Datum in Suleiov in consecracione ecclesie, anno ab Incarnacione Domini M.CC.XXXII, nono Kalendas Decembris, presentibus hiis: duce Conrado prefato et filiis suis Bolezlao et Semovito, Baldwino Gneznensi et Alberto Lanciciensi decano, Bogufalo sco-

lastico Lanciciensi, Alberto archidyacono Lanciciensi, Iaros flodario nostro, magistro Andrea de Cracovia, et aliis quamplurimis.

De Andreo, *de Jędrzejów*. Lubens, *Lubiąż, z niemiecka Leubus*. Wangoz, *Wąchock*. Coprivnicia, *Koprzywnica*. Scips, *Zips*. Chiricz, *Szczyrzec*. Ruda, *Ruda*. Iemilnicia, *Imielnica*. Suleiov, *Sulejów*. Zagorane, *Zagorzany*. Comorovo, *Komorów*. Camen, *nie odgadnione*. Predidievo, *pewnie Przeczow, poprzednim przyległy*. Sokolina, *Sokolina*. Strasovici, *Straszków*. Molendinum Grodisce, *przypomina znajdujący się tam niegdyś gród* Wilem. (*cnfr. Nr. 138 et 386.*) Smogorevo, *Smogorzewo*. Barchovici, *Barkowice*.

Nr. 594. (209a.)

Gregorius Pp. IX 1238 Mai. 25, Laterani; monet Henricum ducem Silesiae, ut archiepiscopo Gneznensi, pro damnis ecclesiae eius a patre suo b. m. duce Henrico illatis, satisfactionem praestet.

Theiner. Monumenta histor. Poloniae, I, Nr. 71.

Gregorius episcopus *etc.*, dilecto filio nobili viro H. duci Zlesie et Cracovie salutem *etc.* Cupientes, ut ab adolescentia tua timori Domini et amori assuefaciens temetipsum, apud Deum et homines sic proficias sapientia et etate, ut patris tui vestigia, presertim in oppresionibus ecclesiarum et clericorum non imitanda, reliquens, ecclesias et personas ecclesiasticas pio semper et prompto venereris affectu, libenter te salubribus monitis premunimus, que tanto altius cordi tuo debent infigi, quanto fortius honorem tuum respiciunt et salutem: et qui dux es aliis constitutus, ducatum tuum et quicquid habes, immo quicquid es, ab universorum Domino recognoscens, sic teipsum per rectitudinis viam ducas, quod ab eius beneplacitis non recedas. Sane olim non absque mentis amaritudine intellecto, quod nobiles viri duces Polonie homines cathedralium et aliarum ecclesiarum Gneznensis provincie, angariis, perangariis et vectigalibus graviter affligendo, ipsos, ut venatores eorum in domibus suis reciperent ac eis procurationes indebitas exhiberent, nec non in expeditionibus suis propriis militarent stipendiis, ac eorundem munitionibus et domibus construendis insisterent, contra iustitiam coartabant, et alias per eos tam enormiter gravabantur, quod nec suis poterant vacare negotiis, nec prefatis ut tenentur ecclesiis deservire, ac nichilominus ab eis et ipsorum officialibus indifferenter tamquam proprii servi eorumdem compellebantur obsequiis et iudiciis subiacere: venerabili fratri nostro.. episcopo quondam Mutinensi penitentiario nostro, apostolice Sedis legato, litteras nostras direximus continentes, ut aliqua consuetudine, que corruptela dicenda est potius, non obstante, prefatos duces ab huiusmodi molestiis dictorum hominum coherceret. Cumque dictus episcopus, ad instantiam venerabilis fratris nostri.. Gneznensis archiepiscopi, prout id in nostra proposuit presentia constitutus, quondam Henricum ducem Zlesie et Cracovie patrem tuum super huiusmodi oppressionibus pluries ac peremptorie ad suam presentiam citavisset, quia nec per se, nec per procuratorem idoneum coram eo voluit comparere ad frivole appellationis diffugium se convertens, in eum exigente ipsius contumacia excommunicationis sententiam promulgavit. Eodem igitur archiepiscopo et predicti patris tui procuratoribus apud Sedem apostolicam constitutis, dilectum filium nostrum

[illegible]

[redacted]

E. sanctorum Cosme et Damiani diaconum cardinalem eis concessimus auditorem. Coram quo aliquandiu litigato, nos volentes eidem patri tuo sine iuris lesione deferre, ipsum per.. abbatem de Stragov et collegas suos ad cautelam absolvi mandavimus et citari, ut coram nobis per se vel procuratorem idoneum certo termino compareret, super principali facturus et recepturus quod iusticia suadet. Sed ipsi formam mandati apostolici non servantes, licet ipsum iuxta formam eis traditam citavissent certo ei termino assignato, per alium tamen ipsum de facto, cum de iure non possent, absolvi fecerunt perpetuam ad cautelam. Cum autem in prefixo termino nullus pro eo, etiam post terminum expectato, nisi dumtaxat ad impetrandum et contradicendum comparuerit procurator, dilectus filius noster S. tituli sancte Marie Transtyberim presbiter cardinalis, super hoc a nobis deputatus auditor, ipsum merito reputans contumacem, eundem in expensis legitimis, quas dictus archiepiscopus a tempore citationis emisse fecerat, condempnavit. Tandem vero quidam qui pro procuratoribus se gerebant mandatum sufficiens exhibentes, recepto ab archiepiscopo supradicto libello, tam super exactionibus et gravaminibus antedictis, quam dampnis in villis, possessionibus, hominibus ac rebus aliis sibi et Gneznensi ecclesie irrogatis, nec non et expensis factis a tempore mote litis, super ipso coram eodem cardinali aliquandiu adinvicem litigarunt; sed antequam rumor de dicti patris tui obitu ad nostram notitiam pervenisset, ad litis contestationem non potuit perveniri. Ut ergo eiusdem patris tui excessus huiusmodi tam detestabiles quam enormes displicere tibi operum exhibitione demonstres, nobilitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente per apostolica scripta mandantes, quatenus de gratia in gratiam et de virtute proficiens in virtutem, de illatis eisdem archiepiscopo et ecclesie dampnis et iniuriis irrogatis plenam satisfactionem impendens, ab ipsorum oppressionibus et molestiis penitus conquiescas; ita quod eidem archiepiscopo nulla contra te iuste querele materia relinquatur, et nos devotionem tuam possimus merito commendare. Alioquin non immerito poteris formidare, ut iam dictum patrem tuum, qui ob huiusmodi oppressiones vinculo fuit excommunicationis astrictus, exhumari de cimeterio ecclesie faciamus, et sententias, quas archiepiscopus memoratus et suffraganei sui ob defensionem iurium ecclesiarum suarum et ecclesiastice libertatis in te ac terram tuam rite duxerint promulgandas, inviolabiliter observari, alias contra te spiritualiter et temporaliter iuxta meritorum exigentiam nichilominus processuri. Datum Laterani VIII Kalendas Iunii, anno duodecimo.

Nr. 595. (220a.)

Wlodizlaus dux Polonie 1239 s. d. et l.; commutat villas suas Leśniewo et Pierzyska, cum villa filiorum Nicolai quondam custodis, dicta Wełna.

Pergam. orygin., u którego sznurki z nici jedwabnych czerwon. od przywieszenia trzech pieczęci pozostały.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 15.

In nomine Domini amen. Que aguntur in tempore, simul labuntur cum tempore: sola autem negotia signata litteris vivunt et a sue firmitatis constancia non recedit (sic). Hinc est enim, quod ego Wlodizlaus Dei gracia dux Polonie, quondam ducis Odonis filius, notum facio universis Christi fidelibus tam presentibus quam fuuris, quod de consensu uxoris mee Hadevigis illustris ducisse Polonie, nec non filio-

rum meorum Premizlonis et Bolezlavi, duas villas, quarum una Leznovo alia Peresce vocatur, contuli filiis Nicolai quondam custodis, Isaye scilicet et eius fratribus, pro commutatione ville que Welma dicitur circa Zrazim, et aliis villis conferentes omnimodam libertatem, videlicet Pavlovo et Nidome, reddens eas eas (sic) ab omni honere servitutis sive solutionis, hoc est a podvorove, a stroza, a conductu, a povoz et naraz, et quod homines predictarum villarum non citentur coram castellanis, solummodo cum sigillo ducis citati respondeant coram duce. Ne aliquis autem processu temporis hoc factum nostrum inmutare temptaverit, presens scriptum sigilli nostri inpressione dignum duximus roborare sub testimonio prepositi Bozonis, Baldevini decani, Andree, Mutine, Thome, Stephani cancellarii, et aliorum multorum canonicorum et vicariorum Gnezdnensis ecclesie; domini Pauli episcopi Poznaniensis, Vitozlavi decani, Boguhvali cantoris, Petrici, Helvici, Gerardi, canonicorum Poznaniensis ecclesie; comitis Domaradi, Lutoldi tribuni Gnezdnensis, Mstignevi venatoris, Ianussii vexilliferi, Petri tesaurari; Iohannis, Devtiti, Nedani, Egidii, Nicolai, capellanorum curie ducis, et aliorum multorum clericorum et laicorum. Actum ab Incarnatione Domini anno M.CC.XXX.VIIII.

Leznovo, *Leśniewo.* Peresce, *Pierzyska.* Welma, *Wełna.* Zrazim, *Radzim, niegdyś gród na wyspie rz. Warta, o 1 milę powyżéj m. Oborniki.* Pavlovo, *Pawłowo.* Nidome, *Nidomie.*

Nr. 596. (243a.)

Synodus incerti loci et anni. (*Secundum Mathiam Miechoviensem Synodus haec est forsan illa, quam refert celebratam fuisse in Łęczyca anno 1244*).

R. Hube. Antiquissimae Constitution. Synodal. provinciae Gneznens. p. 8. (*Podług dwóch kodeksów, z których jeden pisany w XIV, drugi w XV wieku*).

1. Crescente quotidie malitia hominum perversorum et in deteriora seculo declinante, cogimur ex preteritis casibus futuris periculis obviare. Sanctione igitur constituimus synodali, ut, si unquam diabolo instigante aliquis princeps episcopum ceperit, ex tunc statim ab eo tempore, quo cognita fuerit episcopi captivitas, in tota terra illius tyranni qui eum captivaverit divina cessent officia, nec exhibeantur in ipsa terra aliqua divina Sacramenta, preter baptisma parvulorum et penitencias moriencium: sepultura mortuorum ibidem specialiter interdicta. Quod si diocesis ampla fuerit, extra dominium eiusdem tyranni se extendens, in illa quidem parte divina celebrentur officia: sed singulis diebus festivis ab omnibus prelatis et rectoribus ecclesiarum excommunicetur malefactor solemniter, extinctis candelis et pulsatis campanis, cum omnibus fautoribus et consiliariis suis. Et in signum ecclesie sui pastoris ad illud tempus solacione viduate, campane in nulla pulsentur ecclesia eiusdem diocesis; sed ad divinum officium convocetur populus sono percusse tabule, sicut fit in diebus dominice Passionis. Quod si aliquis de clero a quocumque captus fuerit, diocesanus episcopus sub pena sui officii teneatur ad vindictam sui facti procedere, malefactorem excommunicando et denunciando excommunicatum. Et si princeps, quam statim admonitus, cum non restituerit, eius terra supponatur interdicto; si vero alia persona fuerit a principe, solemniter excommunicetur; et si contumax fuerit, admoneatur, princepsque cogat detentorem eius, quod absolutum eum dimittat. Quod si princeps negligens fuerit, terra eius similiter interdicto supponatur.

[illegible]

2. Statuimus etiam, ut episcopo defuncto, prepositus, decanus et Capitulum eiusdem ecclesie, et saltem qui presentes fuerint, denuncient hoc sub pena officiorum suorum omnibus episcopis et provincialibus infra octo dies a tempore sciencie, ut exequie persone defuncte et divina officia que pro defunctis fiunt, tam a prelatis quam subditis decenter et solemniter celebrentur.

3. Statuimus nichilominus, ut res defuncti episcopi sint sub tuitione et fideli custodia prelatorum cathedralis ecclesie, usque ad electionem sui successoris.

4. Excommunicamus eciam omnes, sive sint principes sive alterius dignitatis, qui res episcopales sede cathedrali vacante presumpserint in usus suos redigere vel per aliquam violenciam occupare; quum de iure debeant omnia reservari successori ecclesie, cuius sunt usibus profutura.

Nr. 597. (254a.)

Conradus dux Lanchicie 1246 Oct. 2, in Yascene; ratam habet traditionem praedii Kiełczewo, a Nicolao filio Mistivuy palatini, ecclesiae Gneznensi pro 30 marcis debiti factam.

Pergam. orygin., u którego na plecionce z nici jedwabn. czerwon. przywieszony ułamek pieczęci bez wycisku. Pismo w wielu miejscach zniszczone.

Gniezno. Archiv. Capituli Metropol. Nr. 17.

In nomine Domini amen. Nos Conradus Dei gracia dux Lanchicie notum facimus universis presentibus et futuris, quod comes Mistivuy palatinus noster coram nobis et filiis nostris Bolezlao duce Mazovie et Semovito duce publice recognovit, quod Nicolaus filius suus de consensu et voluntate ipsius et aliorum filiorum eius, predium quoddam dictum Kelchovo quod ad eos iure pertinebat hereditario, cum omnibus utilitatibus et pertinentiis venerabili patri nostro domino F. Gneznensi archiepiscopo et ecclesie Gneznensi pro XXX marcis argenti, quas prefatus N. pro decimis violenter obtentis et dampnis Gneznensi ecclesie irrogatis tenebatur, in presencia filii nostri illustris Kazimiri ducis Cuyavie tradidit iure perpetuo possidendum. Quam tradicionem idem palatinus noster ratam habens et eidem coram nobis expresse consentiens, illud idem predium cum omnibus utilitatibus, omnium filiorum suorum consensu interveniente, (*6 lit. del.*) iam dicto patri nostro et eius successoribus pro eadem pecunia denuo tradidit perpetuo possidendum, adiciens et promittens, quod si quisquam ipsum predium, eo et filiis suis postquam instituta actio eis denunciata fuerit (*5 lit. del.*) defendentibus, a domino archiepiscopo et ab eius successoribus evincerit, tantundem de terra eque bona et (*6 lit. del.*) utili, ipse et N. (*6 lit. del.*) dare necessario Gneznensi ecclesie tenebuntur. Volentes autem ut quid tam sollempniter actum est coram nobis omnibus innotescat, presens scriptum appensione sigilli nostri et annotatione testium duximus roborandum, quorum nomina sunt hec: Abraham palatinus Mazovie, Albertus palatinus Chir... (*3 lit. del.*) Stephanus castellanus Lanchicie, Florianus castellanus de Rospra, Domavug thesaurarius, Lessota pincerna, Urbanus agazo, Budizlaus iudex, Stresek tribunus, Odolanus (*5 lit. del.*) Ian Scuyanca venator, Tomas filius Petri, et alii quam plures. Actum in Yascene anno Domini M.CC.XL.VI, sexto Nonas Octobris.

Kelchovo, *Kiełczewo.* Chir (?) *może* Chirasc, *czyli Sieradz, lub też* Chirnesk, *czyli Czersk.* Rospra, *Rozprza.* Yascene, *Jasieniec.*

Nr. 598. (276a.)

Bolezlaus dux Slesie et Polonie 1249 Jan. 28, in Legnicz; absolutionem a vinculo excommunicationis petens, spondet correctionem praeteritorum, et ecclesiae de Wrocław quasdam immunitates largitur.

Wrocław. Archiv. Capituli. Liber niger pag. 390. — Stenzel, Bisthums-Urkund. p. 16.

Nos Bolezlaus divina gracia dux Slesie et Polonie notum facimus universis, quod cum ex pluribus causis, quas dominus Thomas Wratislaviensis episcopus veras esse dicebat, vinculo essemus excommunicacionis astricti et terra nostra ecclesiastico subposita interdicto, nos ad satisfaciendum tam nostre consciencie apud nos quam fame aput homines, principaliter autem deferentes Deo, cui humilitatem et subieccionem prestare nostri honoris incrementum et exaltacionem nostre anime reputamus, humiliari volumus sub potenti manu Dei, et pro absolucione sentenciarum predictarum obtinenda et gracia reconciliacionis ecclesiastice, correccionem spondentes preteritorum et futurorum cautelam, articulos infrascriptos ad honorem Dei et sancte Ecclesie bona fide promittimus observare:

Clericos nec captivabimus nec in exilium mittemus, et quod fecimus circa aliquos, quantum ad exilium revocamus. Nec alicui de cetero beneficium ecclesiasticum inordinate auferemus, sed si quis clericus adeo excesserit ut aliquo premissorum videatur dignus, de hoc coram episcopo in iudicio cum ipso experiemur; a quo si iusticiam non fuerimus consecuti, ipsam in foro ecclesiastico alias prosequemur. Item, non faciemus aliquam eieccionem vel induccionem religiosorum violenter, sed si quid in huiusmodi racione iuris patronatus nobis fuerit faciendum, hoc faciemus sine violacione immunitatis ecclesiastice et sine incendio rerum ecclesiasticarum, nisi contingat incendium in municionibus acquirendis; res omnes nichilominus ecclesie sicut nostras proprias bona fide defendemus. Item, collectas sive exacciones, generales sive speciales, super homines et bona ecclesiastica non faciemus, nisi iustas, que fuerint per episcopum et barones pro utilitate terre et necessitate approbate: nisi episcopus solus contra consensum baronum et contra iusticiam suum consensum noluerit adhibere; hoc tamen nostros heredes neque episcopi obliget successores. Item, ecclesiam de Kalis combustam reparari faciemus iuxta ordinacionem episcopi. Claustrum de Novo castro in decimis et in omni iure ecclesiastico et spirituali omnino restituemus, ipsum autem locum claustri et possessiones eius, quibus indiguerimus, infra duos annos in locis commutabimus aptis. Item, immunitatem domibus episcopalibus et regularium seu secularium clericorum debitam observabimus. Item, ad res ecclesiasticas manum de cetero iniuriose non mittemus, et quidquid de rebus episcopalibus collegimus vel militibus precipimus colligendum, cum integritate restituemus: et in eis que non collegimus nec precepimus colligendum, quantum possumus episcopo assistemus bona fide; nec communicabimus excommunicatis nobis denunciatis, nisi in exercitu vel alia necessitate inpellente. Item, nunciis episcopi et aliorum ecclesiasticorum virorum et procuratoribus eorum, in dominio nostro pro eorum negociis gerendis plenam damus securitatem et libere promittimus, per procuratores episcopi fieri racionem coram nobis vel a nobis deputatis; et cum declarata fuerint que per nos vel per nostrum mandatum sunt precepta, ea datis certis fideiussoribus usque ad festum sancti Iohannis Baptiste proxime venturum persolvemus. Idem faciemus aliis

viris ecclesiasticis de hiis, que per nos vel nostrum speciale mandatum ipsis sunt ablata. Si que preter hec facta sunt, episcopus suo iure utatur. Item, domino episcopo dampnum in Zwent factum, secundum estimacionem sub iuramento ab ipso episcopo vel eius procuratore Leonardo factam, persolvemus; idem faciemus de Crinizno, si frater noster non fatebitur nobis precepisse in bonis ecclesie pernoctare. Item, de duobus patrimoniis ecclesie, Tharnava et Chuderovo, Tarnavam restituemus integraliter et pacifice possidendam sicut prius habuit, pro Chuderovo commutacionem condignam faciemus in loco episcopo competenti, usque ad prenominatum festum beati Iohannis Baptiste.

Hec omnia promittimus sub iuramento corporaliter prestito observare, et si non observaverimus, ipse episcopus nos possit in easdem sentencias excommunicacionis et interdicti reducere, non obstante appellacione a nobis facta vel facienda, vel alio iure quod nobis possit prodesse tantum super articulis prenominatis. Et ut hec omnia rata et inconcussa permaneant, presens scriptum sigilli nostri robore duximus insigniri. Actum in Legnicz anno Domini M.CC.XL nono, V Kalendas Februarii, presentibus: fratre nostro domino Conrado Pataviensi electo, Ramoldo cancellario, Valentino notario, magistro Thedrico, magistro Iohanne, et nunciis domini episcopi specialiter pro absolucione nostra destinatis, magistro Symone priore, fratre Moyse subpriore sancti Adalberti in Wratislav, et Ecardo canonico Wratislaviensi.

Ecclesia de Kalis, *prawdopodobnie kościół ś. Pawła, fundacya i miejsce pochowania Mieczysława Starego.* Novum castrum, *Naumburg nad rz. Bober, gdzie był klasztor kanoników regularnych, później przeniesiony do m. Sagan.* Zwent, *dziś z niemiecka Bischoffsdorf.* Crinizno, *z niem. Krintsch.* Tharnava, *z niem. Tharnau.* Chuderovo, *pewnie dziś Kauder.* Legnicz, *Lignica.*

Nr. 599. (304a.)

Boguphalus episcopus Poznaniens. 1252 Jun. 1—4, in Capitulo Poznaniensi; confirmat ecclesiae in Gora possessionem decimarum de tribus villis.

Biblioteka X.X. Czartoryskich. Teki Naruszewicza II, Nr. 210. (Z oryginału znajdującego się przy kościele w m. Gora pod m. Czersk, z śladem przywieszenia pieczęci).

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Noverint omnes presens scriptum inspecturi, quod ego Boguphalus Dei gracia episcopus Poznaniensis, de consensu Capituli mei ecclesie de Gora in archidiaconatu Cyrnensi decimas quas ab antiquo tenuit in perpetuum tenendas confirmavi, has videlicet, de Gora ubi ecclesia ipsa sita est, de Varseva, de Nececza, de Mesevo. Et si in districtu predictarum villarum alie ville locabuntur, et si ab his diversis nominibus nuncupentur, eodem tamen iure censeantur. Actum in Capitulo Poznaniensi anno M.CCLII, V (sic) Nonas Iunii, presentibus dominis: Petro preposito, Petro decano, Gerardo scolastico, Iohanne archidiacono, Helvigo custode, Michaele, Iohanne, Alberto, Nicolao, Sophonia, Isaia, Venceslao, Eusebio, Vincencio, Offerone, Marco, Bogumilo, Thomislavo, canonicis Poznaniensibus. Ut autem hec confirmacio valitura et in perpetuum per-

severet, sigillis mei et Capituli fecimus communiri. Ego Bascho thczaurarius domini episcopi Poznaniensis hiis interfui, et de mandato episcopi ista conscripsi.

Gora, *Góra.* Cyrnensis, *de Czersk.* Varseva, *Warszawa.* Nececza, *Niecki.* Mesevo, *Mięsy.*

Nr. 600. (331a.)

Premisl dux Polonie s. a. d. et l.; concedit monasterio de Ląd, ut villam Wola Lądzka, cuius incolas pluribus libertatibus dotat, iure Theutonico locare valeat.

Włocławek. Liber privileg. monasterii de Ląd, pag. 25.

In nomine Domini amen. Omnis actio temporalis, memoria indigens, ne pravorum hominum suggestionibus depravetur, utile visum est, ut scripture testimonio roboretur, et iustitia debitum sortiatur effectum. Unde noverint universi presentem paginam visuri, quod nos Premisl Dei gracia dux Polonie, cupientes que ad cultum divini nominis spectant nostris temporibus pocius augeri quam diminui, et ea prout possumus liberius confovere(sic). Quapropter nos progenitorum nostrorum devotionem, quam semper habuerunt erga domum Landensem, pio prosequentes affectu, contulimus domino M. abbati domus eiusdem et suis fratribus interpellantibus, auctoritatem locandi villam inter fluvium Wirbez et rivulum qui Reccha vocatur, iuxta Dolany, cum Theutonicis et liberis Polonis pleno iure Theutonicorum, quam Liberam villam appellarunt. Ceterum, ut parentum nostrorum imitatores idonei effici mereamur, absolvimus colonos in prefata villa commorantes in perpetuum ab omnibus solucionibus, exactionibus, vecturis ac ceteris angariis, seu omnibus iuribus in Polonia constitutis; hoc solo excepto, si aliquis contra dominium nostrum insultum fecerit, quod coloni sepedicte ville una nobiscum tenebuntur defensare. Hoc adiicientes, ut apud eos nostri sit frequens memoria in orationibus ipsorum: concedimus iudici lam dicte ville, si qua apud eum iudicia magna seu gravia emerserint, advocatus ipsorum civitatis que Koscol dicitur iudicet, sicut ex antiquo iurisdictionem a nostris progenitoribus obtinuerunt, nulli iudicum aut castellanorum seu advocatorum in prehabita villa ius aliquod reservantes. Ut autem hoc nostrum factum in honorem Dei sancteque Marie semper virginis robur perpetue firmitatis obtineat, presentem paginam in huius rei testimonium sigilli nostri appensione fecimus communiri. Ita, quod absit, si aliquis successorum nostrorum huic facto ausu temerario contraire presumpserit, maledictioni omnium Sanctorum mereatur imperpetuum subiacere.

Landensis, *de Ląd.* Fl. Wirbez, *Wierzbiec strum., prawy przypływ rz. Warta.* Rivul. Reccha (*rzeczka*), *lewy przypływ strum. Wierzbiec.* Dolany, *Dolany.* Libera villa, *Wola Lądzka.* Civitas Koscol, *dawniéj* ecclesia s. Nicolai, *dziś m. Lądek.*

Nr. 601. (343a.)

Boguphalus episcopus Poznaniens. 1256 Jul. 3, in Capitulo Poznaniensi; confert ecclesiae in Wronczyn, a se erectae, decimas de duabus villis.
Gniezno. Archiv. Consistorii Metropol. Acta anni 1690.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Quoniam generatio preterit et generatio advenit, ideo necesse est, ut ea que in perpetuum volumus stabilire, scripturarum diligencia annotentur, quatenus acta preteritorum facilius veniant ad noticiam futurorum. Inde est quod nos Boguphalus Dei gracia episcopus Poznaniensis una cum Capitulo nostro, de communi assensu et de bona voluntate dicti Capituli, ecclesie nostre de Wronchino, quam ob remedium anime nostre construximus, decimas duarum villarum ex integro, quarum hec sunt nomina, Biskupicze et Bozeevo, eidem ecclesie in perpetuum possidendas contulimus. Ut autem hec donacio nostra et prefati Capituli nostri stabilis et firma nunc et in evum perseveret, presentem paginam sigillo nostro et sigillo eiusdem Capituli, nec non sigillis nostrorum prelatorum fecimus roborari. Acta autem sunt hec in Capitulo Poznaniensi anno gracie Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, quinto Nonas Iulii, presentibus dominis: Petro preposito, Gerardo decano, Iohanne scolastico, Iohanne archidiacono, Henrico cantore, Bascone custode, Iohanne, Nicolao, Broncone, Sophonia, Venceslao, Horacio, Iacobo, Petro, Marco, Vincentio, Bogumilo, Tomislao, canonicis Poznaniensibus.

Wronchino, *Wrączyn.* Biskupicze, *Biskupice.* Bozeevo, *Bożejewo.*

Nr. 602. (392a.)

Bolezlaus dux Polonie 1261 Nov. 9, in Sroda; dat Lambrechto sculteto de Zduny libertatem locandi ibidem civitatem iure Theutonico, eamque multis libertatibus dotat.
Wrocław. Archiv. Capituli. Liber niger p. 441.

Bolezlaus Dei gracia dux Polonie, universis presentem literam inspecturis gracie sue plenitudinem cum salute. Noveritis, nos sculteto de Sduncow Lambrechto libertatem dedisse omnimodam ad locandam civitatem que Sduncow wlgariter nuncupatur, iure Theutonico eo, quo civitas Novi fori in Slezia est locata; eximentes eam ab omnibus exaccionibus que in Polonia consueverit (sic), dantes eciam eidem civitati duodecim annis libertatem, cum duabus villis adiacentibus, que Cescowo et Sdodcowo nominantur. Et ne aliquis in posterum hanc libertatem prefato sculteto valeat violare, presentem paginam nostri sigilli appensione et munimine fecimus roborari. Datum in Sroda anno Domini M.CC. sexagesimo primo, in die Theodori martyris.

Sduncow, *Zduny.* Novum forum, *Neumarkt, czyli Środa na Szląsku.* Cescowo, *Cieszkowo, z niem. Kuschwitz.* Sdodcowo, *Działkowo, z niem. Tschunkawe.* Sroda, *Środa.*

Nr. 603. (399a.)

Bolezlaus dux Polonie 1262 s. d., in Dlusko; concedit villis ecclesiae s. Iohannis de Wrocław, in et circa castellaniam de Starygród sitis, libertatem villarum et hominum Gneznensis et Poznaniensis ecclesiarum.

Pergam. orygin. Na pasmie nici jedwabn. zielon. przywieszona pieczęć Bolesława księcia; (pieczęć XVI.)

Wrocław. Archiv. Capituli L, 8.

In nomine Domini amen. Quia sicut lapsus temporis et obliviosa rerum vetustas paulatim consumunt omnia, negociorum gestorum omnibus tollendo memoriam, sic et usu literarum servato edite scripture cuncta reparare videntur, dum eorum que a quibuslibet facta fuerint, certissime fiunt note. Quapropter nos Bolezlaus Dei gracia dux Polonie, volentes factum nostrum esse memorabile inter omnes instantis temporis et futuri, nostro presenti scripto in omnium publicam deferimus nocionem, quod ad peticionem venerabilis patris domini Thome episcopi Vratislaviensis et tocius sui Capituli, concessimus et dedimus villis omnibus beati Iohannis, que in districtu castri Starigrod et circa sunt locate vel etiam locabuntur, illam libertatem, quam in nostro ducatu tocius Polonie habent ville et homines Gneznensis et Poznaniensis ecclesie, cum omnibus eis que ad ecclesiarum earumdem libertatem pertinere noscuntur, a nostrorum iurisdiccione castellanorum eos penitus eximentes. In cuius rei testimonium, presentem literam impressione nostri sigilli fecimus confirmari. Acta sunt hec in Dlusko anno Domini M.CC.LX.II, presentibus nostris nobilibus: Nicolao filio Predpelci, Nicolao filio Selinoze, Bozeta filio Iohannis Richardi, Ianusio filio Petri, item Boznone filio Ianusii, item Vincencio filio Thomizlavi, domino Petro canonico Gneznensi, domino Petro plebano de Costrin, domino Mathia notario, domino Iona clerico, et aliis multis.

Ville b. Iohannis, *t. j. kościoła katedralnego w Wrocławiu.* Starigrod, *Starygród.* Dlusko, *Dłusk.* Costrin, *Kostrzyn.*

Nr. 604. (405a.)

Volimirus ecclesie Wladislaviens. episcopus 1263 Apr. 28, in Sene Wladislavia; decimas de villis Kłobia et Choceń monasterio de Ląd restituit.

Włocławek. Liber privileg. monasterii Ląd, pag. 179.

Volimirus Dei gratia ecclesie Wladislaviensis episcopus, universis Christi fidelibus in sua diocesi constitutis salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cum iuri sit consonum et rationi, quod ea que aguntur in tempore legitimorum munimine instrumentorum roborentur, universitati vestre tenore presentium duximus declarandum, quod nos ob reverentiam omnipotentis Dei et beate Marie virginis, de consensu Fratrum nostrorum, decimas, videlicet de Kloba et Choten, totius territorii quod est fratrum Ordinis Cisterciensis in Lenda, predictis fratribus et eorum Ordini quas prius

habuerunt restituimus, damus et resignamus in perpetuum possidendas; et ne aliquibus de huiusmodi resignatione, restitutione seu donatione dubium in posterum oriatur, presens scriptum nostri et Capituli sigillorum munimine fecimus roborari. Actum et datum in Sene Wladislavia anno Domini M.CC.LXIII in die sancti Vitalis martyris, presentibus: Albero decano, magistro Venceslao scholastico, Stephano archidiacono, Sendislao custode Wladislaviensibus; Rodgero decano, Liphardo archidiacono Crusviciensibus; Andrea, Benedicto, Nicolao, Vito et Vilhelmo, canonicis Wladislaviensibus, et aliis quam pluribus fide dignis.

Wladislaviensis, *de Włocławek*. Kloba, *Kłobia*. Choten, *Choceń*. Lenda, *Ląd*. Senex Wladislavia, *Włocławek*.

Nr. 605. (412a.)

Boleslaus dux Maioris Polonie 1264 Aug. 16, in Kalis; declarat statuta et privilegia, Iudaeis a se concessa.

Transsumpt potwierdzony przez: Kazimirus rex Polonie etc. 1334 Oct. 9, Cracovie.

I. V. Bandtkie, Jus Polonicum, p. 2. (*Ze Statutów Łaskiego*).

In nomine Domini amen. Humani generis actiones, nisi vigeant voce testium aut testimonio literarum, celeriter transeunt et prorsus a memoria relabuntur. Igitur nos Boleslaus Dei gracia dux Maioris Polonie notum facimus tam presentibus quam futuris ad quorum notitiam devenerit presens scriptum, quod Iudeis nostris per totum districtum nostri dominii constitutis, eorum statuta et privilegia que a nobis obtinuerunt, de verbo ad verbum, prout in sequenti serie continentur, taliter duximus declaranda.

Primum quidem statuimus, ut pro pecunia aut pro quacunque re mobili vel immobili, aut in causa criminali que tangit personam aut res Iudei, nullus Christianus contra Iudeum, nisi cum Christiano et Iudeo, in testimonium admittatur.

2. Item, si Christianus Iudeum impedit, asserens quod ei pignora sua obligaverit, et Iudeus diffitetur, et Christianus Iudei simplicibus verbis fidem noluerit adhibere, Iudeus iurando super equivalente sibi oblato suam intentionem probabit et transeat absolutus.

3. Si Christianus obligaverit Iudeo pignus, asserens quod Iudeo pro minori pecunia obligaverit quam Iudeus confiteatur, iurabit Iudeus super pignore sibi obligato, et quod iuramento probaverit, Christianus ei solvere non recuset.

4. Item, si Iudeus Christiano testibus non assumptis dicat, se pignus mutuasse, et ille negaverit, super hoc Christianus solius sui iuramento se expurget.

5. Iudeus recipere poterit nomine pignorum omnia que sibi fuerint oblata, quocunque nomine vocentur, nulla de his inquisitione facta: exceptis vestibus sanguinolentis et madefactis, et sacris vestibus, quas Iudeus nullatenus acceptabit.

6. Item, si Christianus impediret Iudeum, quia pignus quod Iudeus habet, ei furtim vel per violenciam sit ablatum, Iudeus iuret super illo pignore: quod cum recepit, furtim ablatum vel raptim ignoraverit: hoc in suo iuramento implicito, quanto sit pignus huiusmodi obligatum probabit, et sic expurgacione facta, Christianus sortem et usuram ei persolvet que medio tempore accreverunt.

7. Si autem Iudeus per casum incendii, aut per furtum, aut per vim, res suas cum oblatis sibi pignoribus amiserit, et hoc constiterit, et Christianus qui hoc obligaverat nichilominus eum impetit, Iudeus iuramento se proprio absolvet.

8. Item, si Iudei inter se de facto discordiam moverint aut guerram, iudex civitatis nostre nullam iurisdicionem sibi vindicet in eosdem, sed nos tantummodo aut noster palatinus vel eius iudex iudicium exercebit. Si autem reatus vergit in personam, nobis tantummodo hic casus reservabitur iudicandus.

9. Item, si Christianus Iudeo vulnus qualitercunque inflixerit, reus nobis et nostro palatino penam solvat, secundum quod nostram graciam poterit invenire, nostre camere deferendam; et vulnerato satisfaciat pro curatione vulnerum et expensis, ut iura terre nostre requirunt et exigunt.

10. Item, si Christianus Iudeum occiderit, digno iudicio puniatur, et omnia rei mobilia et immobilia in nostram transeant potestatem.

11. Item, si Christianus Iudeum ceciderit, ita tamen ut sanguinem non effundat, pena per palatinum requiretur secundum terre nostre consuetudinem ab eodem; et percusso seu leso satisfaciat, quemadmodum in terra nostra est consuetum. Si vero pecuniam habere non poterit, idem pro commisso sicut iustum fuerit punietur.

12. Ubicumque Iudeus dominium nostrum transierit, nullus ei aliquod impedimentum prestabit nec molestiam inferat aut gravamen. Sed si aliquas merces aut aliquas res duxerit, muta debent ex eis provenire per omnia mutarum loca; et sic quoque ipse Iudeus nonnisi debitam solvat mutam, quam solveret unus civium civitatis illius, in qua Iudeus eo tempore commoratur.

13. Si Iudei iuxta suam consuetudinem aliquem ex mortuis suis aut de civitate in civitatem, aut de provincia in provinciam, aut de una terra in aliam deduxerint, nichil ab eis per mutarios nostros volumus extorqueri. Si autem mutarius aliquid extorserit, ut predo volumus puniatur.

14. Item, si Christianus cimeterium eorum quocunque modo dissipaverit aut invaserit, volumus ut secundum terre nostre consuetudinem et iura graviter puniatur, et omnia sua nostre camere proveniant, quocumque nomine nuncupentur.

15. Si aliquis temerarie iactaverit super scholas Iudeorum, nostro palatino duo talenta piperis volumus ut solvat.

16. Item, si Iudeus iudici suo in pena pecuniaria que vandil dicitur reus inventus fuerit, penam talenti piperis que ab antiquo est imposita solvat eidem.

17. Si Iudeus per edictum sui iudicis vocatur ad iudicium, et primo et secundo non venerit, pro utraque vice penam que consueta est ab antiquo persolvat. Si ad tercium edictum non venerit, penam que sequitur solvat iudici memorato.

18. Item, si Iudeus Iudeum vulneraverit, penam iudici suo secundum terre nostre consuetudinem solvere non recuset.

19. Statuimus, quod nullus Iudeus iuret super rodale ipsorum, nisi sit pro magnis causis, que se extendunt usque ad L. marcas argenti, vel sit ad nostram presenciam evocatus. Pro minoribus vero causis, iurare debet ante scholas, ante ostium dicte schole.

20. Si Iudeus clam fuerit interfectus, et per testimonium contestari non possit is qui eum interemit, si post inquisitionem factam aliquem suspectum habere ceperint Iudei, nos Iudeis contra suspectum Iudei occisorem patrocinium iusticie adhibebimus, iure mediante rei.

21. Item, si Christiani alicui Iudeo manum iniecerint violentam, secundum quod ius terre nostre exegerit punientur.

22. Item, iudex Iudeorum nullam causam ortam inter Iudeos in iudicium deducat, nisi fuerit per querimoniam invitatus. Item, Iudei circa scholas, ¡vel ubi elegerint, debent iudicari.

23. Item, si a Iudeo Christianus pignus suum absolverit ita, quod usuras non persolverit, easdem si infra mensem non dederit, illis usuris accrescant usure.

24. Item, nullum volumus in domo Iudei hospitari.

25. Si Iudeus super possessiones aut literas bonorum immobilium pecuniam mutuaverit, id quoque ille cuius res est probaverit, nos Iudeo et pecunias et literarum pignus abiudicari statuimus.

26. Item, si aliquis vel aliqua puerum Iudeis abduxerit, volumus condemnetur ut fur.

27. Item, si Iudeus receperit a Christiano pignus et per spacium anni tenuerit, si pignoris valor mutuatam pecuniam non excesserit, Iudeus iudici suo pignus demonstrabit; si vero pignus bonum non fuerit, palatino nostro vel suo iudici ostendet, vel postea vendendi habebit libertatem, si idem pignus, antequam annus transierit, suo iudici demonstrabit. Si quidem pignus apud Iudeum diem et annum remanserit, nulli super hoc postea respondebit.

28. Volumus, ut nullus Iudeum super solucione pignorum in suo feriato die audeat coarctare.

29. Item, quicunque Christianus per vim abstulerit pignus suum a Iudeo, aut violentiam in domo sua exercuerit, ut dissipator nostre camere graviter puniatur.

30. Item, contra Iudeum nonnisi in scholis, vel ubi iudicantur omnes Iudei, in iudicio procedatur; exceptis nobis et nostro palatino, qui eos possunt ad nostram presenciam evocare.

31. Iuxta constitutiones Pape in nomine nostri patris sancti districtius prohibemus, ne de cetero Iudei singuli in nostro dominio constituti debeant inculpari, quod humano utantur sanguine, cum iuxta preceptum Legis, ab omni prorsus sanguine se Iudei contineant universi. Sed si aliquis Iudeus de occisione alicuius pueri Christiani per Christianum fuerit inculpatus, tribus Christianis et totidem Iudeis convinci debet; et postquam convictus fuerit, tunc ipse Iudeus tantummodo pena que sequitur puniatur crimine pro commisso. Si vero ipsum testes supradicti et sua innocencia expurgabit, penam Christianus, quam Iudeus pati debuerat, pro calumnia non immerito sustinebit.

32. Item statuimus, ut quitquid Iudeus mutuavit, sive aurum fuerit, denarii, sive argentum, idem sibi solvi vel reddi debet cum usura debita que accrevit.

33. Volumus, ut Iudei equos qualescunque, generaliter omnes, manifeste atque in luce diuturna pro pignore recipiant. Si autem aliquis equus apud Iudeum furatus, per Christianum aliquem inveniretur, Iudeus se iuramento proprio expurgabit dicens: quia eundem equum manifeste et in die pro tali quam dedit pecunia impignoratum habuit, et credebat non furatum.

34. Item inchibemus, ut monetarii in nostro dominio constituti, Iudeos cum falsis denariis vel rebus aliis, soli absque nostro nuncio vel nostri palatini seu absque civibus honestis, quoquo modo detinere vel capere non presumant.

35. Statuimus, quod si Iudeus aliquis compulsus nimia necessitate noctis tempore clamaverit, et si vicini Christiani prestare non curaverint auxilium opportunum, nec venerint ad clamorem, quilibet vicinus suus Christianus triginta solidos teneatur.

36. Statuimus eciam, ut Iudei vendant omnia libere et emant, panem tangant, similiter ut Christiani; prochibentes vero, penam nostro palatino pro eo solvere tenebuntur.

Et ut omnia que premissa sunt perpetue robur obtineant firmitatis, presens instrumentum cum testium annotatione ipsis pro cautela dedimus, cum sigilli nostri munimine roboratum. Huius vero rei testes sunt: comes Archamboldus palatinus Kalisiensis, comes Simon castellanus Gneznensis; comes Iohannes Kalisiensis, comes Mathias castellanus Lendensis, comes Cechozlaus pincerna Kalisiensis, comes Derslaus venator Lendensis, cum aliis quam pluribus baronibus terre nostre. Actum in civitate Kalis in crastino Assumpcionis beate Marie virginis, anno Domini M.CC.LXIV, octavo (sic) Kalendas Septembris.

Lendensis, *de Lqd.*

Nr. 606. (419a.)

Bolezlaus filius Vlodizlai dux Polonie 1266 Aug. 5, in Poznan; commutat villas Zduny et Dziadkowo, quas iure Theutonico locari concedit, cum villa ecclesiae de Wrocław dicta Murzynow.

Wrocław. Archiv. Capituli. Liber niger pag. 441.

In nomine Domini amen. Nos Bolezlaus filius Vlodizlai, Dei gracia dux Polonie, ex consensu nostro et beneplacito baronum nostrorum et eorum consilio ex una parte, ex altera vero concurrente ad hoc consensu venerabilis patris Thome Wratislaviensis episcopi et sui Capituli, talem inter nos commutacionem fecimus, pro nobis et nostris perpetuo successoribus observandam (sic). Quod videlicet villa Murinow, que ab omnibus retroactis temporibus sancto Iohanni et ecclesie Wratislaviensi spectaverat, transiret cum dominio et proprietate sua ad dominium et ducatum nostrum. Nos vero vice versa contulimus ei et ecclesie Wratislaviensi villas nostras sibi viciniores, sitas circa limites nostri ducatus versus Milithz, quarum una vocatur Zdunki alia vero Zdatkovo, que sunt eciam contermine aliis villis sancti Iohannis et ecclesie Wratislaviensis. Ceterum, nos a sancto Iohanne meritum sperantes et graciam, prefatis villis, cum eciam pater noster felicis recordacionis dux Wladizlavus hereditati predicte Murinow bonas et utiles quondam donaverit libertates, talem pro futuris temporibus concedimus libertatem, ut videlicet ambe predicte ville locari possint iure Theutonico. Excepimus eciam ipsas ab omnibus servitutibus que consuete sunt fieri in iure Polonico, scilicet a prevod et povoz et stroza, et a potestate castellanorum et a camerariorum et a iudiciis eorumdem, et ab aliis servitutibus que possent videri contrarie iuri Theutonico; salvo iure ducali, in quo nobis hoc reservamus, quod ubi agendum erit de causis sanguinis, videlicet amissione membri vel capitis, in talibus causis per iudicem domini episcopi Wratislaviensis presentabitur nobis fideliter tercia pars placationum, una ad dominum episcopum, et tercia ad suum iudicem pertinente. Ut autem hec permutacio et donacio libertatum inviolabilis et inconcussa permaneat, presentem literam nostri sigilli munimine roboramus. Acta sunt hec anno Domini M.CC.LXVI in Poznan in die beati Dominici, in presencia baronum nostrorum, quorum hec sunt nomina: Bozeta iudex, Martinus castellanus de Cibansim, Nicolaus

subcamerarius Poznaniensis, Rozko subcamerarius Kaliziensis, Conradus prepositus Gneznensis, Mathias notarius curie nostre.

Murinow, *Murzynow*. Milithz, *Milicz*. Zdunki, *Zduny*. Zdatkovo, *Dziadkowo*, *z niemiecka Tschunkawe*. Cibansim, *Zbąszyń*.

Nr. 607. (429a.)

Nicolaus episcopus Poznaniens. 1267 Nov. 1, in Crobe; protestatur, se a Capitulo ecclesiae de Wrocław recepisse ad tempus vitae suae villam Widawa; pro cautela vero integrae restitutionis dotis eiusdem villae, hereditatem suam Gawrony Capitulo praedicto obligat.

Wrocław. Archiv. Capituli. Liber niger pag. 450.

In nomine Domini amen. Ego Nicolaus Dei gracia episcopus Poznaniensis notum facio omnibus presentibus et futuris, quod a reverendis dominis magistro P. preposito, N. decano et toto Capitulo ecclesie Wratislaviensis, de ipsorum pura et mera liberalitate et gracia recepi villam ipsorum nomine Vidavam sive Polaninovici, temporibus vite mee quo ad utilitatem et usufructum possidendam, nullum ius habens nec in posterum habiturus in ipsius ville proprietate, nec pro me nec meis fratribus sive successoribus. Qui eciam fratres mei nullum ius habebunt eciam regendi sive procurandi eandem villam, nec aliquid de ea auferendi, sive hominibus in tempora (sic) manentibus aliquid percipiendi (sic), de facto vel de iure; sed ego eam regam per bonum et idoneum procuratorem. Quam villam taliter recipio dotatam sive informatam. Accipio siquidem cum eadem villa ducentas oves, unamquamque earum pro dimidio fertone boni argenti estimatam; et duodecim boves, estimatos pro novem marcis argenti; et quatuor vaccas, valentes duas marcas argenti; et duo iumenta, ad trium marcarum argenti estimacionem; nec non viginti duos porcos et sues, unamquamque valentem quatuor scotos argenti; viginti ancas, triginta gallinas, et tres gallos, et centum mensuras inter siliginem et triticum ad hyemalia seminatas, et totidem pro estivalibus seminibus. Pro dicte autem ville et eius dotis utilitate, debeo dare singulis annis decem lapides cere ecclesie prenominate, quinque videlicet in festo beate Lucie, et quinque in festo sancti Viti; quos lapides cere si in predictis diebus non dedero, habent prefati prepositus, decanus et Capitulum, ius et auctoritatem eandem villam cum omnibus supradictis michi auferendi, nisi iusta et necessaria causa pro tempore me excusaret. Ne autem, cum sepefata villa ad dictum Capitulum redierit, dos aliquo casu negligencie deperdita in ea non reperiatur, pro restauracione deperditorum ipsi Capitulo de voluntate fratrum meorum, Bronizlai, Theodorici, villam nostram Gavroni ipsi Capitulo obligo, ita quod ipsius nuncius, sine quavis difficultate, sua propria auctoritate possit eam ingredi, possidere et retinere tamdiu, donec per me vel fratres meos, sive eorum heredes vel successores, universa de dote, vel eciam tota dos deperdita fuerit ex integro restaurata. In omnium autem supradictorum robur et memoriam, presentem literam prenominato Capitulo sub sigillis, meo et dictorum fratrum meorum, duxi transmittendam. Datum in Crobe Kalendas Novembris, anno Domini M.CC.LX septimo, presentibus: domino

[illegible]

Iohanne archidiacono Poznaniensi, Gotfalco custode, Alberto canonico eiusdem ecclesie, Syffrido canonico Gneznensi, Victore archidiacono de Chirnesk, et aliis pluribus.

Vidava, seu Polaninovici, *dziś z niemiecka Weyda.* Gavroni, *Gawrony.* Croba, *Krobia.* Chirnesk, *Czersk.*

Nr. 608. (437a.)

Zemomislaus dux Cuyavie 1268 s. d., in Crusvicia; ecclesias de Włocławek et Kruszwica amplissimis libertatibus munit.

Transsumpt potwierdzony przez: Boleslaus dux Polonie 1269 Sept. 1, in Crusvicia.

Włocławek. Archiv. Capituli. Liber privileg. fol. 62v.

Zemomislaus Dei gracia dux Cuyavie, universis sancte matris Ecclesie fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in eo qui est omnium vera salus. Universitati vestre tenore presencium notum esse volumus, quod nos ob reverenciam Dei et beate Marie virginis venerabili patri domino Volimiro Wladislaviensi episcopo, nec non honorabilibus viris, prepositis, decanis, et aliis prelatis omnibusque canonicis predicte et Crusviciensis ecclesiarum ac eorum successoribus, eorundem servicia que nobis multocies et utiliter impenderunt respicientes, talem in perpetuum pure et liberaliter dedimus libertatem: videlicet quod omnes villas, antiquas et novas, cum suis pertinenciis pro voluntate sua locent iure Theutonico sive Polonico; ita quod omnes incole et inhabitatores villarum et locorum predictorum liberi sint penitusque immunes ab omnibus collectis et gravacionibus et servitutibus, quocunque nomine censeantur, nec per nos et per nostros iudices citabuntur vel iudicabuntur, et si citati fuerint, minime comparebunt; sed omnino dominorum suorum et scultetorum seu procuratorum eorum, in omnibus causis capitalibus et minutis, parebunt iudiciis et mandatis. Predicti eciam, episcopus, prelati et canonici, in omnibus et singulis fundis predictarum villarum et possessionum civitates et alias municiones edificabunt libere sine qualibet contradictione, ubi et quando eis videbitur expedire. Et ut breviter in hys omnibus Deo et beate Marie virgini purum obsequium prestare valeamus, memoratis dominis, episcopo, prelatis et canonicis, in prefatis villis, possessionibus et fundis, que nunc in nostro dominio, quod in presenti habemus et in posterum Domino concedente habebimus, possident vel possidebunt in futuro, omne ius, quod nobis competit in presenti vel competere nostris successoribus posset in posterum, damus et resignamus, nichil in eisdem nobis iuris reservantes: eo solo excepto, quod de viginti mansis Flammingis, unum hominem armatum ad defensionem terre Cuyaviensis tantum nobis mittere tenebuntur; qui si venire neglexerit, marcam argenti usualis nobis solvet si sue absencie sufficientem non ostenderit causam, quam scultetus loci illius, si fuerit, et si non fuerit, discuciet procurator. In sepedictis vero locis moneta nostra curret usualis, verumtamen monetarius noster nullam ibidem cohercionem habebit. Sed si quis inventus fuerit falsam habens monetam, per scoltetum loci illius causa iudicabitur ad querelam nostri nuncii. Iudicatum quoque inter nos et dominum episcopum per medium dividetur. Homines eciam, qui ad benepla-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[redacted]

citum domini episcopi, prelatorum et canonicorum, in sepedictis villis et locis fuerint locati, per terras nostras et aquas cum mercimoniis transeuntes, ab omni theolonei exactione liberi erunt penitus et immunes; non obstantibus privilegiis omnibus et instrumentis patris nostri et aliorum progenitorum nostrorum, sub eorum sigillis confectis, que omnia et singula in presentibus revocamus, et decernimus non obtinere roboris firmitatem; non obstantibus eciam statutis et constitutionibus, factis vel per nos et nostros successores in posterum faciendis, et non obstantibus omnibus auxiliis iuris canonici et regalis, per que presentis facti donacio et renunciacio valeat impediri. Actum in Crusvicia anno Domini M.CC.LXVIII, presentibus: domino Samborio duce Pomoranie, Matheo palatino, Virchoslao iudice curie nostre, Petro thesaurario, Pribislao et Paulo fratribus dictis Weszelicz, Rafaele curie nostre cancellario; Vito preposito, Alberto decano, Stephano archidiacono, Sandislao custode, Wladislaviensibus; Iohanne preposito, Goslao decano, Liphardo archidiacono, Alberto cantore, Venceslao, Michaele, Alberto, Iohanne, Crusviciensibus, et aliis quam plurimis fide dignis.

Wladislaviensis, *de Włocławek.*

Nr. 609. (439a.)

Boleslaus dux Polonie 1269 Sept. 1, in Crusfica; confirmat privilegia, quae dederat ecclesiis de Włocławek et Kruszwica **Zemomislaus dux Cuyavie 1268 s. d., in Crusvicia.**

Włocławek. Archiv. Capituli. Liber privileg. fol. 62v.

Boleslaus Dei gracia dux Polonie, universis sancte matris Ecclesie fidelibus presens scriptum audituris seu visuris salutem in eo, qui est omnium vera salus. Universitati vestre tenore presencium notum esse volumus, quod cum in plena essemus castri et iuris castellanie Crusficiensis possessione, venerabilis pater dominus W. Wladislaviensis ecclesie episcopus suique prelati communiter et canonici ad nos accedentes, humiliter nobis ac devote supplicaverunt, ut nos omnes Wladislaviensis et Crusficiensis ecclesiarum villarum et locorum eorundem libertates, a predictarum ecclesiarum fundacione ab omnibus et singulis ducibus, videlicet terre Cuyavie heredibus seu possessoribus, obtentas, ratas habere dignaremur ac nostris instrumentis publicis confirmare. Nos vero eorum humilibus et devotis precibus alacriter annuere cupientes, ad honorem omnipotentis Dei et beate virginis Marie et ob reverenciam beati Petri apostoli, inspectis predictorum, domini episcopi prelatorumque et canonicorum, magnis serviciis nobis affectuose impensis, omnes et singulas libertates, a quibuslibet ducibus, heredibus scilicet terre Cuyavie seu possessoribus, eisdem et ecclesiis prenominatis datas, ratas et gratas habemus, eas tenore presencium confirmamus. Et ne de illustris principis Zemomislai ducis Cuyavie fratris nostri libertatibus, domino episcopo, prelatis et canonicis ecclesiisque quoque memoratis datis et assignatis, aliquibus in posterum propter eius iuventutem dubium vel ambiguitas oriatur, eas specialiter confirmamus, tenorem privilegii ab ipso dati supradicti de verbo ad verbum presentibus inserentes in hec verba. *(Sequitur diploma Nr. 608.)*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Ut autem hec omnia et singula perpetuam roboris obtineant firmitatem, presentem litteram nostri sigilli munimine duximus roborandam. In cuius rei testimonium presens scriptum nostri munimine sigilli fecimus roborari. Actum in Crusfica anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono, Kalendas Septembris, presentibus: magistro Petro nostro cancellario, Nicolao canonico, comite Beniamin castellano in Medzirzecz et fratribus suis: Andrea iudice nostro et Vincencio; Iohanne preposito, Liphardo archidiacono, Alberto cantore ecclesie Crusficiensis, et aliis quam pluribus fide dignis.

Wladislaviensis, *de Włocławek.* Medzirzecz, *Międzyrzecz.*

Nr. 610. (439b.)

Boleslaus dux Polonie 1269 s. d. et l.; promittit, se privilegia, ecclesiis de Włocławek et Kruszwica a Kazimiro et Zemomislao ducibus Cuiaviae data, observaturum.

Włocławek. Archiv. Capituli, Lib. privileg. fol. 4.

Noverint universi presentem paginam inspecturi, quod nos Boleslaus Dei gracia dux Polonie, ob amorem Dei et reverenciam beate Marie virginis et inspectis multis serviciis que nobis venerabilis pater dominus Volimirus Vladislaviensis episcopus sepius exhibuit, omnes libertates et privilegia, que illustrissimus princeps patruus noster felicis recordacionis dominus dux Kazimirus, et filius suus dominus dux Zemomislaus frater noster Vladislaviensi et Crusviciensi ecclesie contulerunt, prout in litteris super hiis confectis continetur, data fide promisimus inviolabiliter observare, et ab omnibus nostris successoribus in perpetuum decernimus observari. Predictas igitur libertates et privilegia ratificamus, approbamus et presentibus confirmamus. Ut autem hec nostra confirmatio perpetuum robur firmitatis obtineat, hanc paginam nostri sigilli munimine fecimus roborari. Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono.

Vladislaviensis, *de Włocławek.*

Nr. 611. (443a.)

Thomas Wratislaviens. episcopus 1271 Iun. 28, in Wratizlav; scribit Iacobo archiepiscopo Gneznensi, ut quosdam milites, qui una cum exercitu Boleslai ducis Cracoviae bona episcopalia de Wrocław et de Lubusz ecclesiarum spoliaverant, moneat, ut pro damnis illatis, ecclesiis praedictis ad certum terminum satisfaciant.

Stenzel, Bisthums-Urkund. p. 37.

Reverendo in Christo patri ac domino I. sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopo, Thomas Dei gracia Wratislaviensis episcopus paratum obsequium cum omni reverencia et honore. Non sine dolore ingenti vestre paternitati duximus intiman-

dum, quod dominus Boleslaus dux Cracovie, Dei timore postposito iniquo ductus consilio, cum innumeris Ruthenorum, Comanorum et Lituanorum milibus Slesiam invadendo hostiliter, villas nostras et Lubucensis ecclesie aliarumque ecclesiarum nostre dyocesis spoliavit et incendio devastavit, et quod magno dolore referimus, ecclesiarum hostiis effractis et omnibus inde miserabiliter abstractis, earum emmunitate penitus violata per ipsum ducem et suos, in nostra dyocesi multi sunt occisi, plures vulnerati, et innumerabiles Christi fideles, iuvenes et virgines, senes cum iunioribus, in captivitatem miserabiliter sunt abducti, non parcentes sexui vel etati. Quare pater reverende devocione vobis omnimoda supplicamus, quatenus prefatum ducem et suos barones, nec non dominum Conradum ducem Mazovie cum suis, qui cum prefato duce Cracovie et Rutenorum, Comanorum et Lituanorum exercitu affuerint, ipsis consilium, favorem, auxilium in personis propriis impendendo, maxime Varsonem castellanum, Petrum palatinum Cracoviensem, Sandomiriensem (sic), Dobeslaum de Vislicia, Lassotam de Sandec, Smilonem de Brescho, Iacobum de Lublin, Boxam de Malogost castellanos; Nicolaum filium Mzuy, Mirozlaum iudicem curie, Zegotam pincernam Cracoviensem, Pelzcam filium Michelis, Bogufalum minorem, Laurencium, Sixtum castellanum de Ruda; Rosconem, Mrocotam subcamerarios; Andream iudicem et fratrem eius Venceslaum, Stralconem iudicem de Borowno, duos filios Ianconis de Calis, Seceh palatinum de Siraz, Sancivoyum pincernam, Predvoyum castellanum Siracenses; Zavisam, Martinum de Cbansin, Scedricum de Crivin, Sementam de Dupin, Iaracium de Srem, Nicolaum de Carncow cum fratre Bozenta, castellanos; Martinum Pribislaviz, Cechozlaum pincernam, Cevleyum de Ponez, Cevleyum Gabrielis, Meneram palatinum (sic) Meneram de Cirasch, Michaelem thesaurarium: ut ante instans proxime festum Assumpcionis beate Marie virginis, nobis et ecclesie nostre, necnon et aliis ecclesiis quas sic offenderunt atrociter sine culpa, de dampnis et iniuriis illatis satisfaciant: commonitos habeatis; alioquin sentencias quas in ipsos rite tulerimus ex officii nostri debito, vel si quas ex ipso facto incurrerunt, in vestra dyocesi vobis placeat publicare et publicari per alios faciatis; ne, quod absit, tam enorme factum, in contemptum ecclesiastice libertatis perpetratum, impunitum remaneat, et ceteri similia facere non formident. Datum in Wratizlav in vigilia apostolorum sanctorum Petri et Pauli, anno Domini M.CC.LXX primo.

Lubucensis, *de Lubusz, z niemiecka Lebus.* Vislicia, *Wiślica.* Sandec, *Sącz.* Brescho, *Brzesk.* Malogost, *Małogoszcz.* Ruda, *Ruda.* Borowno, *Borowno.* Siraz, *Sieradz.* Cbansin, *Zbąszyń.* Crivin, *Krzywin.* Dupin, *Dupin.* Srem, *Śrem.* Carncow, *Czarnków.* Ponez, *Poniec.* Cirasch, *Czersk.*

Nr. 612. (443b.)

Thomas Wratislaviens. episcopus (1271 Iun. 28); Nicolao episcopo Poznaniensi scribit, ut quosdam milites ipsius dioecesis, qui cum exercitu Boleslai ducis Cracoviae villas ecclesiae de Wrocław et de Lubusz spoliaverant, ad satisfaciendum pro damnis illatis infra certum terminum compellat.

Stenzel. Urkunden d. Bisthums Breslau, pag. 39.

Venerabili in Christo patri domino N. episcopo Poznaniensi, Thomas Dei gracia Wratislaviensis episcop. (*etc. ut in praecedenti*). Non sine ingenti dolore vestre

paternitati duximus intimandum, quod dominus Boleslaus dux Cracoviensis, Dei timore postposito et iniquo ductus consilio, cum innumeris Ruthenorum, Comanorum et Lituanorum milibus Sleziam invadendo hostiliter, villas nostras et Lubucensis ecclesie aliarumque ecclesiarum nostrė dyocesis spoliavit et incendio devastavit (*etc. ut in praecedenti*). Et quoniam quidam ex militibus vestre dyocesis cum prefato duce et Ruthenorum, Comanorum et Lituanorum exercitu affuerint, ipsis consilium, favorem et auxilium impendendo personis propriis; qui licet plures fuerint numero, hos tamen nominatim vobis in scriptis exprimimus: Andreas iudex, Wenceslaus frater eius castellanus de Starigrodi, Martinus de Cebansin, Scedricus de Crivin, Sementa de Dupin, Iaracius de Srem, castellani; Cechozlaus pincerna, Martinus Pribizlaviz, Cevleus de Ponez, item Cevleus filius Gabrielis, Nicolaus castellanus de Carncow cum fratre Bocenta. Quare pater reverende devocione vobis (*etc. ut in praecedenti*) quatenus predictos commonitos habeatis, ut ante diem Assumpcionis beate Marie virginis, nobis et ecclesie nostre satisfaciant de dampnis et iniuriis irrogatis; alioquin (*etc. ut in praecedenti diplomate.*)

Lubucensis, *de Lubusz.* Starigrodi, *Starygród.* Cebansin, *Zbąszyń.* Crivin, *Krzywin.* Dupin, *Dupin.* Srem, *Śrem.* Ponez, *Poniec.* Carncow, *Czarnków.*

Nr. 613. (443c.)

Thomas episcopus Wratislaviens. s. d. et l. (1271 s. d.); scribit Iacobo archiepiscopo Gneznensi, ut quosdam milites, qui bona ecclesiae de Wrocław circa oppidum Milicz iacentia spoliaverant, ad satisfaciendum pro damnis infra certum terminum inducat.

Stenzel. Urkunden des Bisthums Breslau, pag. 40.

Reverendo in Christo patri ac domino I. archiepiscopo Gneznensi, Th. episcopus Wratislaviensis (*etc. ut in Nr. 611*). Quemadmodum vestram nuper suppliciter rogavimus paternitatem, adhuc tenore presencium attencius rogamus, quatenus milites, qui villas ecclesie nostre circa Melicz spoliaverunt, commonitos habeatis, ut ante diem Assumpcionis beate Marie virginis, nobis et ecclesie de dampnis illatis et iniuriis satisfaciant condecenter; alioquin (*etc. ut in Nr. 611*). Nomina vero militum sunt qui villas ecclesie circa Melicz spoliarunt hec: Martinus Lis cum sua societate, Cechoslaus Coscelcoviz, Ianus, Petrus filius Vnei Cromolic, Bocenta filius palatini, Bozopaz filius Lutognevi, Zementa castellanus in Dupin, Andreas filius Borislai, Iohannes filius Sandivoii, Marcus filius Lutognevi, Tarchali Ovis, Stephanus filius Oracii, Stephanus filius Ostrovodii, Thomas Cobiliz, Nicolaus filius palatini, Sanciwy de Loda, Swantomir Boznovic, et alii multi eorum socii; item Iohannes de Slup, Dobeslaus filius Pancozlay, Slaventha de Neparth, Gabriel eciam de Neparth, Potrech filius Cevleii, et alii multi.

Dupin, *Dupin.* Tarchala, *przydomek rodowy, znachodzący się jeszcze w Wielkopolsce w XIV wieku.* Loda, *Łódź.* Slup, *Słupia.* Neparth, *Niepart.*

Nr. 614. (443d.)

Boleslaus dux Polonie et Cuyavie a. 1271 Aug. 8, in Wladislav; villam Korabniki ecclesiae de Włocławek confert.

Włocławek. Archiv. Capituli. Liber privileg. fol. 118.

In nomine Domini amen. Boleslaus Dei gracia dux Polonie et Cuyavie, universis Christi fidelibus hanc paginam inspecturis salutem in Domino. Universitati vestre notum facimus, quod ob reverenciam Dei et beate Marie virginis, inspectis multis fidelibus serviciis que nobis reverendus dominus Wolymirus Wladislaviensis ecclesie episcopus multociens exhibuit, ipsi et suis successoribus villam nostram que Korabnyki vulgariter nuncupatur, situatam iuxta Kobilrath et Slawsko in castellania Crusviciensi, conferimus in perpetuum possidendam, volentes ut eadem gaudeat libertate, qua cetere Wladislaviensis ecclesie antique ville gaudent. Et ut hec nostra donacio perpetuo inviolabilis perseveret, hanc paginam nostri sigilli munimine fecimus roborari. Actum et datum in Wladislav in die beati Cyriaci martyris, anno Domini M.CC.LXXI, presentibus: domino Petro nostro cancellario, Mathia palatino, Rosalio castellano de Iuni Wladislav, Alberto castellano de Bydgost, Troiano succamerario Cuyaviensi; magistro Nicolao phisico, Nicolao, magistro Henrico, canonicis Wladislaviensibus; Alberto cantore, Iacobo, canonicis Crusviciensibus, et aliis quam plurimis fide dignis.

Wladislaviensis, *de Włocławek.* Korabnyki, *osada znikła.* Kobilrath, *pewnie mylnie zam.* Kobilnich, *Kobylniki.* Slawsko, *Sławsk.* Iuvenis Wladislav, *Inowrocław.*

Nr. 615. (495a.)

Secundus Premisl dux Polonie 1280 Apr. 21—24, s. l.; dat Iohanni et Petro, dictis Dedz, civitatem Rogoźno, iure Theutonico locandam.

Biblioteka XX. Czartoryskich. Teki Naruszewicza IV Nr. 1. (Transsumpt oryginalny potwierdzony przez: Wladislaus rex Polonie etc. 1424 Iun. 28, Poznanie. *Z Archiwa Głównego w Warszawie).*

Dum vivit littera vivit et actio littere, cuius assercio nutrit memoriam et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premisl Dei gracia dux Polonie statum terre cupientes reformare nostre in melius, qui pro maxima parte est positus in deserto, dilectis nobis hospitibus, Iohanni et Petro dictis Dedz, nostram civitatem que Rogoszna vulgariter nuncupatur, Theutonico iure contulimus collocandam iuxta ius Poznaniense. Ratione autem locationis supradicte civitatis, ipsi eorumque successores sextum mansum liberum possideant perpetuo, pacifice et quiete, et tercium denarium iudicii de omni re. Possideant eciam sex macella carnium, et sex pistorum, et sex sutorum, et alia edificent pro utilitate civitatis, et balneum unum edificent, ubi eis et ipsorum successoribus videbitur expedire. In districtu autem civitatis iam dicte, in descensu fluvii qui Welma dicitur, ab opere ferri, quod nostrum est, quascunque utilitates processu temporis excogitare poterint, perpetuo cum suis successoribus possideant pacifice et quiete. Circa nostrum vero opus ferri, molendinum cum una rota edificent, liberum perpetuo obtinendum. In loco autem qui Czessel vocatur in vulgari,

quidquid volunt edificent tempore procedente. Locum autem qui Myedzilesse vocatur Polonice, damus civitati pro utilitate ipsius in perpetuo obtinendum. Volumus eciam, si aliquis servus militis capitur cum re furtiva, in civitate, vel in campo extra civitatem usque ad metas, quod nullus audeat iudicare, nisi nostri scolteti una cum procuratore nostro. In maiorem vero nostre civitatis emendacionem, damus super agris cultis et incultis quatuordecim annis libertatem. Cessante autem libertate, de quolibet manso solvant incole pro censu duodecim mensuras avene et pro decima duos scotos argenti usualis monete. Damus eciam ipsis pro pascuis duos mansos. Volumus eciam, quicunque utuntur de bonis predicte civitatis, tam in lignis quam in pascuis quam in aliis rebus, quod nullus audeat iudicare, nisi sculteti supradicti. In huius testimonium et cautelam, presentem paginam nostri sigilli munimine confirmamus presentibus hiis testibus: comite Boguslao castellano de Uscze, comite Iacobo castellano de Rogoszno. Acta sunt hec anno gracie Domini millesimo ducentesimo octuagesimo, et data infra festum Pasce per manus Thilonis notarii nostre curie.

Rogoszna, *Rogoźno.* Welma fluv., *Wełna rz.* Locus Czessel, *dziś młyn Cieśla nad rz. Wełna.* Locus Myedzilesse, *Międzylesie.* Uscze, *Ujście.*

Nr. 616. (552a.)

Jacobus archiepiscopus Gneznens. 1285 Jan. 17, apud Lanchiciam; apostolica Sede vacante a Cardinalibus petit, ut provinciae Polonae contra insolentiam militum, colonorum et religiosorum gentis Theutonicae, provinciam praedictam, maxime Silesiam invadentium, succurrant.

Stenzel. Bisthums Urkund. p. 151. (Z kopii).

Venerabilibus patribus dominis Bentevengo Albanensi et domino Ieronimo Prenestino episcopis, nec non domino Matheo sancte Marie in Porticu dyacono, Dei gracia cardinalibus, Iacobus eiusdem miseracione archiepiscopus Gneznensis etc. Cum terra Polonie Romane ecclesie specialiter sit subiecta, in cuius subieccionis indicium certa pensio de personis singulis in eadem degentibus persolvitur, que dicitur denarius sancti Petri, non immerito nos, tamquam speciales filii eiusdem ecclesie, ad vestre sanctitatis patrocinium, nostro nobis deficiente presidio, duximus cum pleniori fiducia recurrendum. Reverenciam quippe nosse vestre cupimus sanctitatis, quod gens Polonica, post conversionis sue tempora sub cura et dominio eiusdem sancte ecclesie pace fruendo continua, iura eiusdem ecclesie atque nostra persolvit semper fideliter et devote. Nunc vero, subintrante gente Theutunica et iam per multa loca Poloniam occupante, non tantum vestre sanctitati, verum eciam et nobis grave dispendium in nostris iuribus provenit atque dampnum. Romane quidem ecclesie dampnum provenit, quia dum fines Polonie per principes Theutonie occupantur, qui principes subsunt imperio, et sic fines occupati devolvuntur ad imperium, et ob hoc ecclesia Romana proprio dominio frustratur. Subintrantibus eciam tam militibus quam colonis Theutunicis in Poloniam, et occupantibus villas et alia loca que Poloni possederant, et exinde de singulis capitibus solvebant censum Romane ecclesie, videlicet denarium sancti Petri, quem ipsi Theutunici tam milites quam coloni penitus solvere contradicunt, et sic ecclesia Romana privatur similiter iure suo, et tandem omnino privabitur, nisi hiis per vestram sollerciam efficaciter

occurratur. Nobis vero, per eiusdem gentis Theutonice ingressum ecclesiastica libertas et iura nostra nunc adimuntur, devote per Polonos primitus observata; ymmo quedam penitus denegantur, sicut in solucione decimarum patet liquido, quas quidam eorum omnino non solvunt, quidam vero non iure terre consueto, sed iuxta primam consuetudinem gentis sue. Sed et alia mala per eiusdem gentis ingressum multiplicata sunt in terra, dum gens Polonica per eos opprimitur, despicitur, guerris concutitur, iuribus et consuetudinibus patrie laudabilibus privatur, noctis intempeste silencio in propriis commodis capitur, et quod hiis est deterius, ecclesiarum emunitas violatur et ecclesiastica censura per eosdem contempnitur et parvipenditur omnino. Et ut de aliis taceamus, hoc solum non sine dolore cordis referimus, quod et religiosi quidam gentis predicte perniciosis exemplis alios seducentes, primi sunt ad irrumpendum et enervandum omnino prelatorum sentencias et rigorem ecclesiastice discipline. Fratres siquidem Ordinis Minorum Theuthunici, eiectis terre Polonie filiis, non sine gravi tocius populi atque nostro scandalo provinciam scindentes Polonie, que per filios terre, fratres sui Ordinis, laudabiliter et honorifice recta fuit, nunc fecerunt et ordinaverunt Saxoniam nominari. Sed nec hiis contenti, domos novas in medio Polonorum nobis contradicentibus recipiunt, in conventibus ipsorum singulis, quos retinent, vix unum aut nullum omnino fratrem Polonum in sui medio sustinentes, cum per fratres indigenas et prelatis ecclesiarum debita reverencia sit exhibita, et consolacioni utriusque populi commodius et efficacius sit provisum. Nos igitur, ne de tantorum excessuum negligencia argui possimus et merito reprehendi, vestre paternitati querulando duximus deferendum, quod sepedicti fratres Theutunici de provincia Saxonie in medio Polonie positi se censentes, nos et sentencias nostras latas legittime vilipendunt pariter et contempnunt, et faciunt apud alios vilescere suis persuasionibus et perniciosis exemplis, sicut patet luce clarius in facto ecclesie Wratizlaviensis. Nam per venerabilem fratrem nostrum, eiusdem ecclesie episcopum, in plena Synodo provinciali propositum extitit coram nobis, quod videlicet iidem fratres Theutonici sentencias excommunicacionis et interdicti, latas legittime contra principem dicte civitatis et terre pro notoriis et manifestis ecclesie sue oppressionibus, aliis religiosis et secularibus easdem laudabiliter tenentibus, tenere non curant; ymmo eundem principem in errore suo contra Ecclesiam suis consiliis et persuasionibus retinent et subportant, communicantes eidem publice in cibo et potu ac divino officio, ymmo, quod hiis est deterius, coram ipso continue celebrantes, in tocius cleri et populi scandalum et nostrum ac ecclesiastice discipline contemptum, nec non et in suarum periculum animarum. Et quia predicti fratres Theutonici et alienacio provincie Polonice, huius presumpcionis temerarie ac contemptus prelatorum Polonie occasio sunt et causa, dominacioni vestre supplicamus unanimiter et instanter, quatenus attendentes Romane ecclesie dampnum ac nostrum et gentis nostre periculum sempiternum, Ecclesie nostre cadenti velitis pie succurrere, ordinantes per vestram misericordiam et mandantes, ut tantis excessibus efficaciter correctis, provincia Polonica ad statum debitum reformetur, et Polonia sicut prius, non Saxonia censeatur, ministroque Polonie sit subiecta; alioquin in gentis exterminium et ecclesiarum nostrarum evidens periculum cogemur flebilibus vocibus deplorare, nisi vestra gracia misericorditer et efficaciter hiis occurrat. Datum apud Lanchiciam XVI Kalendas Februarii post Synodum provincialem, anno Domini M.CC.LXXX quinto.

DODATKI I SPROSTOWANIA DO TOMU I.

Strona 4. *wiersz 8 od góry; ..* romnow, *u Bielowskiego i w Liście Helcla* Cromnow, *jest wieś Kromnow nad rz. Wisła, naprzeciw m. Czerwińsk.*

" 5. *Nr. 3. Objaśnienia;* Radzencze, *nie jest Rzadkwin, tylko osada znikła, przyległa niegdyś wsi również znikłéj Lubieszewo, leżała nad rz. Noteć pomiędzy jeziorami Bronisławskiém i Strzeleckiém.* Opatowo, *osada znikła, leżała pod m. Kruszwica, pomiędzy wsiami Sławsk a Bożejewice.*

" 7. *Nr. 5. List ten Paschalisa Papieża był podług Jaffego nie pisany do arcybiskupa Gnieźnieńskiego, tylko do biskupa z Spalatro. (Jaffé, 4851.)*

" 15. *Nr. 10; znajduje się także w równobrzmiącéj kopji w:* Włocławek, Liber privilegior. monasterii de Ląd, pag. 1.

" 16. *Nr. 10. Objaśnienia.* Morsk, *jest osada znikła pod m. Kazimierz.*

" 21. *Nr. 15. Objaśnienia; zam.* Velaov, *ma bydź* Velatov.

" 21. *Nr. 16; zamiast* Jan. 28, *ma bydź* Jan. 23.

" 23. *Nr. 18. W Archiwie Kapitulném Gnieźnieńskiém znalazł się drugi exemplarz tegoż dyplomatu, dosłownie z dwoma wymienionymi równobrzmiący, wyjąwszy końca, a to począwszy od słów:* Notum sit etc. *Nie okazuje on śladu pierwotnego opatrzenia pieczęcią, i zdaje się być nieco późniejszą kopją obu wzmiankowanych. Koniec brzmi w nim następnie:*

Notum sit omnibus hominibus, quod dux Bolezlaus frater domini Mesiconis contulit beato Petro willam nomine Manthev, comes Predzlavus pater Chebde contulit Glowicov, villam nomine Vereniz contulit Prandota cum matre, villam Loscuniam contulit Predwoy comes, villam Olesno contulit comes Brodizlavus, Zbilud comes contulit Pangroz, uxor ipsius contulit Costizlave atque Kasckow, filii eius contulerunt Coprivce, villam Mocrhonoz contulerunt fratres duo Slavnicus et Petrus, villam nomine Thura contulit Ogerius comes cum matre et uxore, Dambogora contulit Philippus monachus. Et hec sunt ville quarum decime attinent ecclesie beati Petri: Bartozege, Slosyni, Bucowe, Dambrovici, Slachowo, Domabore, Ochudyno, Moracowo, Bliscowice, Targoviste, Cirnelino, Canino, Crasno. Archiepiscopus Petrus istarum trium villarum deci-

mas contulit, scilicet Mocronoz, Chyrnelino, Copriwcino, sub his testibus: Iohanne preposito, Stephano archidiacono, Rudolfo sacerdote et Stephano fratre eius. Igitur, si quis hec violaverit, anathema sit.

Strona 29. *Nr. 23, wiersz ostatni, zam.* Standor *i* Chenira, *jak to na nadwyrężonym pergaminie czytaliśmy, ma bydź:* Standov i Chenna; *a w wierszu następnym zam.* Stampiz, *ma bydź* Scampiz. (*confr. Nr. 586 et 592.*) *W objaśnieniach topograficznych wypada zmienić:* Schelin, *Zielenin.* Chenna, *Szczecno.* Siborium, *Cichorz.* Scampiz, *Campino, osada znikła, leżała niegdyś pomiędzy m. Rozprza a w. Milejów.* (*confr. Rzyszczew. Muczkow. Cod. diplomatic. Polon. I, Nr. 28.*)

" 33. *Objaśnienia do Nr. 27.* Magnus Lapis, *miejscowość znikła, stała na miejscu wsi Wielodwór; dotąd droga tam prowadząca nazywa się Kamieńska droga.* Vallis inter Magnum Lapidem et Policko, *dolina pomiędzy wzgórzami leżącemi nad prawym brzegiem rz. Warta pomiędzy temi miejscami.*

" 38. *wiersz 14 od góry, zam.* iugitur, *czytaj* iugiter.

" 41. *Nr. 33. Objaśnienia.* Radencze, *nie jest Rzadkwin, tylko osada znikła; leżała nad rzeką Noteć pomiędzy wsiami Trląg a Strzelce.*

" 42. *Nr. 33, Objaśnienia;* Opatowo, *osada znikła, leżała pomiędzy wsiami Sławsk a Bożejewice.*

" 59. *Nr. 58. Oryginał znajduje się w Archiwie Kapituły Gnieźnieńskiéj pod Nr. 5 i jest opatrzony bullą* Innocentius Pp. III, *przywieszoną na niciach jedwabn. czerwon. i żółtych. Przy porównaniu okazały się następujące odmiany: W oryginale na początku:* Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Gnegnenzi (sic) archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem. *Wiersz 2 od góry, zam.* geris — geras. *Wiersz 6 od góry, zam.* Vladislaus — Vald. *Na końcu, zam.* contradictores appellatione remota per censuram ecclesiasticam compescendo — contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Nulli ergo *etc. wypełnione w znany sposób. Po:* Idus Januarii, — pontificatus nostri anno nono.

" 66. *wiersz 5 od dołu, zam.* Innocentius Pp. III 1215 Dec. 29, Laterani, *ma bydź:* Honorius Pp. III 1223 Jan. 11, Laterani.

" 77. *wiersz ostatni; zam.* prep ositus, *ma bydź* prepositus; *zam.* ibiem, *ma bydź* ibidem.

" 82. *Nr. 87. Oryginalna pieczęć Laskonogiego, przerysowana przez Kielesińskiego, dostała się niewiadomym sposobem do Zbiorów Uniwersytetu Krakowskiego, i tam obecnie się znajduje.*

" 109. *Dopisek do Nr. 119. Wspomniany tu stary kodeks Lubiński znajduje się dziś w Bibliotece cesarskiéj w Petersburgu pod QV, Oddział 1, Nr. 32; opisał go i odpisał profesor Dr. W. Arndt, a oddrukował Zeissberg w Archiv für Österreichische Geschichte, Band 55, Kleinere Geschichtsquellen Polens. Pierwsze 167 kart zajmuje w nim Lectionarium z X wieku; na karcie 168 wypisano pismem z początku XII wieku:* Pro suscipienda fraternitate primo dicantur isti psalmi *etc. a na brzegu:* Ex parte Dei omnipotentis et beate Marie et sancti patris nostri Benedicti et omnium Sanctorum. *Odtąd tą samą ręką aż do karty 170*

[illegible]

spisane imiona osób przyjętych do bractwa, na których początku: Hec sunt nomina fratrum huius ecclesie quorum elemosinis utimur; *w końcu następuje dalszy spis aż w XIV wiek różnemi rękami prowadzony. Zeissberg bierze, porównywając epoki osób w tym spisie występujących, lata 1118—1138 za czas, w którym tenże został założonym. Podajemy go tu według Zeissberga.*

Hec sunt nomina fratrum huius ecclesie quorum elemosinis utimur.

Dux Bolezlavus cum uxore. Dux Wladizlaus cum uxore. Scarbimirus. Iascotel. Scarbimirus. Preduoy. Herineus. Caderic. Michael. Pacozlav. Voyzlavus cum uxore. Degno. Iacobus. Hodolanus. Lardanus cum uxore. Bocen. Sueca. Nicolaus. Stoiguenus. Azo. Ricoldus. Rudolphus. Zlavos. Bogumil. Rochtce. Milogost. Vnegost. Tesec. Bresdreu cum uxore. Ocressa. Cahna. Sulizlavus. Vitus. Nicol. Mechora. Andreas. Mucec. Adelardus decanus. Criston. Petric. Woytech. Nacemir. Besimy cum uxore. Constantinus. Budizlaus cum uxore. Aldmirus. Oldbrandus. Veceradus cum uxore. Vitozlaus. Syman. Milozlav. Ernoldus. Borizlav. Tircost cum uxore. Suley. Asca. Wile. Mrocota. Stoyzlav. Savist. Benedictus cum uxore et filiis. Woytecha. Slavica. Pribizlav. Predzlav. Sueuardus. Rusava. Suluya. Iaroguen. Dobrozlava. Cernechova. Episcopus Radost. Boguzlav cum uxore. Tesata cum uxore et filiis. Bogumil cum uxore. Wirchozlav. Nicolay. Martin. Sedebud, Ubizlaus. Milozlava. Iuanus. Vogen. Petronilla. Bogusna. Ianus. Bogumil. Ierach. Predzlav. Mileyssa. Boguuola.[1]) Woyzlava. Paulus. Syxtus. Bochana. Potrava. Martinus. Crisana. Borizlav. Thoma. Margareta. Symon. Agatha. Paulus. Rometl cum filiis. Iacobus archiepiscopus. Helisabeth cum filiis. Iuan. Crisana. Bogussa cum uxore. Iohannes cum uxore et filiis. Nemoy cum uxore. Milcha. Wogen. Saxa. Matheus cum matre. Michael. Christina. Hector. Woyzlav. Martinus. Boguuola. Wencezlaus cum uxore et filiis. Agatha. Golec cum uxore. Mistizlaus cum uxore. Bogumil cum uxore. Sitach. Valterus. Godussa. Dobrouest. Karolus. Stres. Cromola. Stoyec. Cosma cum matre. Bogumil cum uxore et filiis. Bolezlavus filius Wladizlay. Visezlava. Mir cum uxore. Milessa cum uxore et filiis. Virbenta. Uxor Pauli cum filiis. Pianus cancellarius. Govoricius uxor cum filiis. Uxor Thome Marana. Thomas. Dobrogost. Iohannes. Bartholomeus. Voizlava. Domina Elisabeth ducissa uxor Mesiconis que dedit villam Zlub[2]) in via Poznaniensi cum hominibus decimis, his videlicet, quorum nomina scribere curavimus, quorum primus vocatur Ninoth cum filiis suis quorum nomina hec sunt: Bogumilus. Cochanus. Wroto. Pretbor. Miley. Paulus. Fratres de Gesou: Radozlaus cum uxore Radozlava. Petrus. Trepsea. Henricus. Dobemert. Boguvola. Rathna. Oteslav. Arnolfus. Villelmus. Raduy cum uxore. Wissota cum fratre Paulo. Drogozlav. Woizlav cum patre et matre. Dirsizlav. Zirota. Bratumila. Sdezlava. Rostignev cum uxore. Lutohna. Martinus cancellarius. Cosma cum uxore et filiabus. R. Iarost cum matre et sorore Cristina, Zithezlava, et fratre Bronisso. Petrus cum uxore Rostizlava.

Nomina defunctorum.

Episcopus Franco. Hermino. Nicolaus. Michael. Michael cum uxore. Petrus. Mistiguev. Morizlaus. Selizlaus. Donic. Miley. Nazlav. Bogdan. Criston. Cosma. Morizlaus. Dobros cum uxore. Moč. Blizola. Sulinea. Sulizlav. Suebor. Bogumil. Retera.

---

[1]) *Na dolnym brzegu dopisała ręka z końca XII w.* Scedricus Dobeslavi filius obtulit anulum aureum cum soliro.

[2]) Zlub, *Słupia pod m. Stęszewo cnfr. Nr. 368.*

Mistiuuy cum uxore. Sebesir. Bovo. Sdevit. Bosethe. Cistibor. Bogussa. Samd. Andreas. Tircost. Smil. Oldmirus. Episcopus Paulus. Symon. Ivanus. Cistava. Mroccc. Selunua. Iohannes. Odo. Woizlaus. Matheus. Ianca. Blizona. Radovit. Detrich. Paulus. Andreas. Godefridus decanus. Thoma. Stephanus. Denepr. Pribizlav. Boguvola. Stoyec. Slavica. Tvorimir. Dethleb. Benedictus. Rodulphus. Sdizlava. Radozlava. Dirsizlava. Creth cum uxore Petrava et filio Drogel. Bogussa cum filio Matheuso. Iohannes filius Bripine cum matre et uxore. Manech. Sdizlava. Boguzlava. Dux Bolezlaus. Dux Mesico. Dux Odo cum uxore et filiis. Divisovic. Semianus cum uxore et filiis. Barbara. Sdezlaus. Radulphus presbiter cum uxore Margareta et filia Radozlava. Radosta abbas. Paulus prior. Romanus. Iohannes. Blasius. Fabianus. Radovanus. Dionisius. Lucas. Ianice presbiteri. Bogumilus. Vitus. Saulus diaconi. Quintinus. Boguzlaus. Milost. Stephanus. Blasius. Prosimirus. Cunradus. Esdras. Lubcost subdiaconi. Damech. Vestech. Bratrech. Blisbor. Bratron. Subach. Cestovoy. Boris. Bilech. Nemoy. Iohannes. Prebor conversi.

Boselza. Ianca. Tehna. Lanca. Dethmar. Martinus. Petrus. Mstech. Saxa. Hodin. Iasca. Sulizlava. Egida. Pribizlav filius Cremole cum uxore Bozana. Radim. Cromola. Pribizlav. Boguzlaus de Popen. Benedicta. Otenzlav. Iohannes comes. Nauoy cum uxore. Godislaus cum uxore. Pantizlava et filia. Boguta. Sdezlava. Nesda. Dobrohna uxor Prede cum filiis et filia defuncta et matre. Radzlaus. Blasius. Andreas. Laurentius. Ustivoy. Wisezlav cum uxore et filiis et filiabus. Scodroh decimus. Miloh cum uxore et filio Mirota. Wsebori comitis camerarii Kazimiri. Pribizlave femine. Strezislave femine. Ubleisti femine. Pribizlavi sacerdotis. Suley cum uxore. Godislavus cum uxore. Johannis comitis. Petri militis. Tirpislava. Martin cum uxore Techoslava.

2. Septembris obitus Kunradi ducis pie memorie.

Degno comes cum uxore et filiis et filiabus. Panten conversus. Sarbinus scūarius. (sanctuarius). Guther vidua. Lancha uxor Willelmi cum filiis: Wincentio, Philippo et Iacobo. Silvester. Nepilca. Gothardus cum uxore Stronizlava. Bocehc. Mirava uxor Cune cum matre Milcha. Grabisa cum uxore Mirozlava. Roztava. Sulizlave femine. Dobroveste femine. Wile cum uxore Bothceca. Anna. Stromizlava. Modlis. Sgira. Martin. Nesulka. Cecilie femine. Nesda cum uxore Dobrosulca et filiis. Bodilov. Sdislav. Stephanus. Godusa. Suetana. Sulava. Mlodey laicus. Paulus comes. Dabrossa cum uxore. Godis. Trestioco cum uxore. Borec. Sdeh. Mater eorum Drogussa. Agata cum filio Tader et filia Gostizlava. Utech cum uxore. Zlanocha. Podsad frater noster. Petrus archiepiscopus suscepit fraternitatem. Rados cum uxore et filiis et filiabus. Iasgutr. Hinga. Mislva. Bribicest uxor Zlavere. Radvy filius Nagos. Filomena sacerdos cum uxore Bogodar et filiabus. Ropuh cum uxore et filiis. Stres. Domna Wisseslava suscepit fraternitatem cum filio Wlodizlavo, dedit villam beate Marie in ipsa civitate Prenrut[1]) cum octo bubus et duobus crpriiccariis. Gerloh cum uxore. Pisena. Potrumila. Iactor. Bogumil. Swenthoslai. Prestslave. Iohannes. Boris cum uxore et filiis. Predwoy. Cuda. Scarbimir. Michal. Morizlav. Scolastika. Slaobor qui dedit campanam huic loco. Bogumila. Dobrozlava. Bogumil. Iacob. Bothech. Stepan. Comes Symeon cum uxore Visslava. Hualislava. Suutopolk. Comes Nicolaus. Maloh. Crasses. Ian. Crisana. Povodca. Gostca. Sotrucha. Sadizlave frater (?). Sobesir. Potrumila. Voyteh. Sudicha. Dobronega. Wissezlave cum duobus

[1]) Prenrut, *pewnie mylnie zam.* Promut, *tj. Przemęt; cnfr. Nr. 236.*

filiis Semiano et Miron. Valteri conversi. Valther. Visec vel Previ. Hector. Vissczlave. Preiapis. Indrih cum uxore Boguzlava. Hrozla. Potrek. Cunradi sacerdotis. Radat. Primizl. Martin. Margegarete cum filia. Boguhval. Siman. Bogumil. Siman. Usemir frater. Bogumil. Lamprecht. Vlostonis miles. Bronute canonici cum fratre et matre nomine Bogumila. Woyzlavi. Mathei cum uxore. Potr. Stroka. Lutogueu. Gozlav. Sbinev. Batibori. Vit. Bottcha. Gertrudis. Dadci. Brogusse cum filia et filio. Wecek. Melozlave. Radossica cum uxore et filio et sorore. Sedlon cum uxore. Sabet. Marcin. Bocka. Zemeta. Petrus.' Ianus. Ianca. Marthe. Ialane. Raphael. Iarozlav. Bartholomey. Borine. Tome. Paulus. Nemsta. Virchozlav. Voyzlaue. Dobrozisni feminarum. Gregorius cum uxore Radocha. Wrotzlave cum filia. Seme . . . Commemoratio Vencezlavi comitis. Commemoratio Spetoslave matris eius. Wirsizlave cum filiabus. Pribizlava. Ludimila. Boguzlava, abbatis mater. Bolecest cum filio Suutozlavo. Huce hcam at pucihpa.[1]) Commemoratio Floriani comitis filii Dobezlavi. XVIII Kl. Iulii obiit abbas Ioh . . . Commemoratio Floriani militis filii Scedrici. Commemoratio Nicolai. Sciszlava. Comes Wison cum filio Nicolao. Andeas cum uxore nomine Cecilia. Leonardus filius eorum. Benek. Item Benek. Sdizlaus. Milozlava. Iohannes. Bogumilus. Goszlaus. Hii sunt fratres domus.

Isti sunt anniversarii consanguineorum domne Marte relicte comitis Wisslay. Comes Gabriel pater eius obiit duabus septimanis ante festum beati Adalberti. Domna Melozava mater eius obiit quinto die post festum beate Margarete. Comes Bartolomeus filius eius obiit ipso die beati Andree apostoli. Comes Sobeslavus obiit frater eius tertio die ante festum beati Andree. Comes Wisslavus vir eius in vigilia beati Laurentii obiit. Comes Radozlavus sevir eius obiit in octava beati Adalberti. Rivalis suus comes Iohannes obiit in vigilia ascensionis Domini.

Commemoratio Blisborii comitis. Spetoslave frater. Hualislave frater. Sedyvogy. Wlodimirii. Wlodimirii qui nostre domui dederunt hereditatem nomine Starchovech.[2]) Anno Domini 1166.

Commemoratio Martini pueri qui occisus est.

Commemoratio Dyrsicray. Iaroslave fratris. Boguse militis. Dobrory fratris. Iacobi. Stronislave fratris. Iaroslae fratris. Commemoratio Stanislai laici. Vitus de Brescz.

Commemoratio Boguse filii Petri de Charbelino qui contulit ecclesie nostre calicem cum lapidibus. Venceslave cum filio Sedevogii. Thovmeci fratris.

Commemoratio fratribus Iacobi cum omnibus sanctis. Commemoratio Spedegnevi. Vislave fratris. Commemoratio Spethoslave fratris Bozislavi. Mundo sublatum fore te credo esse beatum.

Anno verbi incarnati 1176 Petrus magnus filius Wseborii palatinus Chuiavie et castellanus Chrusvitie Symon filius Degnonis, Petrus filius Iaousonis (?), Nicholaus filius Stupote, Boguslaus filius Naslai, Fulco sacerdos, Borizlaus filius Litvini, Borislaus, Martinus, Vitoslaus, Puten, Precslaus, Iohannes filii Roslai, Andreas, Petrus, Wsebor, Cragsa atque alii quam plurimi.

Pribislaus. Tarchala. Pribislava uxor eius, Clemens frater eius, Zecesa, Vogslaus, Miroc, Falce, Zuder cum omnibus parentibus et Raduanus similiter cum uxore.

---

[1]) *Na brzegu obok napisano:* Co. Hucpert laicus.
[2]) Starchovech *Starkowiec pod m. Kobylin.*

Lucie frater, Anthonie filie eius et matris eius Gertrude et Nicholai patris eius. Michaelis Suetave. Venorea. Iacobus. Paulus. Iohannes. Marane. Dobronice. Petrus. Elena. Katerina. Paulus. Sdeslava. Dobrona. Gertrud. Margareta. Vogmir. Martin. Alzbeta. Sophia. Alzbeta. Meroslaus. Boguslaus. Sobesir. Damianus. Dobronega. Michael. Radost. Quacec. Falana. Ospila. Stronka. Bogusca. Posacha. Bogumila. Miloslava. Bogumilus. Penircz (?). Crizin. Potrona. Goscoto.

Commemoratio comitis Thome qui contulit villam nomine Pepino[1]) cum suis filiis, fratribus de Lubin. Uxor Gregoria. Chema. Mrocek. Grimislaus. Stephanus. Potrek. Swethoslava. Grimislava. Dirsicragius. Swethoslava. Prethslav. Iaroslaus. Wincentius. Albertus et Agnes contulerunt clinudium lapidem ceroprai. Commemoratio Racconis qui dedit iumencium domui, uxor sua Iaroslava et omnes pueri eius cognati. Radeg qui dedit bovem Wenchrikam.[2]) ...... Pancossa cum uxore et filiis. Iohannes cum uxore et filiis. Milug cum uxore concedit domui marcam argenti et fertonam.

...... Hanconis obiit. Iurzous qui dedit marcam. Isti sunt qui dederunt marcam in fraternitate domui nostre. Stephanus et Milca uxor eius, et Vincencius pater Stephani et Boguuola mater eius et Boguslaus et Pribislava mater Vulcze. Albertus, alter Albertus frater suus. Bozdar. Nicolaus. Sdislaus cum uxore sua Nestanca et cum Feyienna (?) filia, et cum filio suo Stephano. Katerina filia sua. Andreas dedit sex cotos in fra... Mileius. Iaroslaus et Margareta dederunt vaccam.

Strona 109. *Nr. 121. Dyplomat ten podany mylnie w kopiaryuszu pod r. 1228; oryginał tegoż drukowany w Büsching, Urkund. des Klosters Leubus, wystawiony jest w roku 1239.*

„ *122. Objaśnienia do Nr. 137.* Lapis, *osada znikła, stała kiedyś w bliskości wsi Wielodwór; dotąd nazywa się droga tam prowadząca, Kamieńska droga.* Vallis inter Lapidem et Policko, *dolina pomiędzy wzgórzami ciągnącemi się wzdłuż prawego brzegu rz. Warta pomiędzy obu temi miejscami.* Lacus adiacens, *mogło tylko być martwe koryto rz. Warta, których w tem miejscu kilka się znajduje.*

„ *122. Nr. 138. Znaczenie wyrażenia* Naaroch, Naroncincones, *w Nrach. 168, 173, 386, objaśnia znajdujący się w Bibliotece X. X. Czartoryskich przywiléj Ottokara, króla Czeskiego, nadany r. 1222 Zakonowi Kawalerów Niemieckich, a potwierdzony przez Przemyśla księcia Czeskiego roku 1255. Czytaliśmy w nim następujący ustęp:*

Si vero naroc, quod latine dicitur accusatio furum vel nocturnorum predonum, super eorum homines evenerit, iudicio astent curie etc.

„ *124. Nr. 140. Objaśnienia;* Soblacz, *Zbląg.*

„ *131. Nr. 150, drukowany także w* R. Hube, Antiquissimae constitutiones etc.

„ *154. Nr. 177. Oryginał znajdujący się w Archiwie Kapitulnem w Gnieźnie pod Nr. 9, był trzema pieczęciami opatrzony; od 1széj i 2giéj pozostały sznurki jedwabne, czerwone; od 3ciéj poprzeczne wcięcie w dolnym, założonym brzegu. Przy porównaniu okazały się w oryginale następne odmiany:*

---

[1]) Pepino, *pewnie mylnie zam.* Popino *t. j. Popowo Polskie p. m. Krzywin; cnfr. Nr. 368.*
[2]) Wenchrikam, *pewnie mylnie zam.* Wirchrekam, *t. j. Wyrzeka pod m. Śrem; cnfr. Nr. 368.*

Wiersz 1, zam. In nomine individue sancte *etc.* — In nomine individue et sancte *etc.* *Wiersz 1, zam.* Wladislaus — Wlodizlaus. *Wiersz 3, zam.* Bolcslavo — Bolezlavo. *Wiersz 4, zam.* generacio 2 *razy* — generatio 2 *razy.* *Zamiast* quia status — quia hominum status. *Wiersz 5, zam.* villam *(spatium)* Gorkam — villam circa Gorkam. *Wiersz 6, zam.* Spandowo — Spandovo. *Zam.* Bartoviche — Barcoviche. *Wiersz 7, zam.* Wroblowo — Wroblovo. *Zam.* ipsas commutavi — quas commutavi. *Wiersz 8, zam.* sollempnius — sollempnis. *Zamiast* commutacionis — commutationis. *Wiersz 9, zam.* povod — prevod. *Wiersz 10, zam.* ad *(sic)* podvorove — a podvorove. *Zam.* a stroza — et stroza. *Zam.* ipsam — prorsus. *Wiersz 12, zamiast* Dirsicraius — Dirsicray. *Wiersz 13, zam.* Conradus — Ciceradus. *Wiersz 14, zam.* Bedan — Nedan. *Wiersz 15, zam.* quinto — quarto.

Strona 163. *Wiersz ostatni, zam: z niem.* Buckow, *ma bydź Bukowiec.*

„ *164.* *Wiersz ostatni Nru 191, zamiast: dziś z niemiecka* Buckow, *ma bydź Bukowiec.*

„ *174.* *Pod Nr. 205 powinien się znajdować dokument, którego nam się nie udało widzieć w dosłownem brzmieniu, a którego treść tu podajemy według:* Roeppel, Gesch. Pol. pag. 453, 457, 459.

Gregorius Pp. IX 1237 Oct. 6, Viterbi; *pisze do biskupa (Płockiego?), dziekana Płockiego i opata Kolbackiego w ten sposób: W sporze toczącym się niegdyś pomiędzy Henrykiem księciem Szlązkim a Władysławem Odoniczem o posiadanie Wielkopolski, pierwszy z nich, nie ufając wybranym w téj okoliczności rozjemcom, Pełce arcybiskupowi Gnieźn. i Pawłowi biskupowi Pozn. (cnfr. Nr. 168), wyjednał u Stolicy ap., aby w razie danym dozwolonem było biskupowi Merseburskiemu i niektórym innym prałatom praw jego przestrzegać. Gdy jednak to pozwolenie zostało udzielonem, wzmiankowani biskup Merseb. i prałaci, nie czekając naturalnego przebiegu sprawy, na własną rękę ją pochwycili, naznaczając Władysławowi termin na miejsce zbyt odległe i dla niego niebezpieczne, a gdy się nie stawił, wydawszy twardy dla niego wyrok (confr. Nr. 168), podali takowy Wilhelmowi z Modeny, legatowi papiezkiemu, do potwierdzenia. Ponieważ ks. Władysław przeciw temu zaprotestował, Papież rozkazuje, aby powyżsi, biskup, dziekan i opat, sprawę tę daléj prowadzili. (Oryginał ma się znajdować w Watykanie; odpis jego posiadał ś. p. E. Raczyński i Roepplowi go udzielił; na próżno go w Bibliotece Rogalińskiéj szukaliśmy.)*

„ *175.* *wiersz 11 z góry, zam.* debeat: quandocunque, *ma bydź* debeat quandocunque.

„ *177.* *wiersz 3 od dołu, zam.* penitentiaro, *czytaj* penitentiario.

„ *183.* *Nr. 217. Oryginał tego dokumentu znajduje się w Krakowie w Gabinecie archeologicznym Uniwersytetu Jagiellońskiego. Porównanie z podaną przez nas kopją nie wykazuje żadnéj różnicy, oprócz w wierszu 6tym od dołu zam.* communiri, *w oryginale* communire. *Do pergaminu przywieszona na niciach lnianych biał. i jedwabnych czerwon. pieczęć Bronisza, wytłoczona kapturkiem od miecza;* (pieczęć IX.)

" *187.* *Nr. 222. Kopja tegoż dyplomatu znajduje się w Archiwie Kapitulnem Gnieźnieńskiem w* Liber proventuum, *w Archiv. Consistorii Metropol.* Regestum causarum anni 1416 *i w Damalewicza* Series archiepiscoporum *p. 137, z datą r. 1242. Położyliśmy go na tem miejscu, bo się zdaje, że był jeszcze za życia Władysława Odonicza i Pawła biskupa Poznańskiego wystawionym, i że* Indictio XII *przypada na rok 1239.*

" *211.* *Nr. 249, Objaśnienia;* Wilkovia, *Wilkowo Polskie.*

" *225.* *wiersz 9 od dołu; zam.* Damavycius, *czytaj* Domavycius; *zam.* Prutlaus, *czytaj* Putslaus. *Wiersz 10 od dołu; zam.* Albetcus, *ma być* Albertus.

" *228.* *Nr. 271, Objaśnienia.* Zarnovo, *'posiadłość klasztoru Trzebnickiego, leżąca po za granicami posiadłości Przemysława, a jak się później pokazuje, w obrębie posiadłości księcia Bolesława, zdaje się być znikła miejscowość, leżąca w okolicy m. Swiebodzin.*

Strona 230. *Nr. 274. Statut Jakóba archidiakona Leodyjskiego, drukowany w R. Hubego:* Antiquissimae constitutiones synodales, *tem się głównie różni od podanego tu tekstu Helcla, że Hube podaje na początku 10 Oddziałów, których u tego nie ma; podczas gdy znów Helcel podaje 5 Oddziałów, w tekście Hubego opuszczonych, mianowicie:* De esu carnium Teutonicorum et Polonorum; Contra illos qui habent duas curas; De residentia abbatum; De sententia lata contra illos, qui paganos conducunt contra Christianos; *na końcu:* De hiis qui contrahunt cum suis consanguineis vel affinibus. *Podajemy następnie opuszczone u Helcla Oddziały:*

1. De pena clericorum, qui in domibus suis vel alibi publice suas detinent concubinas. Quoniam scortatores, hoc est illos qui in suis peccatis incorrigibiles permanent, non exaudit Deus, timendum est vehementer, ne plus noceat Christianis ad penam multorum immunda conversatio clericorum, quam prosit ad veniam paucorum deprecatio devotorum. Quum peccatum unius de filiis Israel, qui vidente Moyse et omni turba ad scortum Madianitidem intravit, plus procuravit iram Dei quam placaverint suffragia plurimorum: sic et diebus istis est non immerito formidandum, ne pro peccatis publicis clericorum, que coram prelatis et omni populo facere non verentur, regnare faciat Deus hypocrisim impiorum. Nam quamvis contra clericos, qui in hospitiis suis vel alibi detinent suas concubinas, qui de nocte agitant filium Veneris et de die tractant Filium Virginis gloriose in altari, multe pene a sanctis Patribus fuerint institute; tamen quorundam prelatorum studio et malitia, parva est adhuc ex illis emendatio in istis partibus subsecuta. Sed quia error, cui non resistitur, approbatur: ne nos errorem huiusmodi videamur si tacuerimus approbare, vobis predicta qua fungimur auctoritate precipiendo mandamus: quatenus infra unum mensem postquam ad vestras redieritis ecclesias cathedrales, ipsas ecclesias primo et specialiter per vos, alias vero per archidiaconos vestros vel alios quos ad hoc expedire videritis, visitantes omnes, et illos quos inveneritis in domibus suis vel alias suas publice detinere concubinas, sive sint archidiaconi, sive decani sint vel archipresbyteri, sive etiam alii in quacumque dignitate vel officio constituti, diligentius moneatis, ut concubinas easdem a se removeant ad ipsas nequaquam reversuri; vel si fuerint super hoc infamati seu diffamati, se purgent et compurgatores habeant secundum canonicas sanctiones. Quod si monitiones vestras, imo apostolicas potius, contempserint etiam ista vice, vos, elapso isto mense, secundum penas in iure contra concubinarios editas, contra ipsos procedere nullatenus omittatis, si vultis et

peccatum inobedientie evitare, et illos concubinarios a confusione et scandalo liberare. Quod si forte ex negligentia vel favore infra alium mensem non processeritis, ut dictum est, contra ipsos, ut extunc negligentiam vestram non solum inutilem sibi sentiant, sed damnosam, auctoritate predicta statuimus vobisque mandamus: ut extunc dicti concubinarii conveniri a quolibet, et ipsi nullum valeant convenire in foro ecclesiastico, qui in eodem foro in modum exceptionis proposueris et probaveris legitime contra eos, quod ipsi in domibus eorum vel alibi suas publice detinent concubinas, vel quod diffamati super hoc in purgatione defecerint canonica; ut sic ex contemptu suo et vestra negligentia et favore, confusionem et damnum huiusmodi se sentiant incurrisse. Verum tamen, quantumcunque postea constiterit, eosdem concubinarios, penitentia ductos, suas concubinas a se penitus removisse, ita quod dicte exceptiones locum non habeant amplius contra ipsos, extunc in eisdem, a quibus fuerant per dictas exceptiones repulsi, et aliis suis auctionibus legitimis audiantur, et ad ea, nisi aliud impediat, admittantur: quum sit intentionis nostre, ut etiam in hac parte, cessante causa, cesset pariter et effectus. Si autem aliquis contra aliquem malitiose exceptionem istam proposuerit, et in probatione defecerit, per eum coram quo eam proposuerit, ad damna et interesse et ad legitimam estimationem tante iniurie condemnetur illi, contra quem exceptionem proposuerit, et non probaverit antedicta.

2. *De pena sodomitarum.* Illos autem, qui de vitio illo pessimo, inimico nature, quod Apostolus immunditiam vocat, convicti fuerint vel confessi, vel quos diffamatos apud bonos et graves super hoc in purgatione canonica, die ad hec statuta, constiterit defecisse, mandamus omni beneficio ecclesiastico, si quod habuerint, omnino privari; si autem beneficium non habuerint et in ordinibus fuerint constituti, ab omnibus ordinibus degradari; si autem non fuerint ordinati, vel si fuerint laici, excommunicationis vinculo innodantur, et aliis confusionibus repleantur, prout prelatis eorum visum fuerit expedire.

3. *De iuramento ab episcopo et canonicis ecclesie sue faciendo.* Audivimus et miramur, quod usque ad hec tempora sit neglectum, quod in omnibus ecclesiis cathedralibus vel in aliis Gneznensis provincie, nullum prestatur ab episcopis vel canonicis iuramentum de iuribus vel consuetudinibus ipsius ecclesie conservandis, vel consiliis ecclesiasticicis non revelandis, vel que obesse potius possunt quam prodesse. Unde contingit vel contingere forte possit, quod aliqui episcopi iura ecclesiarum suarum non solum non servant, sed suis parentibus et aliis largiuntur vel ea aliis modis minus provide alienant, et quod aliqui in canonicos iam recepti, in conciliis et curiis principum vel aliorum etiam existentes, ipsis ecclesiis et ipsorum episcopis indebite se opponunt et consilia eorum revelant in ecclesiarum preiudicium et gravamen. Volentes igitur in huiusmodi episcopis et ecclesiis providere, mandamus: ut de cetero, postquam episcopus fuerit consecratus, antequam a Capitulo suo recipiatur in ecclesia cathedrali cum honore et solemnitatibus consuetis, et canonicus, antequam ei locus vel stallum iu Capitulo assignetur, prestent corporaliter iuramentum, quod ipsi iura et consuetudines venerabiles, antiquas et probatas ipsius ecclesie, pro posse et bona fide servabunt, et quod consilia Capituli vel episcopi, que eis fuerint revelata, ad eorum damnum et preiudicium nulli pandent, et quod alienata indebite, ad ius et proprietatem ipsius ecclesie omnibus iustis modis vel rationabilibus, quibus potue-

rint, revocabunt. Et quousque a predictis prestita fuerint huiusmodi iuramenta, ne episcopus ad ecclesiam cum solemnitate debita a Capitulo admittatur, nec canonico stallum in choro vel locus in Capitulo assignetur, nec aliquid in fructibus prebende sue percipere permittatur. Et canonicos iam receptos, qui nondum prestiterunt huiusmodi iuramentum, ad prestandum illud, auctoritate nostra et vestra, per censuram ecclesiasticam et per subtractionem suorum proventuum compellatis. Postquam autem dicta prestiterint iuramenta, qui illa non observat sed contra fecerit, et de hoc legitime constiterit, canonice puniatur.

4. *De proventibus assignandis pro communibus promovendis negotiis.* Intelleximus, quod in ecclesiis cathedralibus et conventualibus Gneznensis provincie, nulli sunt reditus assignati pro communibus negotiis promovendis; sed quoties expense (pro) huiusmodi negotiis facte fuerunt vel etiam faciende, oportet ut quilibet canonicus prius symbolum suum solvat. Sed cum nonnulli canonici portionem que illos de dictis expensis contingit non solvunt libenter, vel quoque non possunt, accidit, quod iura ecclesie et negotia communia, indefensa remaneant et neglecta. Volentes igitur in hac parte dictis ecclesiis providere, vobis auctoritate predicta mandamus: ut ad Capitula vestrarum diocesium, tam cathedralia quam alia, infra annum accedentes personaliter, auctoritate nostra et vestra ordinetis et disponetis cum ipsis, ut ab ipsis certi reditus deputentur pro communibus ipsius ecclesie negotiis per totius anni circulum promovendis, et quod, si quid defuerit, a Capitulo suppleatur, et si quid in fine anni superfuerit, in thesauris ecclesie de proventibus et reditibus ad opus Capituli reservetur.

5. *De prebendis equalibus faciendis.* Preterea audivimus, quod in ecclesiis cathedralibus et aliis conventualibus supra dictis, prebende canonicorum sunt adeo inequales, quod unus esurit et alius ebrius est, unus indiget et alius in perceptione fructuum plus tumidet. Quum autem omnes canonici, qui in una ecclesia uni Domino famulantur, pari gaudere debeant premio et mercede et in perceptione fructuum esse pares, mandamus vobis auctoritate predicta: quatenus infra annum dictum ad predicta Capitula personaliter accedentes, provideatis fideliter et prudenter, ut omnes prebende cuiuslibet ecclesie, sicut canonici earum cesserint vel decesserint, successive ad equalitatem, prout commodius et discretius fieri potest, reducantur: si tamen fieri potest et videritis commode expedire; et postquam ad equalitatem reducte fuerint bona fide, extunc singulis novem annis fideliter iterum partiantur, et quanto fidelius et diligentius fieri potuerit, equaliter dividantur.

6. *De residentia facienda in ecclesiis.* Item, ecclesias conventuales istius provincie personaliter visitantes fide cognovimus oculata, quod canonici in ecclesiis suis non resident, sed in villis, studentes, ut agri eorum diligentius excolantur, quam quod in ecclesiis eorum digne et laudabiliter Deo serviatur. Quocirca vobis auctoritate predicta precipiendo mandamus, quatenus, (quia) secundum Apostolum: Qui non laborat, non debet manducare, et qui non servit altari, vivere non debet de altari: infra annum predictum dictas ecclesias personaliter visitantes, omnes canonicos cuiuslibet ecclesie tam cathedralis quam conventualis, necnon et curatores ecclesiarum parochialium, ad suscipiendum ordinem sacerdotalem et ad faciendam residentiam personalem in suis ecclesiis per subtractionem suorum proventuum compellatis, sicut

exigit ordo iuris; scientes, quod nos illos equales residentibus in perceptione fructuum reputamus, qui cum suis episcopis commorantur, et eos qui docibiles sunt et morantur in scholis, ac illos qui in longinqua peregrinatione existunt, necnon illos, qui in Romana curia pro negotiis sue ecclesie commorantur et ad alia negotia Capituli in expensis ipsius Capituli transmittuntur, quamdiu laboraverint personaliter in eisdem vel in aliis negotiis rationabilibus, a iure concessis, licentia prius a suis superioribus habita et petita in omnibus casibus antedictis.

7. *De distributionibus solum residentibus faciendis.* Ceterum, quum officium beneficio reddatur acceptum et absque beneficio officium negligatur, vobis mandamus: quatenus in proxima visitatione dictarum ecclesiarum, quam vobis mandamus fieri ut dictum est anno isto, de bonis ipsarum ecclesiarum et proventibus ad summum provideatis prudenter, quomodo aliqua beneficia manualia possint solis residentibus, et in servitio ipsius ecclesiae nocte dieque personaliter existentibus, diebus singulis elargiri, vel solvi in hebdomade principio et Quadragesima et Adventu. Et si aliqua prebenda vacaverit in futurum que multum quantitatem aliarum excedit, excessum illum assignetis, et residuum futuro canonico assignetur. Nos autem ipsos dominos episcopos rogamus, monemus et in Domino exhortamur, ut de novalibus vestrarum diocesium et de aliis quibus potestis ecclesiis sine vestro magno gravamine subvenire, subveniatis eisdem predictis manualibus beneficiis augmentandis; merito enim poterit ingratus reputari, qui in predictis ecclesie sue, que ipsum prefecit, neglexerit subvenire, quemadmodum ille, qui pomum denegaret illi, qui totam pomis onustam arborem dedit ei.

8. *De pena illorum, qui non promoventur ad sacros ordines.* Quia sunt nonnulli canonici in ecclesiis cathedralibus et aliis qui ad sublimitatem sacrorum ordinum ascendere pretermittant, credentes forsitan et errantes, quod extra sacros ordines eis liceat plus peccare: nos eos revocare ab errore huiusmodi cupientes vobis auctoritate predicta mandamus: ut canonicus, qui non fuerit in sacris ordinibus constitutus, stallum in choro non habeat, sed in loco stet vel sedeat puerorum; nec etiam locum habeat in Capitulo, nec ei liceat tractatibus vel consiliis Capituli interesse; decanos vero, archidiaconos, et alios qui tenentur ratione dignitatum vel beneficiorum suorum ad diaconatus vel presbyteratus ordines promoveri, monemus, ut in proximis, vel in secundis ordinibus qui sequuntur, se faciant ad eosdem ordines promoveri. Alioquin eos extunc suspendimus ab officio eligendi prelatum; ita videlicet, quod cum fuerit in sua cathedrali ecclesia electio celebranda, vocem in electione non habeat aliquis de predictis, nec ad electionem in Capitulo admittatur, et ineligibiles habeantur, quousque ordines sacros receperint, vel eos, quos dignitas vel beneficium eorum requirit. Et qui in contemptum modi istius, cum eis vel eos elegerit, vel ab ipsis elegi se permiserit, et eligendi potestate illa vice privetur, et electio taliter celebrata, irrita nuncietur.

9. *Quibus debeant episcopi committere vices suas in confessionibus audiendis et penitentiis iniungendis.* Preterea vobis dicta auctoritate mandamus: ut quilibet episcopus eligat, tam in sua ecclesia cathedrali quam in aliis ecclesiis conventualibus sue diocesis, aliquem virum discretum et honestum, constitutum in ordine sacerdotali cui committat plenarie vices suas in confessionibus audiendis et penitentiis iniungen-

dis. Quum enim episcopi in ecclesiis suis cathedralibus et aliis supradictis plures habeant conferre bonas prebendas, nimis esset indecens et indignum, gravique sententie mererentur subiacere, si unam ex illis non contulerint alicui bono viro, cui teste conscientia possint committere vices suas in omnibus supradictis, et qui illud officium cum salute sua et confitentium velit et valeat exercere.

10. De constituendo officiali in qualibet ecclesia cathedrali. Et ne forte contingat stulto labore, sicut dictum fuit Moysi, vos consumi, si soli velitis omnia negotia vestrarum diocesium supportare, vel ne videamini iustitie neglectores, si per vos ipsos vel per alium non curetis subditis vestris iustitiam exhibere, mandamus: ut quilibet vestrum officialem suum in civitate sua iuxta ecclesiam cathedralem constituat et relinquat, virum utique literatum, providum et discretum, cui vices suas committat plenarie in causis audiendis et censura ecclesiastica exercenda. Vos autem in his que ad eum pertinent specialiter intendatis, et maiora, si opus fuerit, ad vos referantur. Et habeat quilibet officialis sigillum curie domini sui, pro citationibus et aliis actis coram ipso habitis sigillandis. Et ad ipsum accedant pauperes et oppressi et suis decimis et aliis spoliati, necnon alii totius diocesis, qui habent causas ad forum ecclesiasticum pertinentes. Et ipse se exhibeat, sapientibus et insipientibus, iustitie debitorem: salvo iure archidiaconorum, qui consueverunt in suis archidiaconatibus censuram ecclesiasticam exercere: a quibus tamen potuerit ad dictum officialem, et ab ipso officiali ad ipsum archiepiscopum vel officialem eius ex causis rationabilibus appellari. Quilibet autem officialis, officium suum in festo sancti Iohannis teneatur in manus episcopi annis singulis resignare; et episcopus eundem vel alium infra octo dies substituere loco eius studeat, prout videbitur expedire. Datum apud Urbem veterem VI Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno secundo.

Strona *283.* *Wiersz 7 od dołu; zam.* illustri, *ma być* illustris.

„ *296.* *Wiersz 17 od góry; zam.* quem, *ma być* quam.

„ *328.* *Nr. 368. Objaśnienia;* Peczino, *Piechanin pod m. Czempin.*

„ *335.* *Wiersz 14 od dołu, zam.* cestellania, *ma być* castellania.

„ *336.* *Wiersz 13 od dołu, zam.* per transeant, *czytaj* pertranseant.

„ *344.* *Nr. 389. Porównanie które wykonaliśmy z oryginałem okazało, że data jest z r. 1268 a nie z r. 1260. U pergaminu wisi pasmo niekręconego czerwon. jedwabiu; pieczęć znikła.*

„ *348.* *Objaśnienia do Nr. 393,* Dretino episcopi, *nie jest Drążyń, tylko Ratyń.*

„ *367.* *Wiersz 25 od dołu, zam.* poterun tobtinebunt, *ma być* poterunt obtinebunt.

„ *376.* *Nr. 424. Oryginał tego dokumentu znajduje się w Wrocławiu, Archiv. Capituli A. A. 26, opatrzony pieczęcią księcia Bolesława, (pieczęć XVI), na niciach jedwabn. amarantowych przywieszoną. Przy porównaniu z kopją Dogiela, okazały się następne różnice:*

Wiersz 2 od początku, Dogiel: perennatur, *zam.* perhennatur. Ideoqne, *zam.* ideoque. *Wiersz 4 od góry, Dog.* Vladislai, *zam.* Vlodizlai. *Wiersz 5 od góry, Dog.* quod concurrente, *zam.* quod cum concurrente. *Wiersz 7 od góry, Dog.* placuerat, *zam.* placuerit. *Wiersz 8 od góry, Dog.* Murmon, *zam.* Murinov. *Wiersz 11 od góry, Dog.* Zdunki, *zam.* Sdunki. *Wiersz 15 od dołu, Dog.* prewodi, *zam.* prevod. Strosza, *zam.*

strosa. *Wiersz 13 od dołu, Dog.* contraire, *zam.* contrarie. *Wiersz 10 od dołu, Dog.* decapitationis, *zam.* de capitis. Membri, *zam.* membrorum. *Wiersz. 6 od dołu, Dog.* chartam, *zam.* cartam. Dankov, *zam.* Dancov. *Wiersz 5 od dołu, Dog.* quartodecimo Calendas, *zam.* quintodecimo Kalendas. *Wiersz 3 od dołu, Dog.* Cecoslao, *zam.* Cechozlao. Succamerario, *zam.* subcamerario. Secretario, *zam.* notario. *N. B.* Murinov, *jest Murzynów p. m. Skwierzyna.*

Strona 389. *Wiersz 11 od dołu, zam.* permaneant. Testes, *ma bydź* permaneant, testes.

„ *391.* *Objaśnienia Nr. 444.* Zagople *nie oznaczało zamek książęcy Szarlej, tylko zamek Kruszwicki, zapewne dla tego, że leżał od miasta po drugiéj stronie odnogi jeziora Gopła, tam gdzie stoi dziś t. z. Mysza wieża.*

„ *393.* *Nr. 447. Objaśnienia;* Luzicheieviz, *a w Nr. 330* Lurerfervirch, *może ma bydź*: Lutognevovich, *t. j. filius* Lutognevi.

„ *395.* *Nr. 450, drukowany w Rzyszczew. Muczkow. Codex diplomatic. Poloniae II, Nr. 102.*

„ *400.* *Wiersz 8 od góry; zam.* (voluntatem), *ma bydź* (facultatem.)

„ *408.* *Wiersz 5 od dołu, zam.* non citentur, *czytaj* non (sic) citentur.

„ *414.* *Dopisek do Nr. 473; braknie*: Scantociensis, *de Santok.*

„ *416.* *Objaśnienia do Nr. 476;* Drecino, *nie jest* Drążyń, *tylko* Ratyń *Wiersz ostatni; zam.* Drążyń, *ma bydź* Ratyń.

„ *457.* *Nr. 488, objaśnienia; zam.* Wilkowyja, *ma bydź* Wilkowo Polskie. *Z dawnego grodu pozostało wysokie i obszerne grodziszcze.*

„ *487.* *Nr. 522. Dokument ten podaje*: Włocławek, Liber privileg. monasterii Ląd. pag. 192, *i Damalewicz w* Series archiepiscoporum p. 172 *słusznie pod rokiem 1287, jak się to z przytoczonych świadków okazuje.*

„ *493.* *Nr. 528. Objaśnienia:* Langenvort, *była w XIV w. nazwa niemiecka miasta Kępna.*

„ *517.* *Nr. 553. Objaśnienia:* Ecclesia s. Gothardi, *dziś mały drewniany kościółek na Zawodziu, stojący na wysokim, okrągłym nasypie ziemi, mającym 40 kroków w średnicy, a który, jak się zdaje, dawniéj ku innemu celowi służył.*

„ *528.* *Nr. 566. Objaśnienia: zam.* Dojcarz, *ma bydź* Dojca rz.

„ *541.* *Wiersz 2 od góry; zam.* vivulis, *ma bydź* rivulis.

„ *545.* *Nr. 585, wiersz 5 od dołu; zam.* Gmevomiro, *czytaj* Gnevomiro.

„ *553.* *Wiersz 7 tekstu od góry; pomiędzy* libertate *a* et, *braknie* (sic).

FINIS TOMI I.

